HISTORIA

DE GENTIBVS SEPTENTRIONALIBVS,

Authore Olao Magno, Gotho, Archiepiscopo Vpsalensi, Suetiæ & Gothiæ Primate.

A Cornelio Scribonio Grapheo, præclaræ vrbi Antuerpianæ à secretis, sic in Epitomen redacta, vt non minus clarè quàm breuiter quicquid apud Septentrionales scitu dignum est, complectatur.



ANTVERPIAE.

Apud Ioannem Bellerum, sub insigni Falconis. M. D. LXII.

Del collegio del Angel de la guarda de los martires descalzos de Sevilla

CLARISSIMO VIRO D. VIGLIO ZVIchemo, Frisio, in supremo Serenis. Philippi Hispaniarum, &c. Regis consilio Præsidi æquiss.

Christophorus Plantinus.

S. D. P.

OBlata est mihi nuper a D. Cornelio Scribonio Grapheo, præclaræ huius vrbis à secretis, viro antiquorum monumentorum peritissimo, Historiæ rerum Septentrionalium ab Olao Magno Gotho, Archiepiscopo Vpsalensi conscriptæ, Romæ circa annum Domini M. D. LV. satis incommodo volumine excusæ, magnoque ab omnibus propter inauditam variarum rerum nouitatem applausu exceptę Epitome,

non minùs fidelis,quòd ne verbo quidem à suo prototypo differat (ne sit,in quo iniuriam sibi vllam Autor in oratione factã esse queri posit) quàm graui iudicio facta, quòd & omnia,& sola ea, quæ ad Septentrionalium rerum cognitionẽ faciebant, magno compendio complectatur, sublatis summa modestia iis, quas aliunde citat historiis, fabulosis narrationibus,& veris quidẽ illis, sed tritis, atque adeò otiosis Physicis, Geometricis,Astrologicis, Meteorologicis,ac nonnunquam Theologicis rationibus, tũ superfluis quorundam Autorum citationibus, & aliquot non admodum necessariis ipsius Autoris præfationibus: pręterea ritibus,moribus,cõsuetudinibus non Septentriona-
libus

libus modò, ſed & aliis gentibus pleriſque communibus.

Hanc Epitomē vt typis excuderem, etſi doctiſsimorum virorū, reique literariæ imprimis fauentium, qui hoc à me cupidè efflagitabant, autoritas conſilij, cui me non obtemperare nefas eſſet, loco eſſe debebat: ratione tamen vna, quòd ſtudioſis omnibus propter characterum elegantiam, in excudendo diligentiam (quæ vt à me ſperabant, ſic, an ex voto eorum prę ſtiterim, ipſorum eſto iudiciū) & commoditatem voluminis ſic geſtando aptioris, & emendo vilioris, gratum me facturum eſſe confirmarent, facilè, vt opus aggrederer, perſuaſerunt.

Omnibus itaq; ad eam rem inſtructis, reliquum erat, vt quem-

admodum ex Olai Magni Archiepiſcopi operis huius Autoris nomine gratiſsima hæc multis prodijt hiſtoria, ſic illius Epitome vniuerſis per ſe, vt ſperamus, placitura, audaciùs tamen clari alicuius viri patrocinio freta in lucem emitteretur. Quòd autem te potiſsimùm mihi propoſuerim, Præſes æquiſſime, cuius ſub auſpiciis hanc Epitomen edendam eſſe ducerem, multis, iiſque grauiſsimis rationibus omiſsis, duas duntaxat (vt breuior ſim) hîc adſcribam.

Efficiet profectò celeberrima eruditionis, iudicij, prudentiæ tuæ fama, vt ab omnibus, qui non eò me temeritatis & impudentiæ proceſſurum fuiſſe iudicabunt, vt, niſi lectione digniſſima

ſima eſſet, eam amplitudini tuæ dicarem, fide certiore legatur.

Accedebat recens humanitatis, gratiæ, fauoris, quo me his paucis diebus, quibus Antuerpiæ fuiſti, complexus es, memoria: cuius ego teſtimonium, quum non modò priuatim, qua potero ſemper obſeruantia, obſequio, induſtria: ſed etiam publicè, vt & magnitudo tuorum in me meritorum, & meum erga te officium notius eſſet, edere vehemen tiſsimè cuperem: nullum mihi præſentius nũc occurrebat, quàm vt hunc artis noſtræ impreſſoriæ fructum, Amplitudini tuæ dicarem.

A te igitur etiam atque etiam peto, primùm, vt audaci gratitudinis meæ omnibus teſtandæ

ſtudio cum eorum, qui Epitomen hanc legent, & voluptate & vtilitate coniuncto, pro humanitate tua ignoſcas: tum vt eo animo opellam hanc noſtram accipias, patrocinioq́; tuo tueare, vt me propenſa voluntate tua in poſterum reddas alacriorem. Vale.

Ordo

Ordo Librorum & argumenta capitum Septent. Historiæ.

EPITOME LIBRI I.

LIB. III.

ARGVMENT.

De sup-

LIB. IIII.

ARGVMENT.

LIB. V.

ARGVMENT.

LIB. VI.

ARGVMENT.

AR-

ARGV-

LIB. XX.

ARGVMENT.

De triplici Bothnia, & abundanti eius piscatura.
De vitulis marinis.

LIB. XXI.

ARGVMENT.

De Physetere, Balena, & vario genere Cetorum.
De monstroso pisce in littore Septentrionalis Angliæ Anno M.D.XXXII. reperto.
De Noruagico serpente.

LIB. XXII.

ARGVMENT.

De Culicibus & cimicibus.
De margaritis, & earum generatione.

FINIS.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de ritu Gentium & natura rerum ac vsu bellandi populorum Septentrionalium.

EPITOME LIBRI PRIMI.

Biarmiæ descriptio. Cap. 1.

Biarmia est regio Septētrionalis, cuius zenith est in ipso polo Arctico, eiusq; Orizon est idem cum circulo æquinoctiali: qui Zodiacum in duas partes æquales interfecās, efficit, vt vna medietas totius anni fit vnus dies artificialis, & altera medietas vna nox: & ita totus annus esset ibi vnus dies naturalis. Diuiditur autem Biarmia, secundum Saxonem Sialandicum, in vlteriorē, & citeriorem. In hac citeriore sunt mõtes perpetuis, sed innocuis niuibus offusi, æstiuique ardoris expertes, inter quos inuijs nemoribus & saltibus abundat, pascuorum feracissima, inusitatisq; alibi bestijs frequens. Crebri in ea fluuij, ob insitas alueis cautes, stridulo, spumantique volumine perferūtur. In vlteriore verò Biarmia sunt quidā monstrosæ nouitatis populi, ad quos aditus inuius & insuperabilibus periculis obfusus est, nec facile mortalibus patere potest. Maior siquidem itineris pars prælatis niuibus perēniter obsidetur: quas si quis superare velit, ceruis iugalibus (quorū maxima copia illic est, vt apud Italos asinorum) currū instruit, cuius incredibili celeritate, eximio gelu rigētia iuga transcēdat. Meminit Saxo, Mémingum quendā syluarum Satyrum, insignibus diuitijs præditum, illic mansionem tenuisse, ad quem Hotherus Suetiæ Rex domitorum ceruorum cursu perueniens, maximorum spoliorum, opumque adeptione ditatus, & felix euasit. Vtraque tamen hęc terra vallibus campisque distincta, fruges, si seminarentur, haud negaret: sed inexhausta piscium vbique copia, & ferarum

Biarmia duplex.

Memmingus Satyrus.

frequentiſsima venatio, efficit, ne ibi panis vſus magnopere concupiſcatur. Pugnaturi Biarmienſes, arma artibus plerunque permutant, carminibusque in nimbos ſoluere cœlum, ac lætam aëris faciem triſti imbriũ aſpergine confundere cõſueuerunt. Sunt Biarmi idololatræ & Amaxobij, Scytharũ more, atque in faſcinandis hominibus inſtructiſsimi. Quippe aut oculorum avt verborum, aut alicuius alterius rei maleficio, homines ita ligant, vt liberi non ſint, nec mentis compotes, ſæpeque ad extremam maciem deueniant, & tabeſcendo diſpereant.

Finmarchiæ deſcriptio. Cap. 2.

FInmarchia regio eſt Septentrionalis, partis Noruegiæ, olim ob ſui amplitudinẽ Regio titulo decorata. Hæc rigidiore orbis parte, culturam ac manſionẽ ſortita eſt, attamen homines robuſtis corporibus, & animo magno habet, qui ab hoſtium incurſu ſe ſtrenuè defendere ſolent. Aër illius regionis, ſicuti & vicinarum, ſemper frigidus eſt & ſerenus, innocuus tamen humanis corporibus, rariſsimas pluuias tempore æſtiuo admittens: tantaque eſt illic aëris temperies, vt piſces nullo ſale conditi, ſed ſolo aëre ſiccati, toto decennio à putrefactione durẽt. Ab octauo Calend. Apprileis, vſque ad ſextum Idus Septembreis, eſt illic continuus dies, nullis inuenientibus tenebris, videturq; ſol à 1111. Nonas Maij vſque ad Calend. Auguſti, nulla intercidente nocte. Ab hac Finmarchia Septẽtrionali ad Auſtraliora Gothorum vltra CCCL. milliarium Gothicorum eſt diſtantia: vbi medijs noctibus ſolſtitij æſtiualis in diſtinctis locis, Lincopiæ videlicet, & Scaris, minutiſsimæ literæ ſine lumine legi, ac ſcribi, imò pecuniæ numerari poſſunt. Quibus etiam in locis ſub eleuatione poli Arctici gradibus 60. à principio Maij ad initium Auguſti, nullæ penitus cõſpiciuntur ſtellæ, prærer lunare corpus, quod in plenilunio veluti ardẽs rubus, penes terræ ſuperficiem paululum, eo temporis interuallo (omnium admiratione, & horrore) peruidetur.

Dies quinque mẽſiũ continuus.

Scr. Co



Scricfinniæ descriptio. Cap. 3.

SCricfinnia regio est inter Biarmiã, ac Finmarchiã sita, angulum tamen lõgiorem versus Austrum, & mare Bothnicum emittens. Estque cauda principaliter appellata, quia incolæ eius admirabili quadam celeritate, certis planis lignis instar arcuum in anteriori parte curuatis, ac pedibus affixis, directione manualis baculi vtũtur, quibus sese arbitraria volũtate sursum, deorsumq;, vel obliquè, super niuium cacumina trãsferunt: eo tamen modo seruato, vt vnũ lignum altero sit longius mensura vnius pedis, iuxta virorũ, vel mulierum proceritatẽ: vtpote si vir, vel mulier sit octo pedũ longitudine, lignum vnius pedis totidem habebit pedes in longitudine iusta, reliquum verò nouem. Præterea prouident, quòd ligna illa subducta sint tenerrima pelle vituli Rangiferorum: cuius forma & color ceruino colori assimilatur, sed longè procerior, & maior est. Cur autem pellibus tam teneris hæc ligna subducãtur, variæ reddũtur causæ, vt videlicet celeriori lubricitate sese transferant p altas niues, vt expeditius ruptiũ voragines, et pcipitia trãsuerso motu euitẽt, vt sursum dirigentes cursum, retrorsum nõ excidãt: quia pili instar sudiũ, aut echinorũ se erigunt, miraque naturæ potentia, ne relabãtur, obsistunt. Talibus igitur instrumentis cum ingenio curredi instructi, montiũ in accessa, valliumque ima, hyberno præsertim tempore asse- *Mira, celerrimè currẽdi ratio, in Scricfinnia*

quuntur. Sed non æquè facilè in æstate, licet habeant nives: quia impressioni lignorũ citissimè cedunt. Neque enim vlla rupes adeò prominet, quin ad eius fastigium callida cursus ambage perueniãt. Primò siquidẽ valliũ profunda relinquentes, scopulorum radices tortuosa gyratione perlabuntur: sicque meatũ crebræ declinationis obliquitate perflectũt, donec per sinuosos collium anfractus destinatũ loci cacumen exuperent: idipsum interdum venationis ardore facientes, nõnunquam de ingenio, & artis magisterio contendentes, veluti stadiorum cursores constitutũ brauiũ suscepturi.

De vehementia venti Circij. Cap 4.

POrtus est in Islandia (terra scilicet mari glaciali vicina, sub dominio regni Noruegiæ, vulgari sermone Vestrabord) Occidentalis dictus, penes quẽ in litoralibus spatijs & campis, obequitantes armati, potenti flatu huius venti Circij quasi stuppa prosternuntur in terram. Similiter penes portucrypticos, id est, in cauernosis rupibus, & antris habitantes, eo præcipuè tẽpore brumæ, quo sol regreditur ad solstitialia signa, quãdo in marinis fluctibus venti sunt temperatiores. Sunt præterea montes in Hybernia mediocri sublimitate in pluribus locis eminentes: in quibus, si quis iter hoc Circio vento flante perficere tentauerit, nedũ periculum, & ruinam expectare cogetur, sed spiritus suffocationem in præcipitiis voraginosis. Præterea quàm formidabiles & noxij sint venti, in Occidentalioribus Noruegiæ ripis, ipsi incolæ, imò & alienigenæ eò confluentes, nõ ignorant. Nullum enim lignum, neq; fruticem, ob violentiam huius venti, ibidem germinare intuentur. Quo fit, vt ob eorum defectum, in ignibus instruendis cibisque coquendis, ossibus magnorũ piscium vtantur. Quantum etiam sæuiat ventus iste in Occidentalioribus Bothniæ littoribus, ipsi habitantes magno incommodo suo sæpiùs experiuntur. Rapit enim integra tecta domorum, eaque per immensa terrarum spatia dissoluta dispergit.

De Septentrionalium ventorum violentia. Cap. 5.

TVrbines ac tempestates Septentrionalium locorum, vim habere terribilẽ ac periculosam, nemo qui

qui ſecreta naturæ didicit aut ſcrutatur, ignorat: præſertim cùm multiplex ac indeficiens eius originis cauſa materiaque reperiatur. Ex mari itaque ſæpe auferũt aquas ſub nauibus, nauesque ſubuehunt in ſublime: etiam ex terra lapides ac alia animalia, & paululum erepta dimittunt. Nec ſolùm ea, ſed plumbea tecta templorum ac ædiũ diuerſarum, imò & fortiſsima tigna, quæ ac aëra rapiunt, atque alio accedente ſpiritu vehementiore, tranſuehunt in ſpatia longiora. Sæpiſsimè etiam integra molendina ventorum, cum ingentibus ſaxis turbine inuoluta, ſaluis hominibus in loca remota euehuntur: imò adeò ingens turbo deſcendit, vt vrbes, caſtella, & villas inuoluens, tecta longius (vt dictũ eſt) ad campos diſpergat. Aeſtate ab Occidente, Septẽtrioneque, perflant tanta vi, impetuque venti, vt lapides, quantos manus poſsit cõtinere, à terra rapiant, ac veluti arenæ, lapillorum aceruos haud paruos cumulent: &, vt aliquando ab hominibus arma, & veſtes, quandoque aſcenſorem vi ab equo auferãt. Quinimò in Vichia Noruegiæ aliquãdo accidit, vt aëre, ſoleque maximi piſces torrendi, è perticis inſtar tabularum, vi turbinum, in magna congerie à diuitum piſcarorum locis in ædes pauperum eiecti, tanquam donum diuinitus datum recipiantur.

Diuerſi effectus tonitruum fulminum, & coruſcationum in locis Septentrionalibus. Cap. 6.

Formidabilẽ vim, & effectũ habent tonitrua, fulmina, atq; coruſcationes in Septentrionalibus terris, præſertim verſus loca oppoſita Meridiei. Apparẽt ſæpiſsimè in partibus Aquilonis, ſub ſereno cęlo, totis noctibus, in Septembri, clara atque continua fulmina, quæ magis minantur, quã lacerãt inſpectores. Fulmen verò natura nubiũ exortum, tonitruque elapſum, grauiſsima dãna mortalibus, alijsque rebus ibidẽ infert. Plures etenim homines ſublimiora loca inhabitãtes, cum iumentis interimit: excelſas etiam turres, & ædes dura pice linitas (quod mirũ nõ eſt) inextinguibili flãma conſumit, altas arbores, vel ex ſummo vertice directè findit: vel obliqua corroſione contundit.

De frigoris asperitate. Cap. 7.

QVantam potentiā gelu, seu frigus, in Septētrione tanquā proprio loco possideat, multis rationib⁹ potius, quā autoritatibus, per sensum ostendi potest. Sentit enim vim & vredinem eius, trepida animātium multitudo, pluribus stadiorum millibus inde distans, corpusque, & reliqua membra modico eius allapsu comprimit, & perhorret. Quid non faceret, vbi propriis viribus, & naturæ legibus imperat ipsum frigus? Sub quo quia natus, & versatus sum (etiam circa eleuationem graduū poli Arctici 86.) arbitror me posse hoc, & multis sequentibus capitulis, nonnihil cæteris vaga opinione scribentibus, clarius demonstrare, q̄ vehemens, & horrendum sit illic frigus: quod inde successiuè veluti radij, ex centro tādem per totum orbem ampliatur, quemadmodum omnes vastones, quas penetrat, eius asperitate commotæ attestantur.

Author comperta narrat.

De pruinis, & casu niuium. Cap. 8.

TAnta est plerunq; in Aquilónarib⁹ terris vis pruinæ, & casus niuium, tamq; dira tēpestas, vehemētesque caligines aëra obscurantes, vt viatores proximū quēque obuiū etiam si amicus, vel inimicus sit, agnoscere, vel euitare nō possint. Quod omnimodam patit difficultatē, eò quòd in vtroque latere, vel alta precipitia imminent, vel condensatæ niues tā eleuatæ sint, vt ferentes sarcinas dextrorsum, vel sinistrorsum vix sese extricare possint. Attamen quia contra precipitia rarò cōceditur optabile remediū, pro statione iumentorum mutuo labore niues exoluūt, plaustraq; super eas euertunt, vt institutū iter absoluāt: hocque ea celeritate faciunt, quasi rapido incēdio, molestissimoque periculo celerrimè auertendo vrgerentur: ne lōgiore interueniēte mora, ex subito casu niuium, & pruinarum, repletio fiat itinerum, & syluarum: vt quæ sit via, vel cāpus, difficilius agnosci possit. In glacie verò nulla, vel rara difficultas occurrit, eò q̄ omnia placabili æqualitare itinerātibus offeruntur, saluo q̄ caueant à ruptura glacierū per apposita signa ad os rupturæ. Quæ signa, vel crustatis glaciei particulis ad os aperturæ relictis, vel virētibus abietum, seu iuniperorū ramis in glacie congelatis,

Aer maximè caliginosus, & periculis plenus.

gelatis, & eminentibus ostenduntur: idque lõgo ordine, & milliaribus multis, sumptu & diligentia piscatorum, ne viatores aberrare contingat, fideliter obseruatur. In syluis autem non leuia quandoque mutuò sibi obuiantibus obstacula è ruptura, seu motione arborum occurrunt. Srant enim præsertim populeæ arbores, ob densitatem niuium, veluti arcus extenti, niuibus oneratæ: quarũ leuissimo motu maxima niuiũ moles in viatores descendens, eos nõ parum retardat: imò & ipsę arbores cãcellato casu, grauitate niuis, abruptæ, viã omnino immeabilẽ faciunt, vt nõ nisi securibus ad eũ vsum cõportatis, sibi exitum parare possint, prout mihi, meoq; comitatui sæpius accidisse cõtestor. *Itineris pericula.* *Author expertus loquitur.*

De niuium & vitrorum varietate. Cap. 9.

VNo eodemq; die, ac nocte, X V. vel X X. aut plures quandoque distinctæ niuium formæ reperiũtur. Præterea non minor varietas in vitris contingit, quæ arcendi frigoris causa, æstuariorum fenestris imponuntur. Dum enim loca huiusmodi, caloribus contra immensum gelu tepidius instaurantur, forinseco frigore, atque miro naturæ artificio sub diuersis imaginibus ita depicta videntur illa vitra, vt quiuis artifex talibus inspectis, naturæ excellenriam potius possit admirari, quàm imitari. Ingenio tamen adhibito, plurima ex his pro domestico ornatu, ac decore, artificum industria excogitãtur, ae perficiuntur, qualia ab alijs nationibus prece, vel pretio vix acquiruntur. Vnde euenerat, vt eo ingenio plurimi argentei crateres excellenter fabricati viderentur. Præterea laneæ, lineæq; texturæ pretiosæ, atque picturæ mirabiles, & decentes, quemadmodum inferius nonnihil dicetur de pictoribus, ac texturis.

De castellis niualibus iuuenum. Cap. 10.

MOs est Septẽtrionaliũ populorũ, prouida quadã sagacitate adolescẽtes, diuersis bellandi exercitijs & artibus castella impugnandi exercere, & excitare, quibus præsertim tyrocinia sine cæde, & sanguine, ac quouis vitę periculo, hęc aggredi putãt voluptuosum: *Tyronum exercitia.*

& ob id quotannis hyeme durãtibus niuibus, loco ali quo eminenti turmatim à maioribus excitati congrediũtur adolescẽtes, cõformi labore immẽsas niuiũ moles comportantes: è quibus propugnacula ad formam castrensium mœniorum, feriatis saltem diebus solicitè fabricant, aqua structuram huiusmodi fenestris distinctam, continuò aspergentes, vt nix cũ aqua taliter congesta, accedẽte frigore validius induretur. Qua diligẽtia adeò fortificantur, vt non solùm leues ictus, sed æreos globos, atq; impulsum testudinũ (quatenus opus esset) possent sustinere. Quibus paratis, adolescentes prædicti in diuersas turmas segregati, pars mœnia ingreditur contuẽda, pars foris remanet eadẽ impugnanda. Nec desunt in cãdidis castris atra, seu fusca vexilla. aut virides Iuniperorũ rubi: sub quibus non pecuniæ, sed solius laudis appetitu, voluptuosum ingrediuntur certamen: quod alijs armis vtrobique non committitur, nisi niueis globis in alterutrũ è manibus proiectis. Statuta enim pœna est nudi corporis in gelidam aquã immergẽdi, ne quis globis huiusmodi niualibus saxũ, ferrum, lignum, aut glaciem proiecturus inuoluat. Sũt præterea inter oppugnantes, qui more cuniculorum inferiores niuium bases perforant, ac ingrediuntur, vt propugnaculi defensores coërceant à stationibus suis. Nec segnior intercidit mora, qua pugnis certatur cominus, donec vexillo rapto pars victa succumbat, alio tempore restaurato prælio cõtra partem victricem in eisdem castellis (si poterit) triũphatura. Neq; segnius, aut debilius ludos huiusmodi committunt, aut perferunt, quàm si pro patria, pro legibus, pro focis (vt dicitur) & aris, publico spectaculo in agone certarẽt. Profugos verò, & meticulosos pugnã excedentes, niuibus dorsotenus inter cutẽ, vestẽque immissis, vbi deprehẽsi fuerint, insolentibus verbis, ac vocibus punitos absoluunt, vt aliàs fortius reuersuri persistant, & acrius defendant castra. Quosdã aquis cõgelatis in caput & collũ tẽpore horrẽdi frigoris guttatim dimissis, castigãt, prout inferius, de pœnis glacialibus manifestiùs exponetur. Et hæc omnia veluti voluptuosa spectacula ad irrogandum rebellibus, & stupidis mitiores pœnas.

De



De cursu glaciali equorum pro palliis. Cap. 11.

OLim apud veteres Gothos mos erat, brumali tẽpore ad finem mensis Decembris (dũ niuibus, & frigore lacus, stagna, atq; terræ omnes validissima glacie constringerentur; optimos quosque equos, forma elegantiores, in singulis prouincijs ad edenda publica spectacula colligere: quantum verò ad voluptuosa spectacula attinet, die 26. Decẽbris super stagna, ac flumina congelata, instar speculi micantia, infiniti terrarum incolæ in qualibet prouincia (distinctis licet communitatibus) pro brauio, ac gloria in agiliorib⁹ equis certaturi congrediuntur. Terminus verò, seu meta cursus huiusmodi, longitudinem quatuor, aut sex miliarium continet Italicorum. Brauium autem aliquot mensuræ, seu modij annonæ seminandæ, & noua vestimenta apponuntur, & denique, vt equus metã non attingẽs, victori cedat. Verùm hæc spectacula nullibi frequentius in toto Septentrione super glaciem, quàm apud Ostrogothos, ac Vestrogothos committuntur. Abundat enim terra eorum vberrimis pascuis prò equitijs ad multa millia in electissimis herbis naturaliter conuenientibus equis enutriendis, licet valde spatiosis, & dispersis campis, & non in vno prato.

De cursu glaciali hominum pro brauio. Cap 12.

DVo genera hominũ ad stadia, & brauia celerrimè sub præfignatæ artis cõpẽdio currẽtiũ, superiori figura mõstrantur. Primũ syluestre, seu Lapponicũ, ꝙ

 pandis

pandis trabibus, siue longis stipitibus plantis pedū affixis, supra niues in vallibus, ac montibus flexuoso, ac arbitrario motu cursum præcipitem dirigendo se trāsfert: idque perfectissima arte facit, siue aduersis casibus congrediēdum sit, siue venationibus voluptuosis, quarum quæstu viuūt, & fortunas assequuntur vberiores, siue brauij, aut gloriæ causa hoc ipsum sit attentandū. Hocq; genus præcipuum inter Scricfinnos. Hic satis est, dixisse, eos homines talem, tamq; celeré in percurrendis cacuminibus niuosorū montiū, etiam pro brauio, habere agilitatem, qualē vix reliqui planioribus ac breuioribus instrumentis innixi, in plana, & lubrica glacie pertingere valent. Quinimò qui niuens calcant, & constitutam metā attingunt, ferā occurrentē sagittis occidunt. Qui verò seruat glacialem cursum, vix ab hiatibus subtus latentibus est securus, prout infra de glacialibus bellis dicetur. Aliud verò genus, quod ferro plano, & polito, siue planis ossibus ceruinis, vel bouinis scilicet tibijs, naturalem lubricitatem, ob innatā pinguedinem habētibus, pedali lōgitudine sub plātis affixis, in sola glacie lubrica cursum intendit velocissimum, queēq; in glaciali æqualitate semper currēdo continuat. In quo etiam genere vbiq; reperiūtur homines voluptuosè pro brauio cursitātes: quorum meta super congelatos lacus instar speculi glaridos, spatio VIII. vel XII. miliariū Italicorū ab vtrisq; partibus est constituta, vel minus. Brauiū verò cochlearia argentea, amphoræ æreæ, gladij, & nouæ vestes, ac iuuenes equi: sed hi frequentius, cæteris brauium lucraturi, currēdo preueniūt, qui ceruinas tibias latè limatas plātis affigūt, porcina axungia perūctas, quia gelidis aquę guttis velut per poros glaciei, in vehemēti frigore surgentibus, tibiæ sic vnctæ impediri, aut cōstringi non possunt, sicuti ferrum quantumcunq; politum, aut vnctum. Nulla nempe vnctio ferro cōformior est, quàm ossium tibiarum ceruinarū, aut taurinarum, connaturalem habentium lubricitatem. Eoq; modo quotiescunq; glacies clara fuerit, ac niuibus discooperta, duobusq;, vel tribus digitis spissa, tūc huiusmodi spectacula facilius, securiusque exercentur. Sed aliàs nequaquā, quia nunquam

quam periculosior, mortíque vicinior casus est, quàm cursum intendere, dum glacies tenuissima niue fit cooperta Amnes etenim, seu riuuli tacita celeritate è littoribus lacuum intrātes, corrosione, & motu cōtinuo agunt, ne glacies inspissari, solidarique posit, nisi gelu fortissimo constringatur. Sed interim contingit temerarios cursores glacierum, naturam ignorantes vel cōtemnentes, audacius quàm cautius accurentes, glacie cōfracta (corpore deorsum, atq; capite sursum, acumine glaciei velut securi abscisso, miserè derelicto) submergi. Veruntamē eo periculo, vel simili, rarò pereūt indigenæ, sed pegrini terrarū exploratores: qui dū celeriùs proditionib⁹ perficiēdis cōpendioso itinere inseruiūt, subita glacierū dolositate, ac fragilitate absumuntur.

De glacialibus hospitiis itinerantium. Cap. 13.

VSus habet, vt publicæ viæ tempestatibus lignorū syluarumque casu obstructæ, communi sumptu, & labore, dolabris ac securibus reficiantur. densitate verò niuium occlusæ, iumentorum vehiculorumque niualium transitu viritim aperiantur, vel penes littora marina, aut super ipsum mare congelatum signis in glacie constitutis viæ generales deducantur, è quibus ad humanas habitationes pateat apertum iter. Ne autem simili ratione, inferiores Germani Vandalicas vrbes, ac regiones inhabitantes, magnitudine niuium syluestres seu campestres vias replentium, in maximis commerciis negotiatorum impediātur, hospitia super littus maris, & planis scopulis, vel ipsa aperta glacie mira quadam industria collocant. Trabes enim oblongas duorum vel triū pedū super glaciē eleuatas ad fondamentorū, & ædiū distinctionem ordināt, ac desuper domos necessarias, hasque tabulatas lateraliter imponunt, foco carbonario in æstuariis abundanter (quemadmodum omnibus aliis ad læta conuiuia requisitis) vtentes, nulliusq; exploratoris, aut latronis, insidiatorisue versutias formidantes, quoniā plus securitatis in glacie quā palatio gaudēt, se adeptos: eoque securiores alacrioresq; permanēt, quo frigora surrexerint acriora & vēti fortiores: qui fundamēta hospitiorū subt⁹ perflātes, firmiora efficiūt, atq; solidāt, & cōseruāt, donec calidis

calidis austri spiraculis tota hæc domorũ machina cit ea vernale equinoctiũ dissoluta, incõtinentẽ terrã, nulla pẽsione localis hospitij persoluta, deportetur. De frigoribus autẽ illius Germanici, seu Getici maris, plura meminit Albertus Crãtzius diligẽtiss. omniũ regionũ scriptor. Ait enim Anno M.CCC.XXIII, gelidissimo frigore constringebatur mare, vt pedestri itinere per glaciem de littore Lubicensi in Daniam, & in prusiã mare trãsiretur, dispositis per loca opportuna in glacie hospitijs. Anno Domini M.CCC. XCIX. per brumã gelu terras, ac maria constrinxit, vt sicco vestigio è Lubeca per mare in vrbem Sundensem, & inde in Daniã perueniretur. Anno Domi. M. CD. XXIII. gelu fuit per brumam incomparabile & inauditum, quòd equites è Gedano Prusiæ in Lubecã, per viam nauigãtium transirent incolumes, & deinde à Magnopoli per mare in Daniam, hospitia habentes in glacie. Anno M. CC.XCIIII. congelatum est mare Cimbricũ, vt à Iuthia in Aslogiã equitaretur. Præterea, etsi multis seculis posteà secuta sunt asperrima frigora, & marinorũ fluminum congelationes, tamen quia frequentiùs acciderant, vix annotata reperiuntur.

Ingens frigus.



De transitu glaciali inter voragines. Cap. 14.

CVM superiore capitulo de glacialibus hospitijs minus expressum sit, quibus signis viatores niuoso aut pruinoso tẽpore dirigãtur, vt hospitia pertingãt desti-

destinata: ex quo tã amplus & planus vndique imminet transitus, vt nihil præter cælũ, & glacies, ac niues, plerunque inspiciatur, vtputa dum eodem itinere sub brumæ rigore iumentorũ agilitate cõtendũt incedere, vbi æstiuo tempore maximæ classes ventorum impulsu celerrimè nauigarunt. Idcirco aduertẽdum est, quòd glacie paululùm perforata, arbores Iuniperorũ, seu Abietum, singulo stadiorum spatio, vt erectæ stantes congelentur, mari secus viam imponi solent, maximè vbi fortior sit glacies à viarum scrutatoribus explorata. Et vbi hæc signa non essent, non minor formido, aut vitæ periculũ inter glaciales voragines immineret, quam in aperto mari inermibus nautis inter crudeles piratas, aut in horrida soletudine inter beluas truculentas. Lege ergo seuerissima cautũ est, ne quis eiusmodi signa, nisi tẽpore hostili, propter proditores, ac explotatores, alteret aut exportet. Quàm prætereà periculosus sit hominum transitus inter voragines glaciales superiùs annotatas, sequentibus causis ostendetur. Ante omnia tamen præmittendum est, quòd generaliter omnes lacus, & stagnales aquæ in mẽse Octobri incipiunt cõgelari, glaciesq; aucto frigore in plerisque locis tantũ cõdensari, vt vbi venæ lacus, & stagna viuentis aquæ nõ intrant, pisces soffacati tempore resolutionis glaciei inspiciantur. Verùm ne hæc suffocatio tam dispendiosa fiat, diligentia piscatorum continuè glacies ipsa perfringitur, ne cõgeletur, prout inferiùs libro de piscaturis hyemalibus ostendetur. Glacies itaq; primæ, ac mediæ byemis adeò fortis, & tenax est, vt spissitudine seu densitate duorũ digitorũ, sufferat hominẽ ambulantem: trium verò digitorũ, equestrẽ armatũ: vnius palmæ, & dimidiæ, turmas, vel exercitus militares: trium vel quatuor palmarũ, integram legionem, vel myriadẽ populorum, quemadmodũ inferiùs de hyemalibus bellis memorandũ erit. Hæc glaciei fortitudo, etsi tã valida cernitur, naturalibus tamẽ venis, & exbalationibus subtùs in plerisq; locis æstuantibus, ita diuersis rimis, seu aperturis finditur, vt longissimo tractu hiatum relinquat quasi campestris viæ, vel plateæ: quã tamen fissuram prudens viator gyrãdo pene-

Glacies admirãdæ fortitudinis.


penetrat, ne institutum iter, & tempus amittat. Cùm autẽ fissuræ huiusmodi præcipuè de nocte contigerint, non aliter, quàm sæua tonitrua; vel sonorosi terræ motus à longè percipiuntur. Sed ob hoc solicitus viator nihil intentatum relinquit, quin inter voragines conficiat iter. Liquescente tamẽ glacie ad principium Aprilis, nullus eius spissitudini, minus fortitudini, nisi in aurora ambulando, confidit: quia solis diurno aspectu tam fragilis redditur, vt quæ equestres armatos paulò antè portauerat, vix hominem nunc sufferre possit inermem. Viæ autem hyemales, ob inductã frigoris duriciem, qua factæ sunt spissiores, ac solidiores, diutiùs tanquam pontes in lacubus manẽt. Descensuri tamen viatores a glacie in terram, vel è contrà, necessum erit, vt habeant tabulatum pontem. Sol enim calefacto littore, decoquit omnem glaciei cõnexionem. Nec prætereundum hic puto, lacum esse 60. miliarium in longitudine, & 20. in latitudine Italicorum, Veter appellatum, in regno Ostrogothorum: qui talis est naturæ, quòd cum tẽpestuoso vento cõgelatus fuerit, & tẽpus resolutionis immineat, vehemẽtissimo strepitu incipit in fundo ebullire, & cõmoueri, magnaq; violẽtia prorumpere in paruas rimas, vel scissuras, quæ fiunt in glacie: & has in modico tẽporis spatio faciẽs valdè latas, licet pro tunc glacies in spissitudine habuerit plusquã vnum, vel duo brachia. Tuncque cooperante superiore impetu, diuiditur tota glacies in plures particulas: in quibus viatores constituti, vix aliter, quàm Dei preser uatione ad littora dimittũtur, eo quòd ibi vis naturæ secretius, & mirabilius quàm alibi in lacubus operetur. Est etiã lacus prope Metropolim regni Noruegiæ Nidrosiam, qui nunquam congelatur.

Veter lacus

De glacialibus instrumentis. Cap. 15.


QVemadmodũ calidæ, aut tẽperatæ regionis gẽtes à gelu, frigore, niue, pruina, glacie, & hyemali stridori videntur liberæ: ita vix deprehẽdere possunt quàm diuersis artibus, remediis, & instrumentis aduersus huiusmodi austeritates, sub ipso frigidissimo Septẽtrione habitãtes se muniant, & dirigãt, vtpote cùm impossibile sit lubricam percurrere glaciem, aut per eã

onera



onera grauiſsima,ſub maxima diſtantia,ad loca deducere deſtinata,niſi id arte fieret,pro viribus ſubleuãdis apparent ſuperius calcei lignei,ferreis ſubducti cuſpidibus,quoniam viatorum,piſcatorum, ac bellantium congruũt vſibus opportunis. Præterea tricuſpides,ſeu trianguli ferreos ſtylos habentes, tribus angulis, pro firmiori greſſu fabricati: demum circuli flexibiles vndique aculeos habentes,dẽtato more acuatos: quibus omnibus, vt pedibus adhæreant,fortiſsimæ ligæ ſunt annexæ,vt ea firmitate quiuis curſus vel trãſitus ſit ſecurior, & onus quodlibet, vnius vel duorum hominũ vi ducibilius:quod alioquin in arena vel niuibus, fortitudine equorum non traheretur. Sunt & dolabræ, ſiue ſecures,omni glaciei perfindendæ prima,atque aptiora inſtrumenta:quia talibus inſtrumentis aperiuntur gelata flumina plurium ſtadiorum, dum claſsica fieri debeat expeditio in piratas: vel quod Reipublicæ ita videntur vrgere negotia,vt nuntij vltra maria emittantur. Quo etiam caſu, nauigia iumentorum opera, in vehiculis ab vrbibus, & caſtellis ſuper glaciem ad apertum mare repentè educũtur,vt agilitate venatorũ, ac velorũ,ſubito curſu iter aquarũ abſoluãt, quod plurimis diebus haud perficerẽt in iumẽtis. Videtur pterea ferrei ligones pſenti tabulę inſculpti:qa his ſpiſſe atq; indurata glacies cęteris inſtrumẽtis ferreis nõ cedẽs,facilius infringitur,dũ aliæ ſecures chalybe pmixtæ, in vehemẽti frigore ad ſolũ glaciei,vel virẽtis arboris ictũ inſtar

instar vitri rumpũtur, vbi ligones prædicti, siue ferreæ hastæ, fortissimi manẽt. Cæterum vidẽtur harpagines adũco mucrone formatæ, quibus glacialia frusta prædictis instrumentis confracta, quò opus fuerit, facilius trahantur, vel extrudantur, etiam in aperto mari tẽpore hyemalis solstitij, quando nõ tantùm contra molẽ glacialem arcendam, ne naues rumpat, prouidendum erit: sed contra latentia saxa, sed denique contra crudeles inimicos sit congrediendũ. Cernuntur deinde sotularia, vel socculi, quibus aptius ad arbitrarium motum in glaciali pugna ad fortiter resistendum, vel cautè fugiendum, lubrica glacies securius calcari possit.



De bellicis Gothorum obeliscis, & erectis saxis. Cap. 16.


VEterum Gothorum, ac Sueonum antiquissimus mos erat, vt vbi acriores in campis seu montibus instituissent, & perfecissẽt pugnas, illic erectos lapides quasi Aegyptiacas pyramides collocare soliti sint: quibus huiusmodi præclara gesta breuissimo aliquo titulo insculpẽtes, memoriã nominis, & gestorũ suorum perpetuari putabãt, prout eorundẽ tẽporũ vsitatæ cantiones rhytmaticis cõpendijs cõpositæ, continnatisq; seculis in præsentem vsque diem deriuatæ, hanc rẽ ad posterorum memoriam propagarunt. Extant enim in Septentrionalibus locis durissimi montes cinericij coloris, marmoream duriciem longè exuperantes: hi plerunque

runque terræ motu, fulgure, vel alio naturæ impulsu ita concuti solent, vt excisa, deorsumque cadentia saxa partim formam pyramidis, partim quadratarum colũnarum, partim quadrãgulorum, & obeliscorum, quasi insigni naturæ opificio forent fabricatæ suscipiunt, vt inutile vanumque aliquid his superaddere videatur. Sed hæ pyramides seu columnæ, apud Heslingos plures quàm alibi reperiũtur in Aquilone. Obelisci verò, seu sublimia saxa, viribus gygantũ ac pugilum erecta, nullibi frequentiùs, quam apud Ostrogothos, & Vestrogothos, ac superiores Sueones, in biuiis seu triuijs conspiciũtur: atque etiam in vastis solitudinibus, quæ dudum peste, fame, & bellis, habitatoribus euacuatæ, necdum ob inertiam seu negligentiam incolarum, ad pristinum cultum (terra vltro exultante hactenus, nisi rarissimè in formam noualium) sunt reductæ. Habent itaque hæc saxa in plerisque locis erecta, lõgitudinem x. vel xv. xx. aut xxx. & amplius, ac latitudinẽ quatuor, vel sex pedum, mirabili situ, sed mirabiliori ordine, ac mirabilissimo charactere, ob plurimas rationes colloca ta: literato, rectoque, & longo ordine videlicet pugilũ certamina, quadrato turmas bellantium, & sphærico familiarium designantia sepulturas: ac cuneato equestrium, ac pedestrium acies ibidem, vel propè fortunatiùs triumphasse. Scripturæ verò à dextro latere in pede saxorum inchoatæ, vsque in verticem, & tãdem reflectendo in sinistro pede finitæ, vel iterum eodem ordine interius eleuatæ, depressæque terminantur. Habentque singulæ literæ spissitudinem, atq; lõgitudinẽ digiti maioris humani. Licet verò imbriũ, atq; luti iniuria, multæ earũ in imo saxorũ, ob immemorabilẽ antiquitatẽ, sint exesæ, attamen similes earum effectus clarissimè eo modo leguntur: Ego Vsso pro patria certans, 32. pugiles occidi, & tandem à Roluone pugile occisus hîc requiesco. Prætereà: Domitor violentorũ, ac defensor oppressorũ, cicatricibus, & senectute plenus, gladioq; cinctus, hic situs sum Ingoluus. Cùm alij bellicis rebus gloriã quærerent, ego Halstenus paci operam nauans, laudem merui immortalem.

Defunctorum apud Gothos.

Sacra memoria.

B De



De obeliscis sepulchralibus. Cap. 17.

SEd neque veteribus Gothis, alijsque gentibus in Septẽtrione defuit memoria maiorum, quin & eis exhiberent, quos humi recondere placuit, honorabiles statuas lapidum excel sorum, prout hodie cernuntũr mira compagine immensa saxa, in modum altissimæ, latissimæque ianuæ sursum, transuersumque viribus gigantum erecta, præsertim duobus milliaribus magnis à ciuitate Scarensi ad ruralem Ecclesiam Kelby proficiscendo. Ibi enim in quodam triuio tria ingentissima saxa (vt præmittitur) characteribus Gothicis pulcherrimè sculpta videntur. Si quis etiam curiosus indagator de similibus saxis, tam solitudines, quàm apertos campos scrutandi gratia peragrare voluerit, infinita spectacula comperiet, quæ præsentibus haud opus est tædiosiùs insinuare. Vna tamen causa promptior esse possit, quòd non longa distantia ab ea vetustissima vrbe Scarensi erat, arx regia Aaranes dicta (de qua specialiter alibi dicetur) circa quam successiuis seculis, & generationibus, committebantur acerrima bella: de quibus charissimus frater & antecessor meus Ioãnes Archiep. Vpsalensis mirifica scripsit. Sũt & apud Ostrogothos itidẽ, & superiores Sueones, magnatum ac nobiliũ arces latè per regiones in locis natura munitis extructæ: penes quarũ muros, & agros, veterum ingentia saxa cuneato, rotundo, oblongo, & erecto situ terris infixa cernuntur: quorum sublimiora Gothi-

Ioan. Archiep. Vpsa. historiographus.

Gothicis ſcriptis inſignita, quaſi viuẽtis alicuius ducis imperio edocẽt, quid ſequi, vel fugere debeãt eorũ ſucceſſores, virtutẽ ſcilicet amplecti, & vitia deteſtari, &c. Nec dubitandũ eſt; quin eo æuo edictũ ſimile ſeruatũ ſit in Aquilonaribus regnis, contra malignorũ principum & tyrannorũ condienda corpora, ne honeſta potirẽtur ſepultura. Bonorum Principũ obeliſci, & ſaxa, multis ſeculis ante plãtatam fidem Catholicã in Septẽtrionalibus regnis ſigno crucis inſignita adhuc aperte videntur, ſimilem habentia inſcriptionem: Poſtquã dæmonũ fallacia ſeductus erraueram, ad Chriſtianorũ Deum cõuerſus morior, & hîc ſepultus iudicium eius expecto Germundus. Præterea alibi in ſaxo hæc verba experiũtur: Relicta idolorũ cultura mortu⁹, & in Chriſti fide viuus, ſub hoc lapide requieſco Holmſtanus.

Defuncti etiamnum virtutẽ poſteris prædicant, adeò nimirũ viuis fuit preciosa.

Pia Epitaphia.



De ſaxis figuratis, &c. Cap. 18.

Reperiuntur etiam alibi lapideæ tabulę admodum latæ, & excelſæ, gigantum robore terris impreſſæ, imagines habentes draconum, ſerpentum, ac vrſorum inſculptas: contra quos non minores ſumpſere triumphos, quàm hoſtes armatos, prout inferiùs lib. de gigantibus, & pugilibus oſtendetur. Præterea inſignes petræ ſunt in littorib. aquarum immiſſæ, quæ veteri charactere monſtrant, ibidem illuſtres perſonas vario euentu fluminum, tempeſtatum, fulgurum, turbinum, vel inſidiatorũ impulſu fuiſſe necatos.

 Indeq;

Indeq; nomen inditum æuo perpetuo perseuerat. Sunt & lapides alti, quorum aspectu & signo, prouinciarum, præfecturarum, arcium, communitatum, nobilium, ac plebeiorum antiquissimæ possessiones, sine legibus, sine litibus, sine iudicijs vnicuique pacifice permittuntur: documento cæteris nationibus ostenso, quòd inter has simplices gentes plus iuris, & æquitatis ex limitaneis saxis habetur, quàm alibi in multis legum voluminibus, vbi homines se reputant doctiores, & ciuiliores. Sunt & lapides littorales satis sublimes, sine scripturis maiorum industria versus insidos portus reflexi, notabili signo nautas informantes, vt naufragia euitent. Est etiam lapis ingens, & rotundus, circumcirca duodecim minores adiacentes habens, cuneatis petris paululum è terra eleuatus, non procul à metropoli Vpsalensi Morasten dictus: super quem nouus Rex eligendus infinita populi multitudine præsente suscipitur, ac postmodum sacrioribus ceremonijs à Catholicis Episcopis, iuramento defendendæ fidei præmisso, confirmatur.

Terminorū vsus cōmēdatur.

De horologijs vmbrosis. Cap. 19.

SCiendum est, incolas extremi Septentrionis vltra gradum eleua. poli Arctici 86. habitantes, nullum habere solaris horologij vsum, quale Anaximenes Milesius Lacedæmoniensis primùm (teste Plinio) inuenisse dicitur: neque alterius cuiusuis horologij ponderum, rotarum, aquarum, mensurarum per lineas, & interstitia fabricati: sed tantummodo eos vti præaltis, ac depressis rupium cautibus, partim natura, partim ingenio dispositis, qui radios solares infallibili coniectura obumbrant, partesque dierum distingũt, veluti hyeme, noctibus & diebus (luna non splendente) volatilium, & campestrium animalium vocibus, & gestis (quorum copia illic est infinita) clarissimè per experientiam temporum rationem metiuntur. Talibusque, velut obeliscis, aut syluestribus signis, sunt contenti.




De baculis temporum designatoribus. Cap. 20.

QVemadmodum Latini, & Græci authores asserunt, Gothos in armis, & militaribus disciplinis consummatam habere experiētiam, & cautelam: ita & Gothici scriptores aiunt, eos domi forisq; multarum, & vtilium rerum tenere notitiam, & experimentum, & præsertim astrorum scientiam, qua plurimum posſint diuinare futura, prout his annexa figura in parte demonstrat. Cernitur hic homo senex, atq; adolescens, baculum Gothicis characteribus insignitum habentes, tali ratione insculptum, vt videatur, quibus instrumentis vetustissimo tempore, dum librorum vsus non esset, lunæ, solisve, & cæterorum syderum virtutes, & influentias infallibili euētu cognouerint, prout hoc tempore ferè incolæ omnes agnoscunt. Baculus itaque humana longitudine formatus est, vtroq; latere numero hebdomadarū anni, pro qualibet hebdomada Gothicas literas septem habēs, quibus aurei numeri, & literæ Dominicales (post acceptum Christianismum) patria voce, ac figuris distinguuntur. Nec alijs libris multiplici temporum circulo in astrorum interpretationibus vtebantur. Cæterum parentes filios suos laicos, imò mater filias, vel domi feriatis diebus, vel in accessu Ecclesiarum, ita instruūt, vt non minus eruditione, quàm experientia artis indies efficiantur perfectiores. Vetusta enim gentis consuetudine, baculis his rurales Ecclesias visitando in pro-

Qua ratione astrorū peritiā asse quebantur Gothi ante librorum vsum.

in prolixis itineribus laici se sustentant, atque pariter conuenientes, certis adductis rationibus, veriores venturi anni iudicant qualitates, quàm forsitan alij specu latiuis scientijs, aut præstigiosis prognosticationibus inhærentes. Prætereà polum Arcticum mirè obseruãt, vti gnomonem totius cælestis horologij. Item Plaustra, seu Vrsas, Colum ac Fusum Veneris, tanquam familiaria antiqui numinis signa: quorum natura inspecta, mirè prouident casibus euenturis.



De Alphabeto Gothorum. Cap. 21.

AB antiquissimo tempore cùm essent gigantes in Septentrionalibus terris, hoc est, longè ante inuentas literas Latinas, & antequã Carmenta ex Græcia ad hostia Tyberis, & Romanum solum cum Euãdro perueniret, expulsisque Aboriginibus gentem illam rudem, ac planè syluestrem mores, & literas docerent, habuerunt Aquilonaria regna suas literas. Cuius rei indicium præstant eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis, ac specubus affixa. Quod si quis vi gigantea, & vetustissimo seculo patratum ambigat, eò accedat, miraque maiora ad stuporem vsque videat, quàm scriptura aliqua polliceatur, vel præstet. His itaque (vt in historia charissimi fratris mei Ioannis Magni antecessoris Archiepiscopi Vpsalensis libro primo capite septimo habetur) res gestas lapidibus imprimen-

Ioãnes Magnus Historiographus.

primentes, sempiternæ memoriæ tradiderunt. Nonnulli etiam pro priuatis computis, instar Aegyptiorū, varijs animalium figuris pro literis vtebantur, & adhuc domestica sagacitate vtuntur, vt inferius mox dicetur: quarum similes adhuc Romæ in veteribus obeliscis conspicari licet, in quibus singulæ literæ singula nomina exprimebant, vtputa: lupus, auarum: vulpes, insidiosum: apis, Regem: quia moderatorem populorum oportet cum iustitiæ aculeo, clementiæ mel habere commixtum. Præterea, vt epistolæ papyro inscriptę nunc inter homines mittuntur, ita olim Aquilonares incolæ, literas ligno insculptas pro celebri genere chartarum ad inuicem destinabant: imò & nunc non suppetente papyro, in militaribus castris, aut obsidione vrbium, cortice seu codice arboris Betullæ, in laminas imò subtiles bracteas discisso, pro scribendis epistolis opportunè vtuntur, eoque securius, quò cortex huiusmodi nulla imbrium aut niuium iniuria deuastatur. Reperiuntur etiam homines Septentrionalis plagæ adeò sagacis ingenij, vt cùm neque Gothicas, neq; Latinas literas vnquam didicerint, sibijpsis ex rerum figuris & instrumentis alphabeta componant: eisq; pro subleuanda memoria in pelle, charta, vel cortice singulariter scribendo vtuntur. Hocque secretum nullis nisi domesticis communicant, atramentum fieri iubentes ex carbone trito, & lacte, vel cōmuni aqua.

Gothi etiā animaliū figuris pro literis vsi sunt.


Cortices arboris Betullæ scribendis literis apti.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS *de mira natura rerum Septentrionalium.*

EPITOME LIBRI SECVNDI.

De venis sulfureis, & combustione aquarum. Cap. 1.

SVnt quædam sulphureæ venæ riuis aquarum vicinæ, quę plerunque accensæ, latius, in modum flammarũ, cuncta in circuitu depopulaturę vagantur. Quod spectaculum in Islandia, & Scotia, terris frigidissimis, continuo ardoris incremento habitatores intuentur. Prætereà in Meridionali Gothia, non procul à ciuitate Vexionensi, campestris & limosus lacus est, qui ignea sua virtute, quodcunq; coctile in eo dimissum chordaq; extractũ, quasi momentaneo vel exiguo tẽporis momento, coctum vel adustum remittit. Hancq; naturam, lacũ similem, prope metropolim Nidrosiẽsem regni Noruegiæ, habere compertum est, eo præcipuè argumento, quod in medijs frigoribus nunquam congelatur.



De quorundam montium admirabili natura. Cap. 2.

In

IN Islandia qualis naturę montes sint, iā arbitror ferè toti mundo compertū: eò quòd vltra veterum relationem, in charta nostra Gothica descriptionē Ptolemæi supplendo, horū motium sitū, & naturā ostendimus esse singularem, scilicet in eorum vertice niuem fore quasi perpetuam, & in base ignem sulphureū continuè sine sui cōsumptione exardescentē. Qui propius accedunt, vi pulueris & fauillę scaturiētis facilè suffocátur, & maximè cùm in multis locis, torride voragines cum cinere apparent montiū combustorū & vallium: quæ iterū tacitis incrementis sulphureis succrescentibus, quasi circulari temporū spatio disponuntur ad combustionem. Sunt etiam intra Noruegię limites vastissimi, altissimiq; montes: quatuor dietarum ascēsuros, totidemq; è vertice descensuros admittentes.

Islandiæ & eius gentis descriptio. Cap. 3.

ISlandia terra est subiecta polo Arctico, vento præsertim Circio opposita, ac mari Glaciali propinqua, atque ob id dici meretur Terra glacialis, seu vltimum Tyle, nulli veterum non celebrata: cuius incolæ à Saxone Sialandico continentissimi dicuntur, religione satis Christiani, propriam scripturam, historiamque rerum magnificè gestarum habentes. Suique temporis adhuc acta conscribunt: quæ & cantibus, ac rhythmis recolunt, atque promontorijs, seu scopulis insculpunt, vt nulla, nisi cum naturę iniuria intercidāt apud posteritatem. Situs insulæ extenditur inter Austrum, & Boream, longitudine centū milliarium Germanicorum. Pro maiori parte montosa est, & inculta, præsertim versus plagam Septentrionalem, ob austera spiracula prædicti venti Circij, qui nec frutices eleuare permittit. Insula est insolitis miraculis prædicanda. Rupes etenim, siue promontoriū in ea est, quod instar Aetnę perpetuis ignibus æstuat. Ibiq; locus esse creditur pœnæ, expiationisq; sordidarum animarum. Illic nempe spiritus, seu vmbræ, comperiuntur se exhibentes manifestos humanis ministerijs, siue alio violento casu enectorum. Spectra sese offerunt congressibus notorum hominum tam manifesta, vt tanquam viuentes

Mons ignivomus, qui creditur animarum purgatoriū. Spectra ceu vmbræ.

viuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum, data dextra. Nec deprehenditur error, priusquàm disparuerint vmbræ. Incolæ plurimum præsagiunt fata principum, quídve remotius in orbe peragitur, reuelationibus apparentium spectrorum non ignorant.

De sonitu horribili littoralium cauernarum. Cap. 4.

Angermannia. EST pretereà in Septentrionalibus plagis insignis quędam prouincia Angermannia appellata, cuius incolæ peritissimi sunt venatores: eo etenim quæstu, videlicet pellium pretiosarum venditione, ingentes diuitias consequuutur. Sunt & agricultores optimi, ita vt præter planos ac decliues agros, sublimia montium latera, beneficio ignis ac niuis, in natura fertilissimorum agrorum adaptare norint. Ignem nanque in densum fruticem, atq; herbas autumnali æquinoctio immittunt, cineremque, & puluerem exinde productum, superuenienti niuium casui studiosè disponunt, vt eius viscositate veluti bouino stercore pinguescant. Quò fit, vt lætiorem segetem, messemque vberiorem exinde reportent. Sed de his inferius de agricultura dicetur. Habet etiam hæc prouincia plures altissimos montes: quorum vertices continuo candore niuium, toto anni tempore, excelsum aspectum nauigantibus in Bothnico mari præbent, ita vt eminentissimo signo perspecto, plurima portentosa pericula euadere, atque securiores portus attingere possint. Prætereà vbi ad bases eorum in profundissimo gurgite stantes, casu aliquo, vel proposito nautæ accesserint, tantum horrorem ex alta fluctuum collisione percipiunt, vt nisi præcipiti remigio, aut valido vento euaserint, solo pauore ferè exanimes fiant, multoque dierum curriculo, ob capitis turbationem, pristinæ mentis, & sanitatis compotes vix euadant. Habent bases illorum montium in fluctunm ingressu & regressu tortuosas rimas, siue scissuras, satis stupendo naturæ opificio fabricatas: in quibus lõga voragine formidabilis ille sonitus quasi subterraneum tonitru generatur. Cuius causam vt improba iu-

ba iuuentus aliquando curiosius, quàm securius scrutabunda, aggressa est, ira ilico oppletis aqua nauigijs ex superioribus rimis, ac ventorum strepitu, cum admiratione vitam amisere. Vt tamen periculum hoc euitetur, immensa montium altitudo niuoso verticis sui candore signum remotius nauigantibus Incidè ostendit, moneróque anticipare fugam, ne natura inscrutabilis soni parens, nullum remedium contra latens, & insidiosum malū concessisse videatur. Imò etiā ad plura milliaria per aëra ab eisdem montibus exhalatus, terribilis ille sonus aures nauigantium allabitur, admonens tristitsimæ garrulitatis eius ruinam procul effugere, quam cominus positi nequeant sustinere. Quid autem Vincentius in Spe. hist. libr. trigesimoprimo capite vigesimoquarto de simili materia sentiat, verbis eius, vt iacent, ostendetur. Apud Tartaros mons quidam exiguus est, in quo foramen quoddam esse dicitur, vnde in hyeme tam maximæ tempestates ventorum exeunt, quòd homines inde vix, & cum magno periculo transire possint. In æstate verò semper quidam ibi ventorum sonitus auditur, sed de foramine tenuiter egreditur. In Septentrionalibus autem lacubus congelatis sub ipsa glacie, ob ventum inclusum, non minor auditur sonus, quàm saui tonitrui ex densitate nubium in lateribus coarctati. De quo infra capite de Piscaturis glacialibus aliquid ostendetur. *Vincent. in Spe. hist.*

De rupe Monachi marini.
Cap. 5.

SVb dominio quondā ditisimi regni Noruegię pro pe insulā Farensem, mōs est eminēs in Oceano, quē appellatione conformi nauigantes Monachū vocant. Habet enim naturali suo situ, & incisione partium, præsertim verticis, cappā cōtextam, imò & proprietatem,



tem, vt omnes in dira tempestate ad eum confugientes, tutissimè susceptos consoletur. Quinimò væ omnibus his, qui vi ventorum agitati non attingunt fimbriam, vel sinum eius: quoniam ibidem adeò sæuiunt venti Circij, & Septentrionales, vt eius asperitatem euasuri nautæ, cogantur intentissima arte, & viribus, labore, & summa experientia omni momento attendere, & vigilare, qualiter effugiant ad Monachum illum, tanquam portum securiorem. Prætereà in septentrionalibus aquis plurimi excelsi montes, quasi signa securi portus, in qualicunq; tempestate, vel tranquillitate petendi videntur. Sed ante eorum introitum, plura latent cæca saxa: quæ, vt remissiore vento plura nauigia obruunt, ita tempestate prodita, ob eleuatas vndarum spumas, mirabilius saluant. Sunt prætereà montes falconum, aquilarum, & coruorum, nautis recessuris securitatem, vel fugientibus cautelam, ne appropinquent, ostēdentes. Insuper montes litium, imò arces fortissimæ, presertim in orientali Finlandia, occasione præliorum Moscouiticorum super fauces rupium erectæ, talique munitione artis & naturæ firmatæ, vt facilius montes, quàm ipsas arces, vndecunque emergat insultus, intercipiant occidentes.

De rupe



De rupe Coronata, & multitudine piscium. Cap. 6.

NE vllum sileatur rerum naturæ opus, monstratur hic in occidentali Bothnia versus extremas Septentrionis partes in parochia Lula Vpsalēsis diœcesis, rupem esse maritimam, Biuraklubben vulgariter appellatam, quæ excelso suo vertice à lōgè nauigantibus tridentata, seu coronata videntur. Cuius aspectu, vmbra, aut portu, si nō fruerentur indigenæ maris expertissimi piscatores, neque tutam haberent viam, neque commodum victum inuenirent. Sua etenim mira celsitudine, orta densissima nubium caligine, prospecta in medijs vndis (prout anno Domini M.D.XIX. expertus fui) saluantur errantes. Tanta etenim cōdensati aëris, ac caliginis solet esse obscuritas, vt vix in exigua naui proram tenens è puppi respiciatur. Applicando tamen ad littus, tanta in base eius piscium multitudo hinc inde inspicitur, vt magnū stuporem visui generet, & omnimodam stomacho adferat satietatem. Pars etenim huiusmodi piscium, marini laticis salsugine in planitie montani pedis aspersa, ventoq; torrefacienda, spatio duorum vel trium ingerum dilatari solet super tellurem planam: pars hastis erigi, pergulisq́ue extendi, præcipuè pisces maioris speciei, vt sole & aëre desiccentur. Omnes tamen vel domestico vsui, vel negociatorum lucroso quęstui, etiam vltra marinis necessitatibus, ac voluptatibus reseruātur, maximè, vt horum commutatione copiam annonæ (quæ renuitur ibidem

Aër admodum caliginosus.

ibidem ob circunstans frigus maturescit) acquitant, ac his, qui solitudines inhabitant, loco deliciarum, vt rursum syluestres opulētias in pellibus pretiosis recipiāt, valeant exhibere. In pede igitur huius Coronati montis tantus odor suspensorum piscium exoritur, vt longo maris interuallo eundē adnauigantes sentiant præcurrentem. Eoq; odore percepto, sub tempestuosa caligine laborantes ab imminente naufragio seipsos, & bona præseruare nouerunt.




De fluxu & refluxu Oceani. Cap. 8.

Roest & Loffoeth charybdes.

SVnt in charta mea Gothica, seu descriptione Septentrionalium regionum, certi finus Oceani littoribus Noruagicis hic insculpti, scilicet Roest, & Loffoeth: inter quos tantus est maris hiatus vel Charybdis, vt incautè appropinquantes nautas sua repentina circūuolutione, vi & industria gubernatoris adēpta, absorbeat in momento, maximè naturā loci ignorantes, vel aliàs vi tempestatum appulsos, aut periculum imminens per contemptum paruipendentes. Quocirca volentes ex Germanicis oris eò nauigare, peritissimos quosque conducunt Naucleros, seu Gubernatores, qui longa experientia, quomodo obliquādo, dirigendoque tutius pericula euadere possint, didicerunt. Hique longo maris spatio Gnomonis directione, ne in Charybdim incidant, iter variando instituere solēt: & maximè circa populosissimas villas Andanes, & Trondanes, & tres alias insulas vbi pars maris Mo-

ris Mostastroom appellatur: quo loco æstus est altior cæteris adiacentibus aquis. Mare etenim ibidem intra cauernas accedente, fluxu inflatur, & effluxu reflatur, quanto maximo impetu deferuntur torrentes, vel rapidi fluctus. Nauigatur hoc mare (vt dictum est) periculosissimo euentu, quia iniquo tempore nauigantes subitò rapiuntur in voragines circulares. Naufragiorũ reliquiæ perrarò redduntur: & si redduntur, ita collisione scopulorum attrita robora videntur, vt quasi lanugine obducta appareant, & comminuta.



De Charybdi, & mira natura glacierum. Cap. 8.

PRoximè præcedenti capite dictum est, quàm periculosa sit nauigatio Noruagici Oceani, maximè vbi inscrutabili ratione vasta Charybde, nisi valde præuiderint, nautæ periclitantur. Hic igitur longissimæ noctes, frigora intensissima, rupes alicubi quasi turres latentes, beluæ truculentæ, & formidabiles, vt infrà de monstris ostendetur. Præterea crustatę glacies, quasi parietes ingentium domorum tempestatibus dirutarum, tanquam ineuitabilia naufragia è proximo productæ. Sed hæc omnia tolerabiliora sunt in quauis periclitatione subeunda, quàm experiri commiserationem Hybernicæ gentis, quæ (vt plurimis probari potest exemplis hic omissis) per lachrymas inuitare solet afflictos, vt bonis nudatos, semiuiuos dimittant

Noruagici Oceani nauigatio periculosa.

Hybernorũ crudelis cõmiseratio.

mittant ad laceras naues. Quantum verò admirari gla cierum naturam attinet, hoc pro certo seruatur, quòd littori Islandico (teste Saxone) magnis molibus glacies appellitur: cuius si crusta in vase asseruetur, quanuis magna diligentia, tamen disparet statim atque reliqua eius generis glacies recedit à promontorio in altum. In vastis autem solitudinibus, maximè sub spinis Iuniperorum, itidem & sub paleis ingentium horreorũ, & scandulis picearum arborum, adhuc Sole in Leone stationem habente, cõseruatur: eaque inde extracta voluptuosi potatores, æstu Solis durante, in vino vel cer uisia immersa vtuntur. Nulli tamen niuem epotandis calicibus cuiuscunque liquoris, ob viscositatem eius haud depuratam, immiscent: tineas enim habet secretas, & cannatas, veluti lanei panni.

Nix habens tineas.

De scorteis, seu coriariis nauibus piratarum Gruntlandiæ. Cap. 9.

HInc ostendẽdum erit iter à portu Vestrabord eiusdem Islandiæ ad marinam, excelsámque rupem Hutisark dictam, quæ mediam nauigationem cõtinet ad Gruntlandiam: in qua genus piratarum reperitur scorteis nauibus vtens, arbitrariaque nauigatione non tam supernè quàm infernè, forinsecus sentinas negotiatorum terebrando insidians. Vidi ego binas huiusmodi nauiculas coriarias Anno M. D. V. super Occidentalem portã intus in Ecclesia Cathedrali Asloensi, Diuo Haluardo dedicata, quasi pro spectaculis muro appẽsas: quas eiusdẽ regni rex Haquinus bellica classe littora Gruntlandiæ pertransiens, dicebatur acquisiuisse, fortè nauigia sua suffocare meditantes. Incolæ enim illius regionis, non exilem spoliorum quæstum sibi comparare solent, per has & similes artes insidiosas, quas furtiuo ingenio tacitè tabulas nauium inferius (vt dictum est) terebrando, aquæ ingressum procurant, & illicò præsentissimam suffocationem.

De inſcrutabili profunditate littorum Noruegiæ. Cap. 10.

TAnta eſt in plerîſque montoſis littoribus Noruegiæ immenſurabilis profunditas, vt funibus quan tis repleri poſſit nauis ingētiſſima, bolide plumbea inferne demiſſa, fundus aliquis nequeat inueniri: eaque naturæ vis eſt, vt quantò ſublimiùs mōtes in excelſum promineant, tantò in eorum radicibus inſcrutabilior profunditas appareat: licet eorum ſublimitas reſpectu cœli minima ſuper terram reputatur. Pedes etiam horum montium ita cauernoſi, profundique, & obliqui ſunt, vt funibus immiſſis, quorſum tendat eorū hiatus, difficillimè cognoſci poſcit. Præterea in inſula Bornholm Regi Danorum ſubiecta, lacus non admodum ampli reperiūtur, quorum profunditas non inuenitur. *Burnholm inſula.* Demum apud montanos Dalacarlos, id eſt, viros vallium, lacus Runden, id rotundus dictus eſt, qui menſurabilem fundum non concedit. *Runden lacus.* Deinde non longè à regia Holmenſi Sueciæ, locus in ſcopulis marinis eſt Rundiſualia vulgariter appellatus, id eſt, rotunda vorago, vt neque ibi rimari poſſit, quàm altus ſit eius fun dus. *Rundiſualia.* Putei prætereà plures reperiuntur, & exigui lacus, quorum profunditas ſæpiſſimè explorata inueſtigari non poſſit. Apparent etiam longiſſimæ, ſed valde anguſtæ rupium, ac montium ſpecus, quaſi ferro cauatæ, vel exciſæ, in opacos currentes receſſus: in quibus concrepentibus aquis tranquillitate, vel tempeſtate accedentibus, ſonus terribilis excitatur: à quo niſi celeriter aures retraxerint appropinquantes, tam vehemēti tinnitu obruuntur, vt pluribus horis ſine auditu, ob excellentiſſimum obiectum, remaneant tabeſcentes.

De portubus annullorum ferreorum. Cap. 11.

DIcto ſuperiore capite, quā inſcrutabilis in littoribus Noruegiæ inter excelſiores mōtes ſit profun ditas: nunc oſtendēdum erit, quomodo inter ſinuoſas, ſcopuloſasq́; voragines ad nauigātes ſecurius abſq́; anchoris inuenire, firmareq́; poterint ſuas ſtationes. Quo circa cernūtur hic annuli ferrei, clypeo militari ampli-



ores, fuſo plumbo lateribus multorum montium, ſucceſſiuo maris tractu, quondam bonorum Regum magnificentia, & ſumptu, præcipuè verſus opulentam ciuitatem Bergenſem infixi, vt æſtu vel tempeſtate vrgente, ſubitò funibus immiſsis, quaſi inter abditas cauernas ſolidentur nauigia magna. Sed oportebit vt ignari viarum non ſint, qui tam periculoſo labyrintho ſeſe committere velint. Littus enim ſcopulis & rupibus ita obuium eſt, vt inde egredi, vel progredi nequaquam valeant inexperti: imò propter eius, & ſimilium locorum (vt infrà de inimicis claſsibus, ſpecialius dicetur) difficultatem, & aſperitatem naufragabuntur. Et ſi bellicę naues eò vel piratarum hoſtili impetu, vel tempeſtatum impulſu appulerint, conſiliis auxiliiſque deſtitutæ, ſæpiſsimè tum fame, tum frigore, tum aggreſſu incolarum, miſerabili ſpectaculo veluti contra elementa pugnaturæ conſumuntur. Huiuſque calamitoſi euentus in ſimili caſu, ſi quis legerit Noruegianorum Danorumq; annales, præſertim Regis Chriſtierni ſecundi, horribilem in omnibus reperiet infelicitatem. Ideoque ſæpiſsimè terrentur hoſtes ab ingreſſu horum ſcopulorum, ne ſeuerius, & ſecretius ab apertis vel latentibus ſaxis inter montes, quàm patentibus inimicis in gurgite conterantur.

Chriſtiernus II. Danorũ Rex.

Deſe-

De periculoso transitu montium Scars & Sula, inter Suetiam & Noruegiam.

Cap. 12.

PRouincia est in Septētrionalibus regnis Iempthia dicta, Archiepiscopo Vpsalensi cum manerie seu curia Vesterhusia appellata, ex immemorabili tempore subiecta. De qua Iempthia per excelsissimos montes prædictos in titulo, non minus terribile quàm periculosum iter æstiuo tempore conficiunt incolæ terrarum & peregrini viatores: qui aliàs hyeme per congelatas paludes, stagna & amnes breuioribus compendijs & semitis, quocunque placuerit proficiscuntur. *Iempthia. Vesterhusia.*

Mōtes enim illi vastissimi, quales in Europa vix sunt, Orientali parte sub pedis ingressu portas seu aperturas habent durissimo silice, partim naturali scissura, partim antiquorum principum sumptu, pro publica vtilitate excisas aut perforatas. Post quas inter montium latera tantum etiam in media æstate sentitur frigus, vt nisi viatores more hyemis multiplicato vestitu sese munierint, ferè irremediabile periculū subita aëris mutatione incurrant, donec ea mōtana viscera vallesq; frigidas exire contingat. Deinde à montibus plurium dierum itinere descensuris, maius quandoque periculū imminet, vbi penduli pontes ligneis montiū fulcimentis lateribus affixi, propter casum niuium ac tempestatem arborum euulsarum aut cadentia saxa confracti vel semirupti videntur. Nec alia perplexis spes suffragatur, quàm quòd pontium reparationem cōmuni ope ra incolarū expectent, cùm nullus per altissimos montes ac profundissimas valles viarū circuitus inueniatur. Hæc & similia cū viatores imminere prouiderint, expensas secum afferunt sufficientes, ac si castrēsem aliquam obsidionem illicò subituri, ac seruaturi essent: iumentorum alioquin paucam curam, ob herbarum copiam & aquarum commoditatem habentes. Scaturiunt enim toto viarum transitu ex brachiis montium abundantissimi fontes, satis grato sapore ab omnibus commendati. Quòd verò tantam difficultatem illic patiuntur itinerantes, mirum nō est: quia propter excelsa *Frigus extremū æstiua te media.*

rupium præcipitia, quę difficillimè euitari, vel reparari possunt, omnia sagacissimo ingenio penetranda videntur, & maximè cùm in vno situs sit inuius, & in altero ruinis, aut saxis oppletus. Prętereà limites adeò angusti, vt viatoribus, ac iumentis, præsertim insuetis, vertiginem capitis, & oculorum caliginem afferãt, & plerunque irreparabilem lapsum.

De statuis viarum in montibus niuosis. Cap.13.

Montes Doffrini. MOntes etiam sunt alio vocabulo vulgari Doffrasiel, siue malueris, Doffrini appellati, Suetiam à Noruegia diuidentes, tantæ molis, & sublimitatis, vt multorum dierum itinere versus Occidentem, seu Orientem proficiscentibus, ob indigestas niues, perpetuò appareant albicantes, quasi cãdidæ nubes in altissimo aëre condensatæ. Quo euenire solet, vt eò itinerantes, ob repentinum casum niuium, per vias intueantur cõcludi: è quibus tandè laboriosis viribus non minus sese explicare contendunt, quàm si inter glaciales vndas constricti conarentur exire. Quocirca veterum Regum (qui quondam piissimi in Noruegia erant) prouida magnificentia factum est, vt excelsæ statuæ è viuis lapidibus excisæ, per cacumina montium videantur erectæ, ac fortissimè, ne vi ventorũ decidant, plumbo vel ferro firmatę. Compertũ etiã est in Sueticis terris, auiculas volatu excitasse globulos niuium, quorum augmento, casuque, flante Australi vento, arces, & villæ sunt prostratæ. Habetur tamen in his Doffrinis montibus hospitium, quo recreentur huius periculosi itineris viatores: non tamen vino prouisi.

De transitu tenebroso.
Cap.14.

QVandoque etiam vtilitate, vel necessitate vrgente, satis ingeniosum modum habent populi Septentrionales, in nemoribus nocturno tempore pertranseundis, imò & diurno, quando in remotioribus Aquilonis partibus ante, & post Solstitiũ hyemale cõtinuæ noctes habentur. Quique his remedijs indigẽt,

cortices

cortices quercinos inquirunt putres, eosque collocant certo interstitio itineris instituti, vt eorum splendore, quò voluerint, perficiant iter. Nec solùm hoc præstat cortex, sed & truncus putrefactus, ac fungus ipse Agaricus appellatus, in summitate arboris glandiferæ crescens: cuius virtus, & natura est, vt nocte reluceat, sicuti & vermes alati, volantes ad æquinoctium autumnale: hi tamen, quia frigore correpti mox deficiunt, ad nullum vsum deputantur. Ideoque frequentius quercū putridam, agaricumque (seipsos propria luce prodentes) colligunt, ad prædictum sylvestrem, imò domesticum vsum, scilicet vt eius luce tanquam ardenti lumine, securius accedant loca combustibili materia plena, vt sunt horrea hyemalia, matura messe, fœnoque repleta. Inueniuntur etiam homines eo acumine oculorum prediti, vt sine quouis lumine materiali fere omnia videre, tractareque se posse glorientur.

Cortices quercini putres pro lumine.

Fungus Agaricus noctu lucet.

Admirāda in hominibus oculorum acies.



De luminibus & tedis piceis. Cap. 15.

POpulus Septentrionalis lōgissimis noctibus subiectus vario vtitur genere luminū, quo necessaria exerceat officia pro domestica cōmoditate. Igitur sciendum est, Suppolares homines tempore hyemali vsu pinguedinis marinarum belluarū, in omni sua commoditate perficienda viuere. Quam quidem pinguedinem vulgari eorum Traan, aut Lyse vocant, à lucendo, quia lāpadibus immissa, clarissimè ac amplissimè lucet, maximè in ędibus magnarum familiarum, & ecclesiarum,

Traan aut Lyse piscium pinguedo.

 vbi

vbi perpetuum pro reuerentia corporis Dominici requiritur luminare. Sed ne à coruis nocturnis seu noctiius aut vespertilionibus absorbeatur, ferreis craticulis os lampadum occlusum seruant. Præterea tedis pineis connaturalem picem habentibus, vniuersali varietate, quemadmodũ vsualibus candelis in toto Septentrione vtũtur, eo videlicet modo, vt ambabus manibus occupatis, diuisos subtiliter scandilos piceos baltheis certo numero submissos, ori vel capitis tegumento, à fine altero ardentis imponant: sicque, quò libuerit nulla ventorum iniuria impediti proficiscuntur, atq; alia, quæcunque placuerit operantur. Parsque candelis cõmunibus brachiali longitudine, iuxta noctium prolixitatem, accensis vtuntur. Tempore autem bellorum, quæ frequentius obscura longaque hyeme, quàm æstiua committũtur, tedis exquisitę picis, per equestres seu pedestres turmas, facilius etiam Abietina resina confectis incedunt.

Bella hyeme quàm æstate crebriora.


De irruptione aquarum stagnatarum. Cap. 16.

INter mirabilia Septentrionalis plagæ aquarum spectacula vnum est, non tam frequens quàm noxium habitantibus in prouincia Middelpadensi versus Boreales partes Suetiæ superioris, vbi ferè maior pars virorum Huni nomine appellantur, tanquam populi clarius contra Hunos olim belligerantes ac triumphantes. In ea prouincia vastus amnis est, cuius aquę lapsus tam præcipiti volumine defertur, vt animalia nãdi vigore defecta plerunque pessundare soleat. Ex summis enim montium cacuminibus manans, dum per cliuorum prærupta saxis exceptus eliditur, in profunda vallium multiplicato aquarum strepitu cadit. Verùm continuo saxorum obstaculo repercussus, celeritatem impetus eadem semper æqualitate conseruat. Itaque toto aluei tractu vndis vniformiter turbidatis, spumeus vbique candor exuperat. Hæc tamen consideranda est eius natura terribilis, quòd singulis annis paululũ ante Solstitium æstiuale, tanta glacierũ arborumq; connexa congerie tribus locis oppletur & constringitur, vt inferiores aluei eius ripas inhabitantes, imminente eius

Middelpadia.

Huni.

eius irruptione, fugere cogãtur ad loca eleuatiora. Intereà tamen nuntijs, quo in termino formidabilis ille lapsus maneat explorant ne rapidus eius cursus improbas exerceat vires. Amnis itaque ipse, etsi in omni sua irruptione cunctis vicinis imminet, tamen vbertate electorum piscium, Salmonum scilicet ac aliorum, omnibus affert opulentum quæstum: qui nedum illius terræ incolis ad vsum domesticum sufficiunt, sed & vltra marinas partes ingentibus nauigiis exportãtur. Hancque virtutem perpetuò retinet, vt quantò marinis alueis vicinior extenditur, tantò melioribus piscibus superabundet. Nec deest offerentium liberalis & grata piscium exhibitio ac donatio, si quis occurrerit hospes donaria recepturus. *Amnis Salmonum & electorũ piscium dites.*



De tribus famosis lacubus Gothorum. Cap. 17.

Plurimi insignes lacus sunt in Aquilonarib⁹ terris, magnitudine, & situ mirabiles: quorum præcipuus est in regione Vestrogothorũ Vener dictus 130. miliaria Italica in longitudine, & ferè totidem in latitudine habẽs, in multas variasq; diuisus insulas, & vastis illabentibus fluuiis iisque maximis oneratus vltra viginti quatuor, vnum solummodo exitum (de quo mox infrà dicetur) cõtinens. In hoc lacu, & circa hunc plures sunt magnificæ ædes nobilium: quarũ præcipua est arx Leckio in alta rupe, opera episcoporum Scarẽsium fabricata, puteũ habens saxo durissimo incisum super altitudinem 200. pedum. Incisio autem hæc non fer- *Lacus Ven. 24. fluminalacũ intrantia, vnum habẽt exitum. Leckiõc Episcopi Scarensis, vbi puteus 200 pedum altitudine.*

 ro tan-

ro tantum, sed flamma trecẽtis porcorum pinguissimis lateribus igne successiuis diebus immisso, & extracto enutrita. Nil enim celerius petrarum duritiem gentibus illis penetrare compertum est, quàm laridum, vel axungiam porcellorum. Adiacent prætereà huic lacui oppida vetustissima, Lidecopia, & Tinguallia, ex mine ris electissimi ferri, & chalybis retinentia quęstum opũ lentũ. Est prætereà lacus alius Vether dictus, adeò claras & perspicuas aquas habens, licet virenti colori con formes, vt obolus in profundo situ videri possit. Super hunc lacum est insigne monasterium diuæ Brigittæ, aliàs Brigidæ, & filiæ eius sanctæ Catharinæ, vtriusque opulentia, & deuotione fundatum, & dotarum. Prætereà aliud oppidum Ionacopia dictũ in Australiori parte, magnificis Regum comitiis memorabile in omni æuo secuturo. Extant & mineræ inexhaustæ huius lacus versus littus oppositum Septentrioni. Demum mo nasterium Aluastra diui Bernardi temporibus sumptuosè ædificatum, & dotatum. Prope hunc locum in villa Tolstada, Rex Suercherus in nocte natalis Christi à proprio stabulario freno pro armis vtente, occisus fuit. Tertius lacus Meler dictus: in cuius littoribus ciuitates, arces, & nobilium magnificæ ædes sitæ sunt. Prætereà non longè inde in terra firma, mineræ argenti inexhaustæ, cuprique, ac ferri, vltra humanam æstimationem pretiosæ. Et hinc prouenit, Regem Suetiæ, ac Gothiæ, reliquis Europæ principibus in omni thesauro, & opulentia nunquam esse, aut fuisse inferiorem. Sunt etiam lacus recentis aquę in montibus Lapponiæ, Lulatresch dicti, longitudine 300. miliarium Italicorum 120. latitudine. Prætereà alia multa collateralia stagna, & lacus paulò breuiores, ac latiores, adeò piscosi, vt in tota Europa, ne dicam orbe integro, vix habeant pares. Deinde famosissimus lacus Albus sub polo: demum Pienthen in Finlandia cum similibus infinitis lacubus, stagnis, fluuijs, & altis venis.

Petræ cauãtur ardente axũgia.
Lidecopia.
Tinguallia.
Veter lacus limpidissimus.
Monasteriũ diuæ Brigittæ viduæ.
Ionacopia.
Aluastra monast.
Rex Suercherus occisus freno.
Meler, lacus.
Mineræ argenti, cupri, ac ferri inexhaustæ
Lulatresch lacus ingẽs & pisculentus.
Lacus albus.
Pienthen.

De specubus insidiosis. Cap. 18.

Dictum est superiori capite, in vnum lacum Vener ex altissimis montibus Noruegiæ, & Suetiæ viginti

ginti quatuor maxima flumina ingredi. Et licet eorum introitus valde stridulus, & verticosus sit in omni descensu tamen montibus tam amplo circuitu resistentibus nusquam nisi vnicum inueniunt exitum: huncque tam rapidum, & sonorosum, vt vltra viginti Italica miliaria audiri possit. Nomenq; vulgare habet Trolhetta hoc est, caputium dæmonis, fortè propter horrorem, quem sono, stridoreque generat, in paludinosam planitiem cadens: vel quia sub eius descensu præcipiti, reperitur insignis spelunca latronum: ad quam angusto tramite fit accessus, solùm ab ipsis latronibus ac furibus frequentatus, eò quòd fluuius ille rapidus, & verticosus sit, suspicionem omnibus adimens, quòd nequaquam ibidem malefactorum collectio fiat, præsertim tempore æstatis. Sed hyeme ob exhalationem fumi deprehensi, velocissimè rapiuntur ad pœnam, spoliaque pretiosissimæ supellectilis, argenti, auri, & pellium pretiosarum ad Principis fiscũ. Vnde nullo intra semestre tempus legitimo comparente accusatore, cui bonorum ablatorum, lege & consuetudine restitutio fiat, iussu Principis pro tuenda publica pace, exinde confecta nauigia, fluminibus maris influẽtibus immittuntur, vel aliis munitionibus fossarum, seu murorum sagacitate præfectorum prouincialium deputantur.

Trolhetta ostium Vener laci.


De excellenti antiquitate Regiæ arcis Vestrogothorum Aaranes. Cap. 19.

ETsi Gothicis Principibus maior olim inerat bellorũ ardor, q̃ delectatio quarũcunq; aliarũ voluptatum, dum summũ animi, corporisque existimarent solatium, rigida arma tractare, ac arduissimis præliis varios comparare triũphos: attamen plerique eorum voluptati huic magnificentius aliquid superaddere meditantes, posteris sumptuosa, simulq; vtilia ædificia reliquerunt: queadmodum Scarinus quidam totius Gothici principat[9] Monarcha potẽtissimus, singulari exẽplo deprehẽditur perfecisse, præsertim in Vestrogothorum regione, quã frequentiore sua præsentia illustrabat: idque ob vicinum Noruegiæ Regem Sidagerum: cui

Scarinus Gothorum Rex.
Sidagerus Noruegiæ Rex.

cui vt erat sanguine coniunctus, ita etiam rerrarum situ, & amicitia propinquior esse volebat. Hic ex suo nomine Scaram ciuitatem Vestrogothorum in loco stagnis & paludibus admodum munito, tam prudenter erexit quàm imprudenter eius successores ipsam desolari, ac collabi permiserūt. Antiqua hæc erat regni Go

Scara ciuitas, antiqua Gothorum Regū sedes.



thorum sedes. Verum non procul ab ea adhuc extant vestigia alterius Regiæ arcis Aaranes dictę, cuius situs, muri, & structuræ quoslibet inspectores ita in admirationem alliciunt, vt firmiter iudicent, nullum præstantius ædificium ea tempestate in toto Septentrione, vel Europa repertum fuisse. Sed quid non mutat æui longæua vetustas? At saltem signa ruinarum posteritatem vrgent, magnificentiam meminisse heroum antiquorum. Habebat hæc arx in circuitu omnes commoditates, quas vnquam felix mortalium sedes à superis impetrare potuerat, & obtinere. Siquidem vno latere versus Occidētem & Boream, vastum, ac piscosum lacum Vener ante dictum pro regiis & mēsalibus deliciis habuit: altero versus Meridiem longissimo spatio, pro perpetua securitate cœnulētam, ac limosam paludem: cuius superficies tenero vestita gramine, ac frutice, non non solùm vestigia negat, sed modicè calcantes absorbet. Nam limo funditus subsidente, in luteas voragines, sordidamque colluuiem liquescens, attrahit acceden-

cedentes. Nec minus riuuli plures & profundi, vti venæ per paludes discurrentes, arcis accessum denegant, vt impossibile esset, nisi multitudine pontium (qui olim quadraginta erant) longis ambagibus, veluti labyrintho, illuc peruenire. Eaque difficultas in asperrima hyeme perseuerat. Nam rarissimè propter calidas venarum sulphurearum exhalationes, paludes illæ congelantur. Ab Orientali verò latere ex opposito primæ portæ arcis, quæ vnicum terrestri itinere habebat accessum, adeò amœna prata ac fertilitas agri pro solatio castrensi erant, vt nihil amplius naturæ beneficio poterat concupisci: etiam pascua, & venationes in campis, & saltibus optimæ, quod & præsens humi eius facies ostendit. Quæ licet horrendam nemorum densitatem, multis retroactis annis & seculis, culrore vacua, ob bella, famem, pestem, & domesticam discordiam induerat: tamen sulcorum vomerumque vestigia quibusuis eam intuentibus vltrò ostentat, frequentesque lapidum congeries (quibus agri ob maiorem feracitem purgari ampliarique solent) ibidem inter altissimas arbores offert conspiciendas, argumento fideli ad posteros relicto, multò numerosiorem prioris æui fuisse populum, strictioribusque agellis contentum, quàm cernitur hac ætate præsenti. Hæc igitur arx felicius florere visa est circa annum Domini nongentesimum quinquagesimum quintum, quando magnificentissimus Rex Olaus cognomento Schotkonung baptizatus est à Sancto Sigfrido Eboracensi Archiepiscopo, ex Anglia, ob fidem Christi prædicandam, ad eundem Olaum Regem, Eldredi, siue Mildredi Regis Angliæ exhortatione ac petitione proficiscente: qui & in hac arce paulisper moratus est, donec alia sedes regia Husaby dicta, pro vsu eiusdem sancti Sigfridi & cleri eius parari poterat & consecrari. Quo facto paganos ac idololatras in fide Catholica instructos baptizabat: quod & tres nepotes eiusdem Archiepiscopi, Vnamannus, Sunamannus, ac Vinamannus (quorum vnus fungebatur sacerdotis officio, secundus diaconi & tertius subdiaconatus) alibi in Veren-

Pontes ad arcem Aranea.

An. 955. Rex Olaus baptizatus à S. Sigfrido Eboracensi archiepiscopo.

Husabi.

Vnamann. Sunaman. & Vinamannus.

Verendia post tergum relicti, faciebant. Omnes tamẽ, vti Beatus Ioannes Baptista, ob adulteræ mulieris indignationem, gladio interempti fuerunt: quorum corpora in Cathedrali Ecclesia Vexionensi magno honore ab omnibus venerantur. Sed de hac re latiùs in Historiis charissimi fratris, & antecessoris mei Io. Magni Gothi, suis locis est ostensum.

Labes adulterij.

Io. Mag.

De mirabili horto montis Kindaberg prope prædictam arcem. *Cap. 20.*

Kindaberg mons altitudine & amœnitate celebris senibus tantum notus.

MOns est eminentissimus apud Vestrogothos, nõ longè à prædicta arce Regia, & lacu Vener, vulgari gentis sermone Kindakulle dictus, tantæ altitudinis, vt à longè nauigantibus vltra 40. miliaria Italica in eodem lacu, quasi atra nubes inter cœli hiatus appareat. Ideoque multi tempestatibus, vique ventorum agitati, summis viribus conantur eius pedes attingere, vbi tranquillissimum portum adesse nouerũt. In huius montis summitate ea amœnitas frondium, herbarum, fructuum diuersarum arborum (excepta vite) suapte sponte nascentium non raritate magis, quàm suauitate, velut satarum, aut plantatarum, reperitur, vt vix delectabilior in tota Septentrionali plaga inuestigari possit, aut inueniri. Illic suauitas inenarrabilis, etiam concentu variarum auium, preter Papagallos, multiplicata. Sed valde paucis, ijsque solùm senibus notus est amœnissimus ille locus. Neque lasciuiori ætati perfacilè monstrandus, ne forte seueriori disciplina soluta, in omnem voluptatem, vel verius spurcitiem sese prosterneret, difficillimè vel nũquam ad honestatẽ & bonos mores reuersura. Voluptas enim ipsa vsum & consuetudinem: cõsuetudo necessitatem: necessitas desperationem inducit, & coarctat. Extra hũc montanum locum, imò & alibi latius per Aquilonem satis boni suauesq; fructus pyrorum, pomorum, cerasorum, prunorum, sed nulli ante medium Iulij, vixque tunc in debita maturitate reperiuntur. Imò quædam horum

horum fructuum genera tam domestica, quàm sylue-stria solo frigore accedente maturescunt, durantque pendētia maiori parte hyemis etiā in ramis, foliis omnibus denudatis. Sed hi fructus quouis aceto (pro gratiori sapore) sunt eligibiliores, licet exiguæ magnitudinis, ob frigus continuè circunstans. Exoticos verò fructus per mare à Germanicis oris, vt sunt poma celerrimè portata, ob suauitatem inhærentis musti, tam auidè manducant incolæ, vt nunquam, vel rarò sine discrimine variorum morborum (præsertim Gallicorum) vel mortis euadant. *Fructus exotici maximè noxij.*



De pulchritudine, & vbertate insulæ Gothorum Elandiæ.
Caput 21.

ELandia, siue Oelandia, vna est ex insulis Gothici maris, breuissimo maris interiectu à Gothia meridionali diuisa, omnium insularum pulcherrima: multis enim bonis adeò referta est, quòd spatij breuitatem (duorum dierum itinere absoluendam) soli fertilitas recompēset. Prata, & campi odore herbifico, indicibili suauitate mirabundi. Ibi plurimi greges equorum par uorum, sed validissimorum, vtputa qui fortitudine, & agilitate multis eximij corporis equis præualeāt: quousq; domestici & exotici negotiatores pro voluptate emunt, atque in terras remotas, veluti naturę miracula venales

venales exportanr. Ingeniosissimi enim sunt, vt saltibus & choreis ad buccinæ vel tympani sonum per eos adaptari possint, quorum exercitium est huiusmodi spectaculis acquirere quæstum. Insuper instruuntur, vt circulos ferreos aut ligneos non admodũ amplos, more canum transiliant, saltuatimque viuacissima pernicitate sese gyrando reuoluant. Proprio etiam nomine moniti, magis vel minus id faciunt, iuxta arbitriũ imperantis. Pascuntur huiusmodi equi, vbi opus est, pisci bus sole tostis & lignis abietinis: ceruisiaque & vino vsque ad ebrietatem potantur, prout infra de Alcibus ostendetur. Hæc igitur insula frugibus, pascuis, pecudibus, armentis, & piscibus tantum abundat, vt propriis commoditatibus sufficiat & alienis: eamque gratiam & æstimationem boues & pecora, ac butyrum vltra mare exportata habent, quasi medicinalia forent. Habuit olim hæc insula arces plures, tam naturæ, quã artis præsidio locis opportunissimis fabricatas, & munitas, quarum aliquæ in templa Christiani ritus commutatæ sunt, hodie non minus patriæ defensioni, quã religioni deseruientes: aliquæ bellorum turbine penitus desolatæ. Vna tamen vsque in præsentem ætatem omnium altior & fortior Borcholm dicta, permansit: cuius celsitudine Gothicum mare eminus nauigantes, veluti specula pro ventorum, ac portuũ directione adhuc vtuntur, præsertim Angli, Scoti, Zelandi, Hollandi, quibus admodum necessaria est illustrium locorum cognitio in eo mari. Hęc insula ferè tota ambitur marmoreis saxis sursum, deorsumque, penes littora 20. vel 30. pedum altitudine, quasi artificum manu ex industria collocatis. Imò & in oris eius Orientalibus aperto mari obiectis, plures amœnissimi portus sunt: ad quos non minus curiositatis quàm necessitatis causa extranei nauigantes, veluti naturæ spectaculum visuri accedere solent. In hac insula tempore pacis reges Gothorum, & Sneonum, ob insignem eius amœnitatem & venandi exercitiũ, æstates transigere consueuerunt. Etiam quia viciniori maris tractu vltramarini principes commodius cum eis in arduis causis expediendis ibidem congredi possunt. Præterea prope Aquilonare

Equi pascuntur piscibus & lignis, ceruisiaque vel vino inebriantur.

Butyrum electissimũ.

Borcholm.

Gothorum & Sueonũ Regum venatio.

littus

littus eius exurgit mons excelsus, quem nauticum vulgus, vitandi infelicis omnis & marinæ tempestatis gratia, Virginem vocat. Nam in eius portu manentes certis munusculis puellis dari solitis, vtpote chirothecis, sericeis zonis, & similibus, eas, tanquam amico munere placant. Nec ingratū montis numen sentire videntur, prout aliquando factum meminit antiquitas, voce lapsa iussum fuisse donantem mutare portum, ne periclitaretur: & ita faciendo saluus factus est, vbi alij sunt periclitati. In eo monte certis anni temporibus dicitur esse conuentus Aquilonatium maleficarum, vt examinent præstigia sua. Tardius ministerio dæmonum accedens, dira afficitur correptione. Sed hæc opinioni, non assertioni cedant. *Virgo mons* *Sagarum conuentus.*



De famosissima insula Gothorum, Gothlandia dicta. Cap. 22.

ORientalis Gothię pars est, sic dicta, quasi Gothorū terra vel bona patria. Goth quippe bonū siue Deum Lingua Gothica significat, & Landia terrā. Est enim multis rationibus bona: bonus in ea populus, boni & securi in circuitu eius portus: bonus & electus in ea ager, bona armentis, equis, bobus, piscatione, venatione, aquis, syluis, pascuis, pulcherrimo marmore, & omnibus rebus humano vsui necessariis. Est in eis Boreali parte præclarū oppidū Visby, in quo est arx muniti̇ssima *Visby emporium.*


nitiſsima. Fuit hæc vrbs quondam Gothorum, & multarum regionum emporium, tantis opibus, & negotiatorum mercimoniis frequens, vt vix illi par in Europa ſimile haberetur. Cōfluxêre illuc Gothi, Suedi, Ruſſi, ſeu Rutheni, Dani, Pruſsi, Angli, Scoti, Flandri, Galli, Finni, Vandali, Saxones, Hiſpani, ſinguli ſingulæque gentes ſuos proprios vicos, & plateas incolentes: nulli præcluſum municipium. Ingredienteſque terra & mari omnia pacata inuenerunt, donec diſcordia, quę omniū regnorum, & hominū pernicioſiſsima deſolatrix eſt, ſubuerteretur: ſicuti infinitæ aliæ nationes, quæ ab initio floruerunt. Extant hodie marmoreæ ruinæ, quæ teſtantur veterem eius claritatem, amplitudinem, & vetuſtatem. Sūt adhuc teſtudinatæ domus, portæ ferreæ, aut cupreæ aut æreæ feneſtræ, olim argentatæ atque deauratæ, argumentum inæſtimabilium diuitiarū exhibentes. Vnde poſtmodum ortis odiis & dolis, ex tumido earum rerum vſu diſgregati incolæ abierunt in Vandalicas ciuitates: quæ non parum ex opibus huiuſmodi hoſpitū ſunt ditatæ, vti olim Roma Carthagine deſolata. In hanc inſulam prima Gothorum armata caſtra, poſt exitum à ſua terra, in Europa & Aſia nouas terras, ob importabilem gentis ſuæ, multitudinē, quæſitura deſcenderunt. Demū multis ſeculis euolutis, Lōgobardi ex Scandiana inſula ob ſimilem, vel grauiorem cauſam exeuntes, per hanc inſulam in Rugiā agmine vaſtiſsimo in exteras regiones abierunt: & tandem regno conſtituto in Italia ſedes firmauêre: quod & Paulus Diaconus eorum Hiſtoricus Libr. I. atteſtatur. Præterea Magnus Rex Suetiæ anno Domini M. CC. LXXXVIII. ſedauit periculoſum bellū, quod erat inter ciues Visbycenſes, & plebem illius inſulæ: permiſitque ciuibus inſtaurare collapſos muros ciuitatis, mœnibuſque, & propugnaculis communire. Albertus Rex Suetiæ rogatus à principibus inferioris Germanię, vt à mari eorū eiiceret potentiſsimos piratas Vitalianos, impignorauit hanc inſulam Gotlandię Magiſtro Pruſsiæ, pro viginti millibus Duplonum, id eſt, Nobilionum: quorū ſummam Regina Margareta eidem ſuccedens, ex Suetia collegit, atq; eam inſulam regni

Lōgobardi ex Scādiana inſula concedunt in Italiam.

Paul. diaconus Hiſtoricus.

Albertus rex Suetiæ.

regni Suetiæ iuribus, & proprietatibus restituit, iure perpetuo possidendam. Hancq; insulam Saxo Grammaticus, Danorum insignis historicus, in pluribus suis scriptis, ad Suetiam sine quauis hęsitatione spectare attestatur. Et hoc ex multis argumentis: quia eadem lingua, legibus, cõsuetudinibus & morum cõformitate & vicinitate perpetuò vtuntur: etiam quia Gothorũ Episcopo Lincopensi, tanquam primo fidei plãtatori sunt subiecti: à quo & Episcopalia iura petunt, & consequuntur. Ab hac etiam insula in omni nauigantium controuersia, præsertim à consulatu Visbycensi, petitur, & datur ius, & sententia diffinitiua, quid vnicuique permittendum, vel auferendum erit. Certè ius hoc mercatorum, ac nautarum, valde prudenter digestum, citius lites adimit pro fluidis aquis, quàm aliorum decisio pro terra firma. *Saxo Danor. Hist.*



De Clypeis principum montibus Hangœ insculptis. Cap. 23.

QVantã olim Reges, ac Principes Gothorũ, de perpetuanda nobili fama, ac bellica claritate curã habuere, arma, signaq;, & clypei eorũ illustribus locis insculpta, ac posteris relicta, euidẽter ostendũt, præsertim in Ostrogothia, ac Vestrogothia, & Australi Finlãdia, in magnifico portu Hãgœ appellato: qui tã læt⁹, ac securus est, vt in toro Septentrionali mari, & forsitã amplo Oceano parem nõ habeat, qui eidem valeat cõparari. Oẽs enim vndecunq; nauigãtes liberè recipit in

suum sinum, secureq; introrsum tam à tempestatibus, quàm hostili classe, sua naturali munitione (modò ipsi sibi deesse non velint) protegit, & conseruat. Portus etenim iste in modum amplissimæ arcis in medijs montibus, ac vallibus amœnè situs est: habetque in cautibus vetustissima heroum Gothorum, ac Sueonũ insignia, literato ordine, sed antiqua simplicitate insculpta, maximè ad ostendendum posteris, ibi olim classem pro regnorum defensione contra quoscunque hostiles insultus continua expeditione stationem tenuisse, atque inde ad aperta arma, quoties opus fuerat, prodijsse. Hodieque frequẽtiùs in eodem portu, ob similem causam, armatas classes tam Princeps, quàm nobiles habent, præsertim quia vicina loca omnia suppeditare possunt, quæ subitò requiri videntur ad confœderatorum armatam classem: omniaq; in hostes cõtraria verti, si perniciem structuri in hunc accesserint portum. Olim diuus Ericus Gothorum, Sneonumq; Rex, oblata pace & contempta, Tauestos, Carelos, ac Bothnienses bellica classe, & equestri expeditione deuictos, ad fidem & Christi religionem accelerare coëgit. Indocile enim genus barbarorum, nisi per arma ad iugũ Christi cogi, vel pertrahi, vel inuitari non potuit: nimirum (vt Albertus Crantzius lib. 9. cap. 37. Vandaliæ refert) magnus est amor paternarũ traditionum. In hoc portu Suetici Reges graui iniuria lacessiti, vltramarinis principibus classe instructa, vel instruenda hostilitatem indicere solent, præsertim Ruthenis, seu Moscouitis: rursúmque in eodem portu, sub æquis conditionibus, eorundem principum nuntijs pacis fœdera præscribere, & accipere consueuerunt. Quòd autẽ eo loco frequentiùs, quàm alio id fieri contingit, vrget antiquata maiorum obseruantia, qui illic in montibus impresserant insignia sua, vt eorum perenni firmitate perspecta, quę Reipublicę vtilia fore crediderint, posteris eodem vnanimi consensu, & iuramenta per arma, ac libertatẽ maiorum stabiliant obseruanda. Quibus autem armis, clypeisque veteres Gothi, Suecique fint intus, & extra patriam vsi, signis præsentibus aduerti poterit, imò & rationibus ostendi: leonem scilicet coronatum, super

D. Ericus Gothorum Sueonumq; Rex, Tauestos, Carelos, ac Bothnienses armis superatos Christi iugũ accipere coëgit.

Gothorum imagines.


tres aquas candidas in campo cœlestini coloris impetuosè salientem, ac retrospicientem, olim habuere Gothi, atq; nunc habent solùm originis inhabitantes: vt vincendo parcant, & retrospiciendo caueant, quàm citò salientes ab impetu cessant. Methodio tamen placet asserere, Gothorum Principes in exteris terris militantes, ac dominãtes, vrsam in vexillis habuisse. At ex eisdem Gothis veluti parentibus originem trahentes, varietate signorum secundum diuersitatem gentium distinguebantur: vt Cimbri tauro, Slaui dracone, Gepidę nauicula, Alani, Burgũdi, ac Sueui catto in militaribus signis, vt Plutarcho videtur. Suecis autem, siue Sueonibus antiquitus erãt arma, videlicet duæ virgines coronatæ, aureo vestitu sese mutuò in virenti sylua amplexantes, tãquam dearum nympharum excellentiam in regione ostendentes. Nunc verò Suecorum Principes tribus aureis coronis in campo cœlestini coloris, ob inscrutabilem dominiorum amplitudinem, magnifica bellorum gesta, & inexhaustam minerarum vbertatem, vtuntur. Sunt & priuatorum nobilium insignia mira varietate distincta: similiter & vrbium, ac prouinciarnm, quatenns in bellicis expeditionibus pro patria & legibns susceptis, tot hominũ turbæ distinctius ad vnum tandẽ finẽ dirigãtur, prout infrà de directione armatæ multitudinis, diffusius erit ostendendum.

Methodius. *Plutar.* *Cimbri, Burgundi, Suevi, atq; alij quidã cattũ in armis gestasse scribuntur.* *Suecorum insignia.*

De rupibus galeatis. Cap. 24.

NAuigando è Germanico mari versus Septentrionẽ tribus dietis, anteqnam introitus appareat ad Regiam ciuitatem Holmensem regni Suetiæ, occurrit admirabilis portus lingua vulgari gentis Hielmsnabbẽ, vel Elgxnabben appellatus, eò quòd onagri, qui Elga dicuntur, propter attractum suauis venti eò concurrere consueuerunt: vel etiam quia montes, in quorum lateribus portus sunt, ita à natura formati videntur, vt Galileæ militares ptentur in sculptæ: quasi ars non sufficeret in armis fabricandis, nisi & natura monstraret, quid bellicosis populis Aquilonem inhabitantibus conueniat in armorum tractatione.

Holmensis ciuit. Sueciæ Regia.



Hielmsnabbē portus commodiss. sed hostib. inaccessus.

Sed reuerà, vti portus is ob omnes ventos, & tempestates arcendas insignis est, vt vix similem in tota Europa habeat: ita & hostili sanguine respersus, vt ibidē quasi omnium Aquilonarium bellorum initium, medium, & finis inueniatur. Sæpe etenim classis hostilis, quæ violentia tempestatum, in vasto mari vario Marte congredi non poterat, huc depulsa, vel inducias ab aduersario petere, vel ipsa sua spōte, vel simulatione cogitur offerre, vel ineuitabile mortis, aut captiuitatis discrimē inire: quò enim vt saluus euadat armatus non inuenit. Si enim littus, aut portum exierit, cæca saxa, ruresque minaces apparent: quæ cum leui motu in gurgitem, vt pacem præstet, immittunt. Si verò in apertum mare exire voluerit, obstat horrenda tempestas, ne visu quidem ad ictum oculi toleranda: quia Aquilonaris, Orientalisq; ventus ea in loca totaliter est procellosus. Præterea tēpore hostili terrarum incolæ subtrahunt littoralia signa, ne hostis accipiat tantillulum quidem spatium, vt effugiat pœnam: alioqui incessabili ferocia impetu facto, latronum classis, manusque impiorum, hunc portum occuparet: vbi nihilominus classica bellorum prę-ludia frequentiùs inchoari solent.

De angustijs portuum lapidosorum. Cap. 25.


Svnt prætereà nō exiguæ formidinis angusti exitus, & introitus ęquoris Aquilonaris, pręsertim ab aperto mari



to mari nauigando versus Holmensem ciuitatem: quæ regia est, & insigniter à natura, ac arte munita, vt meritò trepidare cogantur aggressuri, quæ fides, vel fraus sit nautarum, in imminentibus periculis prosperiùs exuperandis. Præcipuus tamen, & periculosior est locus Steendor, id est, porta lapidum appellatus, eò quòd arctis faucibus, & lunatis cornibus, quoquouersum obliquatur, hoc est, quandoque per modum Scythici arcus, quandoque mucronis aspectu euitatur à nautis: in quibus longè periculosiùs, ob exortas densissimas nebulas, & caligines, errare contingit, quàm in amplissimo Oceano, suborta validissima tempestate. Nec procul ab eo sinu saxosæ rupes imminent, sub aquis latitantes: in quas quicunque inciderint, quasi viui sepulchro teguntur. Nec silent annales Gothici, quondam in eisdem rupibus multa millia Germanorum, ac Danorum repentino descensu fuisse perempta. Magis nanque præsumptuosa, quàm experta nauigatione, saxeas has angustias sunt ingressi: veluti etiam in alios sinus Septentrionales, qui non secus in mari nauigantibus apparent, quàm ingentissimæ trabes eminentes in aquis, quæ solo aspectu territant inspectores: nomen ab euentu, causa, gestis & natura (prout superiùs de irruptione aquarũ eodem libro est ostensum) assumentes. Terribilioresque hostibus piraticis videntur, quàm acies aliquæ militaribus armis instructæ.

Steendor.

Rupes sub aquis quibus impactas naues fregerunt olim Germani ac Dani.



De scopulis lapidosis, & via per Idebenckia periculosa. Cap. 26.

SVnt insuper in littoribus Ostrogothorũ, & Sueonum ingentia saxa, partim apparentia, partimque latentia longissimo ordine, quasi scamna arte, vel industria collocata, vulgariter Idebenckia nominata: super quæ infelicissimi naufragantes quandoque sedere solent: mihiq́; nisi Deus in graui tempestate anno Domini M. D. xvij. opem tulisset, parata fuerunt. Vehementia enim ventorum nauis vrgebatur in ea latentia saxa: quæ velut decliues muri oppidorũ, vel castrornm longo tractu apparent. In quos lapides qui negligentia vel ineuitabili tempestate inciderint, maximè hostiles classes auiditatem prædæ in littoralem populum (satis opulentum) meditantes, profectò omnium infelicissimi reputabuntur, dum terra, marique horribilius, quàm in carcere circundantur inimicis. Terra quidem (quia fugientibus incolis cum armentis, pecudibus, ac supellectili, ob subitum hostilem incursum) fame, quæ omnibus hostilior est, & frigore omni tormento grauiore citissimè consumentur. Mari etiam, quoniam eo in loco (vt dictum est) sæuissima solet esse tempestas: à qua etiam si arte, & labore vellent euadere, naturæ tamen seneritati resistere non valebunt. Vbique enim præter aëris impetum (vt dictum est) saxa, seu rupes, in acutum apicem instar turrium eleuata, periculum administrant: quæ arcuata flexilitate, &

Author dira tẽpestate iactatus.

circuitu,

circuitu, ſpuma prodente, ſagaciter ſunt circumeunda. Solent in his locis ſtratagematibus vtẽtes bellicæ claſſis præfecti aliquot, præliares naues vel ſimulatas, ex induſtria tempore hoſtili, ſignis inimicorum ornatis ſtatuere, vt claſsis hoſtilis eiſdem viſis, ſecuriùs in periculum ruat. De quibus, quando videlicet ſic interceptæ ſint inimicæ naues, patriæ annales me taceute atteſtantur, atque hoſtilia oſſa in ſcopulos diiecta, diligentiùs quid cauendum ſit, apertè demonſtrant.

De torrentibus rapidis. *Cap.* 27.

TOrrentes rapidi quaſi infiniti, præcipuè tempore reſolutionis niuiũ ac glacierum, poſt finem Aprilis in Septentrionalibus terris maximam ruinam indigenis afferentes reperiuntur. Suo etenim impetu, qui vehemens, & horridus eſt, tam villas, vicos, ædes, & pontes lapideos, quàm ſuffoſſas arte arbores, vel naturali propagine in terra radicatas rapiunt, & exportant, quemadmodum de ſtagnorũ irruptione ſuperiùs alio caſu fuerat enarratũ. Qui torrentes iuxta impetuoſam naturam ſnam nomen imprimunt vrbibus, ac locis, vbi elabuntur: vti antiquiſsimum Oſtrogothorum oppidum Scheningia dicitur ab amue, vel verius torrente, qui ob rapidiſsimum curſum vulgariter Schena appellatur, quaſi equus abiectis habenis ad omnem præcipitem curſum accenſus. Præterea alteri fluuio non longè exinde diſtanti, à continuo ſtridore dentium nomen impoſitum eſt. Ita & rapido torrenti in prouincia Middelpadiæ, vt ſuprà dictum eſt, nomen nodi impoſitum eſt: quia inſtar nodorum cruſtata mole glacierum arbores compreſſas, imò & ingentiſſimos lapides in ſui diſſolutione ſecum impetuoſiſsimè rapit & porrat: eoque formidabiliùs hoc accidit, quò celeriùs prouincias, & populos terrere, atq; obruere ſolet. Nec aliud remedium huius hortendę depopulationis hactenus repertum eſt, quàm viritim publica manu, collibusq́ue effoſsis alioſum diuertere curſum: quem etſi Septentrionales populi in plerisque locis auertunt, impetum tamẽ hunc ſinunt, vt temerariũ ho-

Scheningia Tänafors, Knoden, oppida.

Publica manu diuertuntur rapidiſsimi torrẽtes, ne vicinas vrbes obruãt.

ſtem catharractis adhibitis præcipiti ruina, laxatisq́ue nodis inuoluant. Licet autem ſuperius nomina torrentibus ab infelici euẽtu impoſita ſint (vt alibi etiam dicetur de ſubmerſis Epiſcopis euangelizantibus, & ſponſalibus ludis, & raptu virginum) tamen prudentioribus placuit, vt à triumphis & victorijs, non à calamitatibus rei appellatio fiat.



De diuerſis formis littoralium ſaxorum. Cap. 28.

Fretum Brauiken *Norcopia.* IN littoribus Oſtrogothorum, id eſt Orientalium, freti Brauiken dicti, vbi etiam torrens vehementiſſimus per oppidum Norcopenſe illabitur, variæ admodum littoralium ſaxorum figuræ, quaſi humana arte ſculptæ, vel politæ forent, reperiuntur: quod procul dubio cœli, & elementorum ſecreto influxu fieri æſtimatur. Quidam etenim horum lapidum, formam capitis humani, manus, pedes, & digitos habent: non tamen integro corpore compaginatam, ſed diſtinctione uaria taliter expoliti. Gens autem illa talibus aſſueta ſpectaculis, nil hæc, & ſimilia curat, niſi in quantum ſolidis eorum muris, & ſtructuris poterint inſeruire. Reperiuntur etiam in moutibus longè à mari diſtantibus, rupes naturali compagine, & rotunda concauitate formatæ, vt maximum aliquod caldarium æreum, vel thermarum concha putetur: prout videre *Ketilberg.* licet apud Oſtrogothos in monte Ketilberg vulgariter dicto (id eſt monte cacabi) prope ciuitatem Lincopenſem:

pensem: vnde mihi origo est. Cernuntur etiam in multis vallibus montium, infiniti lapides globali formati figura, quantitate capitis vitulini, vel oui anserini, vel maioris, aut minoris: qui nulla artificum apposita arte bombardis aptantur. Item cotes plana longitudine repertę ilicò bono vsui applicantur. Similiter & petræ marmorei generis apud Vestrogothos, tam varij coloris & quantitatis habentur, vt fine dolabris quasi sculptæ sepulchrorum vsibus adaptentur, quemadmodum libro duodecimo dicetur de naturali varietate saxorum ad quasuis structuras applicandorum. Sunt & Chrystallini lapides, non longè ab Ostrogothorum oppido Sudercopensi, hexagona forma, quantitate pugillari vel digitali, dependentes: quorum splendore vtique ad maiorem ornatum fabricari possent ædes: si incolæ plus attenderent ad pulchritudinem, quàm firmitatem. Imò perpendendentes hostilem rabiem, crudelius posse & velle, ob decorem structuræ, omnia deuastare, magis fortificant, quàm exornant: quamis ædificia sua: quamuis introrsum insigni curiositate communiter sunt ornata: sed præcipuè, vt infra dicetur, micantibus armis, thoracibus scilicet, & galeis, ac clypeis: in quibus gens illa omnem existimat inesse decorem, quia magna pars tuendæ securitatis ex his dependet: licet aliqua sunt atro colore picata, ob rationes inferius de bellis asignandas.

Lincopia, natale solū authoris.
Globi lapidei suapte natura bōbardis apti
Cotes.
Crystallini lapides.
Sudercopia
Ornatus Aquilonariū in splēdore armorum totus.
Picata arma.

De saxis gigantum, & scaturigine fontium. Cap. 29.

QVemadmodum superius libro primo dictū est de obeliscis gentilium, Regum, pugilū, & gigantū, quibus gesta eorū magnifica, putabāt fieri notissima perpetuę posteritati, prout Saxo Sialādicus meminit de suo Regnero Danorum Rege, qui quinquennali prælio contra Moscos, Russosq; in Aquilone cōmisso, res gestas reliquerit in rupibus altis, ne obliuione euanesceret, quod tot angustijs, & difficultatibus pro claritudine honoris sui perpetrasset: Ita & de cōpluribus Gothorum, Sueonumq; Regibus, ac heroicis viris: quorum adhuc magnitudo gestorū, discernitur in eminentissimis

Saxo Sialan.
Regnerus Danorum Rex.

 tissimis

tißimis locis Septentrionalium regionum. Inter quos præclarioris memoriæ recensentur, & æstimantur, qui curam bellicæ gloriæ sic moderati sunt, vt publicę omnium commoditati profuisse viderentur. Qualis erat excellentißimus ille Rex Vbbo conditor antiquißimę ciuitatis Vpsalensis, atque Scarinus, & Ericus cum plerisque alijs: quorum indelebilis memoria nedum in saxis campestribus, aut montanis conscripta videtur, sed patrijs carminibus, ac musicis instrumentis celebrioribus locis ac diebus, sempiternis tripudijs continuatur. Horum nanque fidelior cura fuit prouincialibus profectis (pace vbique data) committere, vt præter arma, eriam venarum scaturigines præcipiri casu labentes, incolatum ministerio subderent molendinis, aut necessarijs fontibus ad publicam vtilitatem vbilibet construendis. Manant insuper ex rupibus, multis in locis tam abundantes, & copiosi latices, vt naturæ, artisque agilitare deducti, longo sed pulcherrimo aspectu.xv. aut. xxx. aquea molendina reuoluant. Falonia Vesgothorum nobilis prouincia, ac populosa Helsingia, prout inferius de ferrarijs artificibus ostendetur, talia tamque commoda spectacula monstrant.

Vbbo, Scarinus, & Ericus Gothorum reges clariß.

Falonia. Helsingia.

LIBRI SECVNDI FINIS.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De superstitiosa cultura Dæmonum populorum Aquilonarium.

EPITOME LIBRI TERTII.

De superstitiosa cultura Lituanorum paganorum. Cap. 1.

ALBERTVS Crātzius fidelis Germanorum Historicus, qui claruit an. M. D. & post eum Mechouita Polonus, asserunt Lituanos tempore paganismi dum Gentilitatis errore detinerentur, tria numina principaliter coluisse, ignem videlicet, syluas, & serpentes. Ignem, quia omni sacrificio præfertur, vel ritu Persarum seducti, ignem ipsum Deū arbitrabantur, teste Herodoto: vel Aegyptiorum opinione ducti, qui persuasum habēt, ignem animatā beluam esse, & omnia quę nascuntur, deuorare, & postquā deuorādo fuerit expleta, vnā cū ipsa re deuorata emori. Syluas putabant sacras: omnesque bestias more Aegyptiorum eas incolentes, deos existimabant: Poëta referente:

Habitarunt dij quoque syluas.

Imò & hac fiducia multę nationes ductę, Reges, ac principes suos satis exutos, vt vel dij fierent, vel inter deos eueherentur, combusserūt, aut in syluis, ac lucis aureo torque solenniter suspenderūt, quasi talibus sacrificijs laudem sceleris, mentiti numinis diuinitatem mererentur. Prætereà serpentes vt sacros colebant, dum nemini nocere videbantur: ædium seruatores, atq; penates existimantes. Verum hæc superstitiosa cultura etsi penitus sublata videtur, reliquiæ tamē eius, dęmonum instinctu, in nonnullis secretis solitudinū ædibus perseuerat, sicuti in Septētrionalibus regnis Noruegię ac Vermelādię. Ab eo tamē impio errore An. 1386. prędicti

Albertus Crantz. Germa. & Mecho. Polo. histo.

Ignis Lituanorū Deus, vt olim Persarum etiam fuit teste Herodoto.

Ignis animata belua est.

Syluæ Lituanis sacræ.

Feræ Lituanis vt Aegyptijs pro Dijs.

Serpentes innocui pro Dijs.

Norueg. Idololat.

Lituani

Iagello cum 8. fratrib. ad fidem conuersus. 1386. Zlotababa idolum.

Lituani purgati leguntur. Tunc enim fortissimus eorum princeps Iagello cũ octo fratribus suis (teste Mechouita) ad fidem Christi peruenit: in qua adhuc hodierno tempore religionis incremẽtis perseuerat. Meminit prætereà historicus antedictus, in cõfinibus Lituanorum ac Moscouitarũ, statuã esse publico itineri impositã, quæ patria lingua Zlotababa dicitur, id est, aurea vetula: quam singuli viatores certis munusculis placant, etiã si pili valorem non excedant: alioquin suscepti itineris nullam habituri securitatem.

De Suppolarium hominum superstitiosa cultura. Cap. 2.

Solem, Lunã, & rubrũ pãnum adorant Suppolares.

NEC extrema Septentrionis portio (quam plerię; ob intensissima frigora inhabitabilem putant) immunis est à sacrilegis ritibus culturaque dæmoniorum, statuto eorum tempore impendendis. Habent etenim gentes illæ syluestres (vti reliquæ orbis nationes, quæ videntur his ciuiliores) nõ exiles causas, quibus publicum errorem, & mẽtitam in rebus etiam friuolis diuinitatem quærant, & tueantur. Solem igitur toto æstatis cursu eiis lucentem adorant, gratias ei offerentes, quòd lumen contra tenebras perpessas, & calorem contra immensa frigora adducit, quę quantumcunque intolerabilia videntur, nunquam tamen improperijs, more quorundam Indorum execrantur, sed tantum dicunt: Hęc fatua, ac stulta sunt frigora, atque tenebrę mensuram excedentes, &c. Simili etiam ratione Lunam adorant, quia hyeme remoto Sole continuè eius vtuntur lumine: quo propter interlunium deficiente, sub lucidissimis stellis, niuium candore clarius micantibus, quæcunq; negotia sua etiam diurno tempore disponũt. Prætereà gentes illæ suppolares stupidiore quodam errore dæmonum illuduntur. Rubrum etenim pannum pertica vel hasta sursum appensum, attentis precationibus & cultiore ritu venerantur, diuinam quandam virtutem, propter colorem rubeum animalium sanguini similem, eidem inesse putantes. Similiter quia eius inspectione arbitrantur se fortunatio-

natiores fore beluarum intempores, earum sanguinē ebibentes, prout inferius dicetur de moribus Lappomannorum. Est etiam nonnullis gentibus Septentrionis mos, quicquid primo diei dilnculo in cælo, terra, vel aquis viuum apparuerit, hoc ipsum vsq; crepusculum eiusdem diei pro numine fideliter adorare, vtpote aues, animalia, pisces, ac ipsos serpentes & vermes, & præcipuè ceruum volantem: quem ob cornua, quibus capita inuenum exornantur, inter nobiliora reptilia honorant. Ne etiam prædicti Septentrionales homines in conspectu suorum numinum appareant vacui, certas oblationes ex ossibus syluestrium animalium, & grandium cetorū ac piscium, venatione quæsitas faciunt: quæ tamen ossa æstiuo tempore non incendunt (ne solis lumini, vel ardori videantur illudere) sed horrenda surgente hyeme sub publica congressione pro honore dierum comburunt, eo sacrificio debitam reuerentiam numinibus afferre credentes. Tanta gentium in rebus friuolis religio est. *Ceruus volans adoratur.*

De tribus Dijs maioribus Gothorum. Cap. 3.

ERant apud veteres Gothos paganos, quemadmodum clarè clarissimus frater & antecessor meus Ioannes Magnus Archiepiscopus Vpsalensis in principio suarum historiarum asserit, tres dij prima veneratione obseruati: quorum primus erar potentissimus Thor: qui in medio triclinio strato puluinari colebatur: cuius hinc inde latera duo alia numina, Odhen videlicet, & Frigga cingebant. Thor, inquiunt, præsidet in aëre tonans, & fulgnrans, venros & nubes serenitatemque gubernans, fruges administrans cum fructibus vniuersis, pestesque rollens. Alter Odhen, hoc est, fortior, bellis præsidet, hominibus in hostes auxilia subministrās, ipsi Thor à dextris collocatus: tanto opinionis fulgore clarus, vt ipsum non secus, quàm datū mundo lumen omnes gentes amplecterētur, nec vllus orbis locus extaret (Saxone testāte) qui numinis eius potentię non parēret. Tertius Frigga pacem, voluptatemq; moderabatur: cuius etiam simulachrum

Ioan. Mag. Thor, Odhē & Friggā quos religiose coluerūt Gothi, vt Romani Ionē, Martē & Venerem.

lachrum turpitudinem sexus præ se ferebat: & ob id tantum apud Gothos, quantum Venus apud Romanos venerabatur: diemque Veneris vsq; ad nostra tempora sibi retinet consecratum. Pingebatur gladio, & arcu cum armis, quòd in illis terris vterque sexus semper ad arma promptissimus esset. Thor autem cum corona, & sceptro ac xij. stellis designabatur: cuius magnitudini nihil digna æqualitate conferri posse existimatum est. Obtinuitque diem hebdomadatim, imò & mensem primum totius anni, quem Ianuarium dicimus. Odhen verò armatus sculpitur, vti Mars, simili gentilium superstitione apud Romanos: diemque obtinuit æterna memoria suo nomini consecratum. Et quia viuus tota Europa diuinitatis titulum, quod nulli in arte militari cederet, assecutus fuisset. hinc euenisse creditur, vt Gothi (sicut Dio Græcus, Ablabius, & Iordanes testantur) Martem, quem Deum belli putauit antiquitas, apud se dicerent progenitum, prout etiam asserit Poëta.

Dio Græc. Ablabius. & Iordan. Vergil.4. Aeneid.

Gradiuumque patrem Geticis qui præsidet armis.

Quem Gothi semper asperrima placauêre cultura, morte scilicet captiuorũ, opinantes bellorum presidem aptius humano cruore placari, à quo vicissim omnẽ belligerandi industriam adeò perfectè didicerunt, vt deuictis Europæ, & Asiæ potentissimis imperijs, summum fortitudinis gradum reportarint.

De tribus Dijs minoribus. Cap. 4.

Saxo.

PRæter hos tres Deos supradictos colebãtur & alij complures: qui (vt ait Saxo) miranda præstigiarũ machinatione callentes, obtentis simplicium animis, diuinitatis sibi fastigium arrogarunt. Quippe non solùm Gothos, verùm etiam omnes Aquilonares prouincias vanissimæ crudelitatis laqueis circumuentas, ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo suæ ludificationis cotagio respserunt. Adeò nanque fallaciæ eorum effectus percrebuit, vt in ipsis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eosque deos, vel deorum complices autumantes, veneficiorum autori-

autoribus solennia vota dependerent, & sacrilego errori respectum sacris debitum exhiberent. Inter quos quidam Methotin arte Magica insignis, excellẽtem fictæ dignitatis opinionem sibi arripiens, simpliciũ hominum animos præstigiosæ artis fama seductos, ad præstigiosa libamenta sibi pendenda adduxit. Hic, cùm esset summus deorum pontifex, sacrificia cæremoniasq; ita distinxit, & ordinauit, vt discretus superùm cuique cultus, & libatio obseruaretur: asserens deorum offensas communibus sacrificijs, aut permixtis cæremonijs expiari non posse. Tandem sceleribus eius detectis, cõcursu populi occiditur, occisusque pestifera cadaueris sui contagione plurimos perimens, tumulo extrahitur, ac palo infigitur, vti vanitatis suæ præstigia meruêre. Froë quoque deorum satrapa sedem haud procul ab Vpsala habuit: vbi veterem litationis morem tot gentibus ac seculis vsurpatum, tristi, infandoque piaculo mutauit. Siquidem humani generis hostias mactare aggressus, fœda superis libamenta persoluit. Cui tandẽ in numerum deorum relato, & quia Deus sanguinis habetur, furuæ hostiæ immolabantur, lectisterniaque, & ludi nocturni annuo feriarum circuitu (vti aliquando Romæ Diti, & Proserpinæ) consecrabantur. Vagnosthus & Hadingus non impari æstimatione venerabantur, quia præcipuam opem in arduis bellis promptius adhibere credebantur. Rosthicphum Finnonicum, quod exquisitis præscientiæ studijs viuus excelluisset, post fata in deorum societatem translatum crediderunt. Rostarus additur his: cuius stupenda immanitas humani sanguinis sacrificio ita placari voluit, vt sibi illorum, quos cultores sui oppressuri essent, animas dedicarent. Demum complures alij potentissimi Thoronis, aut Othini filij existimati, honoribus à populo donabantur, ac publico digni libamine censebantur. Quomodo autem, aut quibus artibus hi, similesque tantam diuinitatis opinionem cultumq; obtinuerint, videatur inferiùs Lib v. de gygantibus, & pugilibus ca.1. versus finem.

Methotin magus, & deorũ pont.

Froë Vpsalensis Deus sanguinarius.

Vagnosth. Hadingus Rosticphus Finnonic. Rostarus dij.



De magnifico templo Deorum Septentrionalium. Cap. 5.

Sala flumẽ Templum erat Vpsaliæ Sueonũ tempore Nini auratum, & sui maiestate venerandũ

Cum ferè totus orbis, olim innumeris superstitionibus, dæmonum instinctu vbiq; illuderetur, non incongruum putaui adhuc euidenter ostendere, quibus locis Gothica, seu Suetica, ac Septentrionalis natio, pagana superstitione seducta, paruerit idolis insensatis: vt agnoscatur multa loca (sicuti dæmoniorũ genera) fuisse, quibus indebitus cultus offerebatur. Templum igitur (de quo charissimus frater, & antecessor meus D. Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis lib. 1. Histor. meminit) nobilissimum à tempore Nini prope fluuium Sala erat: vbi hodie Vpsala Sueonum ac Gothorum Primatialis, & Archiepiscopalis sedes est. Quod adeò magnifico apparatu constructum venerabatur, vt nihil in eius parietibus, laquearijs, aut columnis, nisi auro splendidum videretur. Tectum prætereà totum auro fulgebat: à quo aurea catena dependens, totum templum ad mœnia, domusq́ue fastigia cinxisse memoratur. Quo factum erat, vt templum in ampla planicie situm, admirando sui fulgore, venerandam religionis maiestatem accessuris ingeneraret. Astabat eius foribus arbor ingens ignoti generis, patulis diffusa ramis, æstatæ & hyeme iuxta virens: nõ tamen de earum arborum genere, quæ suapte natura, vt laurus, oliua, palma & myrtus virere videntur: quin in Aquilone nulla vnquã oliua, vel laurus, nisi in paruo fru-

frutice pro spectaculo Vastenis exurgere visa est. Eratque fons huic téplo propinquus qui scaturiit in locum sacrificiorum: de quo mox infrà dicetur. Et hæc sufficiant exteris nationibus de tali ritu Gothorum nõnihil vanitatis intellexisse. Nunc rursus Aquilonaribus indicare congruit, quòd soli illi irretiti vel illusi non fuerint hac vanitate. Nunc autem Deo propitio fatendũ est eo in loco, scilicet Vpsaliæ, perpetuis tẽporibus, die præsertim 19. Maij, diuinæ religionis ad populũ quasi innumerabilem, præsente Rege ac principibus & nobilibus vtriusque sexus, fieri catholicas prædicationes: vbi olim tot ac tam impiæ factæ sunt spurcitiæ & abominationes, ac hominum imò charorum parẽtum & amicorum mactationes.

De sacris & sacrificijs Gothorum. Cap. 6.

ERat olim in sacrificijs Gothorũ vt in historia Sueonum Gothorumq́; lib. 1. cap. 12. comprehenditur, numeri nouenarij obseruatio admodum accepta: fortè quia Pythagorica philosophia (quam à Salmoxe & Diceneo didicerant) monuerit, numerum imparem in omnibus præponi oportere. Et quamuis diis suis summũ cultum hebdomadatim & quotidie exhiberent: tamen omni nono mense solenniorem venerationem ipsis impendentes, nouem dies sacrificiis ritè ac religiosè absoluendis tribuerunt: singulisque diebus nouem animantium genera immolabant, quibus etiam humanas hostias adiungebant. At post nouẽdium per summam totius regni celebritatem templum Vpsaliæ antedictũ frequentissimo incolarum accessu visitabatur, ibique nouendialibus feriis & præscripto sacrificiorum numero diis libamenta ad aram mactabantur. Homo autem quem sors immolandum obtulerat, in fontem, qui ad locum sacrificiorum scaturiebat, viuus immergebatur: qui si facilè efflaret animam, faustum renunciabant sacerdotes votum: moxque inde ereptum in vicinum nemus, quod sacrum credebant, suspendentes inter Deos translatum affirmabant. Quo factum erat vt beatum se crederet, qui ea immolatione è viuis excederet. Accidit nõnunquam Reges ipsos simili sorte dele-

Numeri nouem sacra obseruatio.

Numerus Pythagoricus.

Gothorum stultæ et impia cumprimis Theosophia.

ctos victimari. Quod quia faustisſimũ regno libamen æstimabatur, totius populi multitudo cum summa cõgratulatione tam insignem victimam prosequebatur. Enimuerò sic defunctos non omnino mori, sed tam illos quàm seipsos immortales esse persuasum habebãt: maximè ex Salmoxe, Zenta, Diceneo, vt Dion Alabius, Iordanes, Strabo, & alij referunt: qui & asserunt Gothos multis rationibus excellentiùs sapientiæ studuisse, ideoq; opinionem de immortalitate animæ induisse, quòd (vt ait Herodotus lib. 4.) se mori non putantes diceret, eos qui vita functi essent, in alium quempiam locum amœniorem demigrare. In quo Deũ quendam Bleyxen præsidere affirmabant, ad quem asiduè preter superius expressum, modum cum naue quinque remigum nuncium quempiam ex seipsis sorte delectũ mittebant, præcipientes, vt ea, quibus indigerent, à liberalitate numinis impetrarent. Modus mittendi nuncij is erat. Quidam eorũ aliquod lanceas acutas in altum tenebant, super quas alij ipsum, qui destinandus erat, manibus pedibusque correptum inijciebant, qui si statim cadens extinguebatur, propitium sibi Deum arbitrabantur, quòd nũcium facilè excepertit. Si autem secus accidisset, ipsum nuncium insimulabant malum esse virum, qui indignus esset ad Deos destinari. Itaq; eo abiecto alium mittebãt, dantes adhuc viuenti mandata, quæ apud ipsum numẽ prosequatur. Deinde præmissa iactatione extinctum marinę voragini opera eorundem quinque remigum tradiderunt.

Salmoxes, Zenta, Diceneus. Morosophi Dion. Alabius. Iordanes. Strab. hist. Herodot. Bleyxẽ defunctorum Deus.

De superstitionibus Gothorum circa tonitrua.

Cap. 7.

PRæterea tam obstinato animo deorũ suorum cultum (vt etiam in eadem hist. Gothorum & Sueon. lib. 1. cap. 12. habetur) obseruabant, vt concitato in nubibus fragore, sagittas ex arcubus in aëra excutientes ostenderent se opem afferre velle Dijs suis, quos tũc ab alijs oppugnari putabant. Nec ea temeraria superstitione contenti, inusitati ponderis malleos (quos Iouiales vocabant) ingenti ære complexos, magnaque religione cultos, ad eum vsum habebant, vt per eos tanquam

Mallei Iouiales, quorum vsus cessauit Anno 1130.

quam per Claudiana tonitrua & per visitatam rerum similitudinem, cœli fragores (quos malleis cieri credebant) exprimerent, tantiq; sonitus vim fabrilium speciē imitantes, deorum suorum bellis sic adesse admodum religiosum existimarent. Durabat is Iouialium malleorum vsus vsq; ad annum à Christo nato millesimum centesimum trigesimū, cùm Magnus Gothorum Rex Christianæ disciplinæ studio paganam superstitionē perosus, & fanum cultu, & Iouem insignibus spoliare, sanctitatis loco habuit: qui propterea ad multa tempora à Gothis perinde ac cœlestium spoliorum sacrilegus raptor reputatus est. Solebāt etiam Gothi processuri in prælium, equos ad aras immolare, quorū abscissa capita contisque excepta, subiectis stipitibus distentos faucium rictus ante acies præferebant. Nec tan tùm victimas ante bellū, verùm etiam post superatos hostes hostias immolabant, magnificosq; ludos in honorem Deorum faciebant: in quibus effœminati corporum motus scenicique minorum plausus, ac mollia nolarum, siue ærium crepitacula ostendebantur. Hæc & alia eximia sacrificiorum genera potissimùm faciebant, vt diis iuuātibus nulla bellorum vi superari possent. Adeò eis arma in desiderio & continuo vsu erant, vt reliqua omnia humana studia, nequicquam comparanda rei militari putarent. Præerant his sacris dispariu graduum sacerdotes, Pontifices, Archiflamines, Flamines, Salij, Augures: quorum primis, vtpote Pontificibus, permissa erat par cum Regibus potestas, tantaq; authoritas, vt quicquid illi vel suaderent vel iube rent, quasi de cœlo sonuisset, mox ipse Rex & populus alacres exequerentur. Instruxerunt gentem plurima sapientia, selegerunt sacerdotes, religionem fundauerūt. Testatur Dion Grecus, huic genti nulla ætate defuisse Pontifices, qui eos in sapientia erudirent. Erat quoque inter eos genus Pōtificum illustrius, quos Pileatos, & Pios vocauerūt: ex quibus Reges & sacerdotes sibi cooptabant, pront Iordanes latiùs prosequitur: qui dicit eos vacari Pios, & exire solitos vrbium portas cum citharis & vestibus candidis obuiam suis Gothis triumphantibus, vt Deos placarent.

Tonitrua Claudiana fiebant sub theatris, arcu ludis, saxis magna vi in orontheum proiectis.

Magnus Gothorum Rex.

Quidnam Gothi consuissuri præliū, itidē & à prælio reuersi facie bant.

Gothi pugnaces.

Gothorum Pōtificū vt Regum par potestas.

Dion Græ.

Pileati seu Pij Pontif.

Iord. hist.

De impugnatione Deorum. Cap.8.

RVrsus in aliam deuenére stultitiam & superstitionem, vt Deos bellicis suis expeditionibus non fauentes aut non iuuantes, diuersis armorum generibus contra cœlum extensis, putarint opprimere se posse, vel minis & terrorib. vt imperata facerent coërcere. Et hoc inaniter facientes, existimabant se non minoris potentiæ in terra timendos venerandósue fore, quàm hos apud superos vel inferos collocatos. Sed non aduertunt vetus prouerbium Gothorum, Ne proijciendus sit cōtus in cœlum, vnde densior remittitur claua.

Pro conto claua.

De fatalibus sororibus & Nymphis. Cap.9.

Tēpla Dianæ & Cereri consecrata.

ERant præterea in Aquilonaribus terris nonnulla templa Dianæ & Cereri consecrata, ædesque fatalium sororum absque humana ope præstigioso quodā artificio extructe, quas antiqui super futuris liberorum euentibus Parcarum oracula consulturi, nuncupatis solenniter votis precabundi accedere consueuerunt, vbi introspecto sacello quandoque ternas, quandoque plures sedes totidem Nymphis occupari cognouere: quarum aliæ liberalem pueris formam, vberemque humani fauoris copiam erogabāt, aliæ verò liberalitatis aut aliarum virtutum excellentiam condonabant: demum aliæ proteruioris ingenij reliquarum donis officere cupientes, futuris puerorū moribus parsimoniæ aut aliud crimen affixerunt. Nec solùm pueris, verumetiam ætate prouectis, & quandoque Regibus huiusmodi præstigiosarum artium commētis ludificatum fuisse comperitur. Hotherus siquidem Rex Suetiæ & Daciæ, inter venandum errore nebulæ à retiarijs longius auulsus, in quoddam syluestrium virginum cōclaue incidit, à quibus proprio nomine salutatus, quænam essent perquirit. Illæ suis ductibus auspiciisque, maximè bellorum fortunam gubernari testatur. Sæpe enim se nemini cōspicuas præliis interesse, clandestinisq; subsidiis optatos amicis præbere successus: quippe conciliare prospera, aduersa infligere posse pro libito memorabant; hortatæ eum ne Balderum arcano superū semine procrea-

Hotherus Suetiæ & Daciæ Rex.

tum

tum, armis lacesseret. Quo accepto Hotherus labentis hospitij tegmine defectus, sub dio se relictũ, totiusq; expertem vmbraculi, medijs repẽtè campis expositum conspicatur. Præcipuè tamen puellarum præpetem fugam, locique versatilem sitũ, ac fallacem ædis imaginẽ mirabatur. Ignorabat enim quæ circa se gesta fuerant, ludibrium tantùm inaneque præstigiosarum artium extitisse commentum. Deinde aliquot euolutis annis, idem Hotherus acerrimis contritus bellis, extrema locorum deuia peruagatus, insuetumque mortalibus nemus emensus, ignotis virginibus habitatum fortè reperit specum. Easdem esse constabat, quæ eum insecabili veste quondam donauerant. A quibus cur eo locorum venerit interrogatus, infaustos belli declarat euentus. Itaq; fide earum damnata, gestarum infeliciter rerum fortunam tristesque casus deflere cœpit, secus sibi cessisse questus, quàm ab ipsis promissum accepit. At Nymphæ eum quanquã rarò victor extiterit, æquam tamen hostibus cladem ingessisse dicebant: nec minoris stragis authorem fuisse quàm complicem: cæterum affuturam victoriam, si edulium augendis inimici viribus excogitatum præripere potuisset, quo eueniret vt omnia votis suis prospiceret successura. Sicq; dimissus vires reparat, militiamq; conscribit in hostem. Cuius castra dum peruigil obseruabat, vidit excessisse tres Nymphas arcanæ dapis gerulas, quas cursim insequẽs (nam earum fugam rosida prodidere vestigia) tandem tecta quibus assueuerant subit, citharæque (cuius peritissimus erat) dulcissimo ministerio accurati nitoris cingulũ potentemq; victoriæ zonam ab eis obtinuit: atq; itinere quo venerat repetito, hostem obuium ilicò lethifero vulnere fudit, vt postridie Proserpinæ, quæ sibi per quietem astare aspecta est, transmitteretur. *Balderus superũ semine creatus.*

De Eluarum, id est, spectrorum nocturna chorea. Cap. 10.

Solent quoq; nocturni viatores, gregumq; & armẽtorũ excubijs intẽti, portẽtis diuersi generis circunfundi: velut Hotherus Rex (teste Saxone) tres Nymphas ad earũ antra secutus, victoriæ zonã & cingulum

impetrauit. Quandoq; verò saltum adeò profundè in terram imprimunt, quod locus cui assueuerant, insigni ardore orbiculariter peresus, non parit arenti rediuiuũ cespire gramen. Hunc nocturnum monstrorum ludum vocant incolæ Choream Eluarum: de quibus eam habent opinionem, quòd animi eorum hominum qui se corporeis voluptaribus dedũt, earumq; quasi ministros præbent, impulsuiq; libidinum obediunt, ac diuina & humana iura violant, corporibus illapsi circum terram ipsam volutantur. E quorum numero credunt eos esse, qui se adhuc nostro seculo in effigie humana accommodare solent ministeriis hominũ, nocturnis horis laborando, equosq; & iumenta curando, vt infrà de ministerio dæmonum hoc eodem libro ostendetur.

Chorea Elvarum. Gothorum de spectris opinio.

De pugna contra Faunos. Cap. 11.

CVm varia portẽta innumeraq; præstigia penè per totum orbem olim fuisse transacta testetur antiquitas, lemures videlicet & faunos, satyros, laruas, aquilos, striges, lamias, manes, panumque cateruas, quibus homines aut falso applausu turpiter illudebãtur, aut indicibili terrore & laniatu ad extrema fata crudeliter rapiebãtur: non putaui silendum fore, quibus ingeniis & armis huiusmodi spectris apud Aquilonares occurrebatur. Traditur enim, nobiles Gothorum athletas cum mõstris, & insitatæ feritatis beluis, vel ob imbecillorum hominum liberationem, vel experiẽdæ virtutis gratia, sæpe solos pugnauisse: cauebanrque ne commiratiores beluam aliquam aggrederentur, quàm fortium virorum permitteret consuetudo. Regnerus Sueticus pugil & Rex, aduersus obscœnissimas nocturnorum portentorum cateruas à Thorilda nouerca muliere crudelissima immissas, noctẽ dimicando permensus, luce reddita, varias laruarum formulas & inusitata specierum figmenta, passim aruis incidisse cognoscit: inter quas Thorildæ etiam ipsius crebris obfusa vulneribus effigies visebatur. Quo facto & athleticam sibi claritatem acciuit, & paternum regnum ab inimicis eripuit. Præterea Broderus quidam & Buchi cum Rege Gormo-

Regnerus Rex.

Thorilda.

Broderus [illegible]

Gormone, nouum audaciæ genus complexi, hæreditarium Gothicæ fortitudinis spiritum, scrutandis rerum naturæ vestigiis, exculturi, iter omni refertum periculo ac penè mortalibus inuium aggrediebantur. Ambirorem nanque terrarum Oceanum nauigātes, solem post ponentes ac sydera sub chao peruagantes, ac demum vltra terram Biarmiæ in loca lucis experti (prout capite primo libri primi ostensum est) iugiousq; tenebris obnoxia peruenienres, cum incredibili monstrorū gregē pugnam conseruerunt. Siquidem incursanres se Lamias, adactis vndique spiculis incessabant, arcuumque & fundarum tormentis agmen obtriuere mōstrosum, prout Saxo Danorum historicus, antiquirarū diligentissimus indagator, libro octauo de Rege Gormone præfatur. Extat etiam inter veteres historias relatum, quomodo Hotherus Regis Sueriæ filius, pernox atten ta curis mente languescens, obumbrantem tabernaculo suo Satyrum Memmingum hasta petiuit, obrutumque ictu, nec saris fugæ potenrem, vinculis intercepit: vltimò deinde per summam verborum atrociratem minatus ensem armillasq;, quorum notiriam habuit, deposcit. Nec segniter Satyrus salutis redemprionē, quæ ab ipso petebarur, exhibuit. Adeò cunctis rebus prior est vira, cùm nihil apud mortales spiritu charius existere soleat. *Gorme Rex.* *Saxo hist.* *Hotherus Rex.* *Memming.*

De diuinatione. *Cap.12.*

Satisfaciendo huic riruło, præmittere oportebit ver bum Catholici doctoris Chrisostomi dicentis in Homelia: Erunt signa in sole & luna, &c. quòd nul la creatura est, quæ tātum futura scire desiderat, vt homo, &c. Quo consideraro insuper farendum erit, nullam vnquam gētem tam humanam tanque doctā, imò nec tam immanē aut barbarā fuisse, quæ nō significare futura, & à quibusdam intelligere ac prædicere cōsueuerit: maximè tamen Aquilonares homines, quos studio futura præsciendi occupatos fuisse comperto: quandoquidem volatibus auium, saltu, sonoq; pisciū, cantibusque & exhalationibus montiū, &c. vt certissimis *Aquilonares futurorum præsagi & malis artibus deuoti.*

 simis

ſimis ſignis declarari res futuras putabant. Nullũ bellum, nullum negotium publicum, nec domi, nec militiæ ſine auſpiciis gerebatur. Nec ſola aruſpicum diſciplina, ſed ſortilegiũ, aëromantia, geomantia, pyromantia, necromãtia, inſuper etiam ſomnia grauiora, ſi quæ ad Rempub. pertinere viſa ſunt, à ſummis præſidibus accepta habantur. Othinus, Hadingo Regi contra Iocherum Curetum tyrannum bella moturo captiuitatem prædixit, quæ non aliter quàm eo ordine quo prędixit euẽnit. Gouarus Noruegiæ Rex adeò doctiſsimus diuinandi erat induſtriaq; præſagiendi excultus, vt quicquid in Saxonia cõtra ſe tentaretur, preuideret in Noruegia vltra 100. miliaria Germanica conſtitutus. Gormo cognomento Impius profuſo in ſomnum animo, exiſtimauit cõiugem ſuam duos alites genuiſſe, ſed alterum altero grandiorem: corpora ſupernè librantes præpeti cœlum volaru petere, exiguoque tempore interiecto reuerſos, ſuis altrinſecus manibus inſediſſe: ſecundò quoque ac tertiò paruula quiete recreatos, propanſis alis aëri ſe crediſſe, tandemque minorẽ ex his, ad ſe (pennis cruore oblitis) comite vacuum remeaſſe. Cuius ſomnij veritas ſic declarata eſt. Duo eius filij ſubactis Anglis, Sclauis & Hybernis, proſpera vſi ſunt fortuna, donec natu maior in bello concideret, minor verò fratre orbatus pennas cruore oblitas referre videretur. Magnus Noruegiæ & Daniæ Rex, cũ nocte qua bellum Sclauicum inſecutũ eſt ſe ſopori dediſſet, imago cuiuſdam, dormienti obuerſata prędixit, eum hoſte ſuperiorem futurũ, inque aquilæ nece, victoriæ fidem auſpiciaque ſumpturum. Expergefactus Rex, viſionis ordinem magna cũ admiratione vulgauit, progreſſoq; exercitu Aquilam, quæ in quiete monſtrata fuerat, cominus conſpectam pernici equo aduolans haſta petiuit, fugamq; alitis veloci iaculo præcucurrit. Arripuit igitur omen exercitus, & primam pugnandi occaſionẽ corripiens, eodemque euentu quo omine dimicans, inimicos ſuperauit. Valdemari Regis exercitum ad bella progredientem, tam celeri coruorum greges interuolaſſe produntur, vt complures ſe erectis militum haſtis feriendos obiecerint. Victus ab eo Sueno rex & totus eius

Othinus.

Gouarus Noruegiæ Rex.

Gormonis & Magni Noruegiæ Regis inſomnia.

Valdemarus Rex.

Sueno Rex.

eius exercitus; coruorum laniatui substratus augurij declarauit euentum. Biorno insignis athleta insulam quãdam incitatissimi fluminis ambitu munitam, cum electa pugilum manu complexus, vidit per quietem egressam vndis beluam, quæ tristes ore flammas egerẽs, continenti cuncta incendio daret sequenti luce. Fridleuus rex superatis impetuosi amnis vorticibus, pugiles omnes (Biornone excepto) ferro consumens, somni modum expleuit. *Biornonis somnium.* *Fridleuus Rex.*

De arte magica Erici Ventosi pilei, & aliorum. Cap.13.

HIc Ericus Rex Suetiæ in arte magica nulli suo tẽpore secundus habebatur: tamque familiaris erat malis dæmoniis, quorum cultui summopere vacabat, vt quocunque verteret pileum suum, confestim inde optatus ventus aspiraret. Quo euentu inditum illi nomen fuit, vt Ventosus pileus diceretur. Creditumque à multis erat, Regnerũ Daniæ regem, huius Erici nepotis sui ductu, in remotissimas orbis partes piraticam feliciter extendisse, multasque regiones & munitissimas vrbes eius ingenio subiugasse: demum cooperato rem fuisse, vt procerum consensu & electione, in Regem Suetiæ assumeretur: quod ei diuturnum felixque permansit donec senio moreretur. Præterea alter quidam Ericus cognomine Emundus, cùm nauigare statuisset, & quidam nautarum per quietem vidisset per inculta montium iuga lasciuo admodum equo se prouehi, eoque cursum citante, inter vallium opaca præcipitatum crebris noctuarum vnguibus laniari: idque manè per iocum sodalibus retulisset. Rex ipse non minus in diuinatione quàm magica peritus, ea visione veluti periculi præmonitus, ne eum nauigationis comitem haberet, in aliud se nauigium conferri præcepit: Et ita pereũtibus sociis, regis nauigium est saluatum. Cæterum Frotho Danorum Rex proprio fratre Haraldo indiosè perempto, ne & innocentes pueros nepotes suos Haraldum & Haldanum truculenter perderet, tutores eorum in specu subterraneo catulorum *Regnerus Rex.* *Ericus Emundus.* *Frotho Danorum Rex crudelis & impius.*

ſpecie (Saxone teſte) eos ſeruabãt ac nutriebant, variis figmentis affirmantes, eos à lupis noctu fuiſſe deuoratos. At Frotho mortis eorum fide repudiata, latebræ locum, ex perita augurij fœmina cognoſcere inſtitit: cuius carminum tanta vis etat, vt rem quantalibet nodorum conſortione perplexam, è longinquo ſoli ſibi conſpicuam, ad contactũ euocare poſſe videretur. Hæc Regnonem quendam, occultè circa illos educationis officium peregiſſe, eoſque tegendæ rei gratia caninis cenſuiſſe nominibus aſtruebat. Qui cùm inuſitata carminum violentia latibulis egeſtos, incantantis obtutibus admoueri ſe conſpicerent, ne tam horrendo coactionis impetio proderentur, gremium eius, accepti à tutoribus auri incuſsione perfundũt: quæ recepto munere repentina morbi ſimulatione pat exanimi concidit. Perquirentibus Regis miniſtris cauſam tam ſubiti lapſus, inſcrutabilem puerorum fugam exiſtere memorabat: quorum eximia vis etiam atrociſsimos carminum temperat effectus. Ita paruulo contenta beneficio, maius à rege præmium præſtolari deſijt. His itaq; & ſimilibus argumentis deprehenditur quantum diuinationis & magicæ artis potẽtia apud antiquos venerabatur: quæ nunc certa negligentia temittitur & annihilatur, efficientibus id prognoſticationibus, augutiis, extiſpiciis, igniſpiciis, hydraulicis, ſortibus veſtigiariis, & mille aliis ritibus ſacrilegis, dæmoniorum illuſionibus adinuentis. Vtuntur nihilominus adhuc certis diuinationibus (cauſis naturalium rerum approbatis) etiam ſortibus, ligni particulis duabus, tribus, vel pluribus in vnam proiectis, vt earũ colore candido, fuſco vel rubro, hæreditates diſtribuant perſonarum.

Maga carmine potẽs. Regno pietate inſignis.

De magicis mulieribus. Cap. 14.

Artem magicam apud Septentrionales populos quantum calluerint olim mulieres aliquot, paucis exemplis oſtendetur. Hagberta Vagnoſti gygãtis filia inſolito ſuæ grandītatis aſpectu, nunc contractioris, nunc exilis, nũc defluentis ſubſtãtiæ modo corrugata, modò explicati corporis ſitum arbitraria mutatione tranſ-

Hagbertæ metamorphoſes.

transformare solebat: atque nũc proceritate cœlis inuecta, nunc in hominem angustioris habitus composita, cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, naues sublimare, deos infimare, sydera extinguere, tartarum illuminare posse credebatur. Hadingo rege cœnare, alia eiusdem artis fœmina cicutarum gerula, propter foculum humo caput extulisse cõspecta est, porrectoque sinu percontari visa, qua mũdi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta: cuius cognoscẽdi cupidũ Regem, proprio obuolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit: ostensisq; infernalium regionum monstris, tandem mundo restituit. Craca Noruegiana mulier futuri filij sui Rolleri fortunæ consultura, pulmentum parat: cui tabificum humorem trium colubrorum supernè renui reste depensorum instillabat. Sed Ericus Cracæ priuiginus, dapem filio Rollero paratam ad se transtulit: faustaq; dape refectus, interna ipsius opera ad summum humanæ sapientiæ pondus euasit. Quippe epuli vigor supra quàm credi poterat, omnium illi scientiarum copiam ingenerauit, ita etiam vt ferinarum pecudaliumq; vocum interpretationẽ calleret. Præterea tam comis atq; ornati eloquij erat, vt quicquid disserere cuperet, continuo prouerbiorũ lepore poliret. Huius consilio Frotho rex potẽtissimorum Hunnorum exercitum, 170. Regum ope succinctum deuicit. Hunc tandem Ericum Gestilblindus Gothorum rex sibi & regno Suetiæ successorem effecit: idq; tẽpore natiuitatis Christi. Frotho verò Rex à malefica in bouem conuersa, dum eius cornibus in quodam maris littore impetitur, exanimatus occubuit. Guthruna Larmerici regis propugnatores fubirò oculis capros, in seipsos arma conuertere procurauit. Olla autem omnium maleficarum commune solet esse instrumentum, quo succos, herbas, vermes, & extra decoquãt, atq; ea venefica dape ignauos ad vota alliciunt, & instar bullientis ollæ, nauium & equitum aut cursorum excitant celeritatem.

Hadin. rex ad inferos ductus & reductus, sagæ cuiusdam opera.

Ericus hasto Cracæ pulmẽto repentè sapientissimus et disertiss. rex euasit.

Frotho Rex Gestilblin. Maga in vaccã conuersa Frotonẽ cornibus occidit.

De Magis & maleficis Finnorum. Cap. 15.

QVæ etiam vis sit magorum & maleficorum in cogendis elementis, tam sua, quàm aliena manu incantatis, vt mitiùs vel rigidiùs naturalem ordinem temperent, quàm poterimus breuissimè ostédemus, hoc præmisso, quod hæc extremi Aquilonis regio Finlandia ac Lapponia, ita erat docta maleficiis olim in paganismo, ac si Zoroasten Persam, in hac damnata disciplina doctorem habuisset: licet & alij Oceani incolæ ea vesania fascinati dicerentur: adeò enim attonitè hanc maleficam artem totus orbis in hoc & simili malo plurimùm concors celebrat. Solebant aliquando Finni, inter cæteros gentilitatis errores, negociatoribus in eorum littoribus contraria ventorum tempestate impeditis, ventum venalem exhibere, mercedeque oblata, tres nodos magicos non cassioticos loro constrictos eisdem reddere, eo seruato moderamine, vt vbi primum dissoluerint, ventos haberent placidos: vbi alterum, vehementiores: at vbi tertium laxauerint, ita sæuas tempestates se passuros, vt nec oculo extra proram in euitandis scopulis, nec pede in naui ad vela deprimenda, aut in puppi pro clauo dirigendo, integris viribus potirentur. Hique infelicius rem experti sunt, qui vim eiuscemodi nodis per contemptum inesse negarunt. Sed hæc gens Aquilonaris arte hac post susceptum Christianismum, legis coerctione nunquam in aperto visa est vti. Præterea Siualdo Suetico Haldani regis æmulo, septem fuêre filij tanto veneficiorum vsu callentes, vt sæpe subiti furoris viribus instincti, solerent ore toruo infremere, scuta morsibus attrectare, torridas fauce prunas absumere, extructa quæuis incendia penetrare: nec potuisset conceptus dementiæ motus alio remedij genere, quàm aut vinculorum iniurijs, aut humanæ cædis piaculo temperari.

Zoroastes Persa.

Finni vendunt vẽtos. Nodi tres, 1. si soluatur placantur venti. si 2. irritantur si 3. in furorem aguntur.

Magia omnis à suscepto Christianismo Gothis interdicta.

7. filij magi Siualdi Regis.



De magicis instrumentis Bothniæ. Cap. 16.

INter Bothnicos homines Septentrionis, passim reperiebantur malefici ac magi, tãquam in proprio loco: qui per summam ludificandorum oculorum peritiam, suos alienosque vultus varijs rerum imaginibus adumbrare callebant, fallacibusq; formis veros obscurare conspectus. Nec solùm pugiles, verum etiam fœminæ & teneræ virgines, pro voto suo larvas liuido squalore terribiles, faciesque adulterino pallore distinctas, ab aëris teneritudine mutuari consueuerunt, & rursus ablegato nubilæ inumbrationis vapore, præteritas ori tenebras sudis perspicuitate discutere. Tãtamque vim carminibus eorum adfuisse constat, vt rem remotissimè positam, & quantalibet nodorum consertione perplexam, conspicuam, & præsentissimam efficerent. Talibusque præstigiis idipsum hoc modo demonstrant: Scire cupientes statum amicorum, aut inimicorum longinquo terrarum spacio, quingentorum vel mille milliarum inde distantium, Lapponem seu Finnonem huius rei peritum, dato munere lineæ scilicet vestis aut arcus, rogant experientiam fieri, vbinam fuerint & quid agant amici vel inimici. Quocirca conclaue ingreditur vno comite vxoreque contentus, ranam æneam aut serpẽtem malleo super incudem præscriptis ictibus contundit, carminumq; murmure hinc inde

Teneræ puellæ magiæ callent.

Diuinandi ratio.

inde reuoluit, continuoq; cadēs in extrasim rapitur: iacetque breui spatio velut mortuus. Intereà diligentissime à prædicto comite, ne quoduis viuens, culex aut musca vel aliud animal eum cōtingat, custoditur. Carminum nanque potentia, spiritus eius malo dæmone ductore, à longinquis signa (annulum vel cultellum) in testimonium expeditæ legationis seu cōmissionis, reportat. Illicoque resurgens eadem signa cum cæteris circunstantiis, conductori suo declarat. Nec minoris efficaciæ perhibentur in hominibus diuersa ægritudine prosternendis. Faciunt nanq; de plumbo iacula magica, breuia ad modum digiti: ea emittunt per quæuis dissita loca, in eos de quibus vindictam expetunt. Hi oborto carcinomate à crure vel brachio intra triduum vehementia doloris exanimantur. Extant etiam præstigia seu maleficia Helsingorum: quorū princeps Vitolfus quos voluit ita videdi officio spoliauit, vt propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigiis indagare, adeò luminum vsum nubilo quodā errore obtundere callebat. Preterea Visinus eximiæ opinionis gladiator omnem telorum aciem ad hebetudinem solo conspectu redigere solebat. Gladio tamen Suetici gygantis Starchatari (de quo inferius dicetur) interemptus est. Tenuissima enim pelle (quod vnicum contra hebetandi vim remedium perhibetur) gladium suum semper seruauit obtectum. Verum proiectibilia saxa nulla arte, vel carmine, ne fortiter emissi noceant, hebetari possunt.

Vitolfus Helfingus hominum excæcator.

Visinus gladiator.

Starchatarus.

De magis

De Magis Marinis. Cap.17.

COlebatur etiam inter alia Aquilonis numina, magus quidam Hollerus nomine, nō minori fraude quàm singulari superstitione, diuinitatis opinionem & cultum sibi in gente curiosa vendicans. Is siquidem parem cum Othino amplitudinem in medio deorum assecutus, adeò armorum & præstigiorum vsu clarus euaserat, vt ad traiicienda maria osse quod diris carminibus obsignauisset, nauigij loco vteretur: nec segnius eo, quam celerrimo velorum ventorumq́ue vsu, præiecta aquarū obstacula superaret. Tādemq; vt diuinitas eius ostēderetur esse mortalis, ab æmulis suis truculentissima morte est interēptus. Præterea Oddo Danicus pirata maximus, tantum magicè doctus extitit, vt absque carina altum pererrans, hostilia sæpe nauigia concitatis carmine procellis euerteret. Itaque ne cum piratis in maritimarum virium certamen descenderet, exasperatos maleficio fluctus & ventos ad naufragia eisdem infligenda perducere solebat. Hic vt negociatoribus atrox, ita ruri colis extitit clemens, aliter rusticas munditias, aliter sordidos hominum quæstus æstimans. Is etiam in hebetando carmine ferro, miro ingenio pollebat: & tandem peritiore hoste circunuentus, gurgite submergitur, qui marinos vortices præstigiosis carminibus olim calcare consueuit.

Hollerus deus habitus tandem interfectus est.

Oddo pirata magus sua victus arte periit.

De eisdem magis & similibus. Cap. 18.

DEinde Othinus maior atque senior inter magos, Hadingum quendam Daniæ regem magicis præstigiis turpiter illusum, atque longius à suis familiaribus auulsum, equo per vasta maris spatia ad propria reduxit. Cum tamen Hadingus duceretur, amiculi eius rimas, sub quo trepidus delitebat per summam rerum admirationem, visus perspicuitate traiiciens, animaduertit equinis freta patere vestigiis: prohibitusque rei inconcessæ captare cōspectum, plenos stuporis oculos, à terribili itinerum suorum contemplatione deflexit.

Othinus maior, magorum vetus pater.


Hadingus Rex Danus

Demum

Haquinus Rex Magus. Magia in bello.

Demum Haquinus Noruegiæ princeps contra Danos pugnaturus, coorti imbris maleficio, ita hostiũ vertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit, vt eorũ oculi veluti quibusdam nymborum spiculis lacessiti, prospiciẽdique penitus facultate defecti, grauiorem ab elementis pugnam quàm ab hoste sentirẽt. Præterea Biarmenses polo Arctico viciniores, in Septentrione cõtra potẽtissimum Regem Regnerum pugnaturi, carminibus aggressi cœlũ, solicitatas nubes ad summam vsque nimborum violentiã impulerunt. Deinde Danos subitò remissa tempestate, tẽpestuosissimi feruoris flagrantia torruit. Ita anceps geminæ intemperantiæ malum, vicissim affecta corpora salute & victoria spoliauit.

Regnerus Rex.



De Mago ligato. *Cap. 19.*

Veter lacus.

Apud Ostrogothos lacus est maximus recentium aquarum Veter dictus (de quo superius satis dictũ est) amœnam, sed oblongã insulã in vmbilico suo habens, duas tenẽtem Ecclesias parochiales: sub quarum altera specus cauernoso longoq; introitu & exitu immensæ profunditatis reperitur: quam specum, nõ nisi vane ostẽtationis, & curiositatis homines laternis accẽsis filisq; glomeratis, repetendi regressus causa prouisi descendunt: ea potissimùm ratione, vt quendam magum Gilbertum nomine videant, arte magica, vnde

Gilber. magus quasi alter Prometheus.

(vnde calamitas eius orta est) à vetustissimo tempore *Catillus.* per proprium præceptorem Catillum, cui insultare præsumpserat, superatum atque ligatum. Id eo factum est scilicet modo, vt exiguo fuste certis characteribus Gothicis seu Ruthenicis sculpto, atque à præceptore proiecto & manibus apprehenso, ipse Gilbertus immobilis maneret & obstrictus, vt nec dentibus ad soluendum adhibitis (quasi tenaciori bitumine astrictis) nec pedibus doloso præceptoris consilio admotis dissolui posset. Cuius spectaculi causa visendi, etsi plures temerarij spiritus inspectores vehementi admiratione accurrere soleant, tamen non propius, ob fœtorem cauernæ & noxios vapores aggredi præsumunt, ne spiritu obstructo clausoque stomacho suffocentur. Arcentur etiam appositis aggeribus & repagulis incolarum, ne proprij periculi contemptores, velut insanientes (nunquam egressuri) ingrediantur. Præterea lege grauissima, tanquam de his qui sibi mortem consciuerunt, prouisum est, ne hæc pericula agnoscentes, alios inexpertos ad huiusmodi spectaculum perscrutandum alliciant aut allectos inducant. Hæc igitur supradicta insula Visingxœ, valde insignis reputatur ob amœnã *Visingxœ.* & securam stationem Regum, qui & in ea mortui sunt ac tumulati.

De castigatione maleficarum. Cap. 20.

NE videantur Septentrionales maleficæ solùm hîc *Vincen. in spe. histo.* ad tristia spectacula adduci, occurrit Vincẽ. in spe. hist. lib. 25. cap. 26. afferens, Anglicanam fœminam arte Magica illusam, à dæmonibus post dira tormenta, ad aëra cum clamoribus horrendis fuisse raptã. Cuius verba hæc sunt: Mulier quædam apud Berheliam Angliæ villam auguratrix & malefica, cùm quadam die conuiuaretur, cornicula quã habebat in delicijs, vocalius solito nescio quid cornicata est. Quo audito, cultellus dominæ de mann excidit, simul & vultus expalluit. Et ingemiscens diutissimè ait: Hodie ad vltimum sulcum peruenit aratrum meum: hodie audiam & accipiam grande incommodum. Adhuc ea loquẽte, venit ad eam

nuncius dicens: Hodie mortuus est filius tuus, & tota familia subita morte interijt. Quo audito, continuo dolore saucia decubuit: vocarique præcepit superstites liberos, monachum & monacham, quibus singultiendo ait: Ego miserabili quodam fato meo, dæmonicis actibus semper inseruiui: ego vitiorum omnium sentina & illecebrarum magistra fui, & superabam tantùm in religione vestra & à meipsa desperaui. Nunc ergo quia scio me dæmones habituram exactores in pœna, quos habui suasores in culpa: rogo vos per materna viscera, vt mea tentetis alleuiare tormenta: nam de anima sententiam damnationis non reuocabitis. Corpus ergo meum insuite in corio ceruino & includite in lapideo sarcophago & operculum ferro & plumbo constringite, & lapidem ipsum tribus magnis catenis circundate. Si tribus noctibus ita securè iacuero, quarta die infodietis me in humo: quanquam verear ne terra nolit me recipere pro maleficijs meis. Psalmicines quinquaginta sint noctibus, & missæ cantentur pro me tot diebus. Factum igitur est vt præceperat & nihil valuit. Primis enim duabus noctibus, cùm chori clericorum psalmos canerent circa corpus, singuli dæmones, hostiũ ecclesiæ immani obice clausum leui negotio confringentes, duas extremas catenas diruperant: media verò quæ operosiùs elaborata erat, illibata durauit. Tertia nocte circa galli cantum, strepitu aduenientium hostium, omne monasteriũ visum est à fundamentis moueri. Vnus nempe vultu cæteris terribilior & statura celsior, ianuas maiori vi concussas in fragmẽta deiecit, & arroganti gestu accessit ad sarcophagum, inclamatoque nomine, vt surgeret, imperauit. Qua respondente, Nequeo præ vinculis: Solueris, inquit, & malo tuo. Statimque catena, quæ cæterorum ferociam eluserat, nullo conamine vt stupam dirupit, operculumq; tumbæ pede depulit, & apprehensa manu palam omnibus, ab Ecclesia extraxit ad fores, vbi paratus erat equus niger superbè hinniens, vncis ferreis per totum protuberãtibus, super quem misera illa mulier imposita, ab oculis intuentium cum toto sodalitio disparuit. Audiebantur tamen clamores, per quatuor ferè millia-

Veneficæ cuiusdam desperata confessio.

ria, miserabiles suppetias deprecātis. Quale etiam diaboli ludibrium ob dæmonum cultum, acciderit infelicibus Rugianis in vrbe Karentina, refert Saxo lib. 14. *Saxo.*
vbi dæmonum illusione, primùm stupra hominū prouocata erant, & tandem ilicò sub ipso spurcissimo *Karentina Rugiæ.*
actu detestabiliter punita. Siquidem mares in ea vrbe *Obscœnum miraculū.*
cum fœminis in cōcubitum accitis, canū exemplo cohærere solebant, nec ab ipsis morando diuelli poterant. Interdum vtrique perticis è diuerso appensi, inusitato nexu ridiculum populo spectaculum præbnere. Ea miraculi fœditate solennis cultus ignobilibus statuis accessit. Creditumque est earum viribus effectum, quòd dæmonum erat præstigijs adumbratum. Talia ergo testante S. Augustino libr. 8. de ciuit. Dei, alto iu- *D. Augu.*
stoque Dei iudicio finuntur pro meritis eorum, quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam subijci ac decipi iustum est. Qui autem nec felicem in futuro vitam, nec modò habere vult piam, talibus sacris mōrtem quærat apud inferos. Qui autem cum malignis dæmonibus non vult habere societatem, non superstitionem qua coluntur, noxiam pertimescat, sed veram religionem, qua produntur & vincuntur, agnoscat.

De damnis à dæmonibus datis.
Cap. 21.

IN Septentrionalibus siue Aquilonaribus locis (vbi literali sensu sedes est Satanæ) indicibili ludificatione varijsque formis, habitatoribus eorum locorum applaudunt, imò & damna inferunt, ædium videlicet euersionem pecudum interitum, agrorum destructionem, castellorum aquarumque omnimodam desolationem.

LIBRI TERTII FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De bellis & moribus ſylueſtrium paganorum ac vicinorum.

EPITOME LIBRI QVARTI.



De infelici pugna Regis Danorum Regneri. *Cap.* 1.

Saxo Grãmaticus.

REfert clatiſsimus Danicæ hiſtoriæ author Saxo Grãmaticus, Regnerũ Regẽ Danorũ, integro luſtro in oris Ruthenicis piratica expleta, animũ induxiſſe, vicinos Biarmẽſes, homines ſcilicet Septentrionales mõtes & loca cãpeſtria inhabitãtes, hoſtilibus armis & incõparabili potẽtia ſua humiliãdos aggredi. Qui cùm aduentũ eius cõpertum haberẽt, carminibus aggreſsi cœlũ, ſolicitatas nubes ad ſummã vſque nymborũ violentiã impleuerunt.

Carmina in bellis.

Quæ res Regnerũ aliquãdiu nauigatione prohibitum alimentorum facultate defecit, eundemq́ue ſubitò remiſſa tempeſtate, æſtuoſiſsimi feruoris flagrantia torruit. Nec ea quidem peſtis concitati frigoris magnitudine intolerabilior extitit. Itaque anceps geminę intẽperantię malum, viciſsim affecta corpora ſuorũ militũ immoderata vtriuſq; ſtatus acceſsione corrupit. Verũ

vt Rex



vt Rex ſe adulterina magis, quàm vera aëris vi impeditum animaduerteret, Biarmorum inſolentiam vlturus, iterum eoſdẽ inopinato repetiuit aſſultu. Quorũ Rex, peritiſsima ſagittariorũ vicini ducis Finmarchię opera fretus, Regneri in Biarmia hybernantis impunè lacerauit exercitum. Quippe Finni (vt in principio primi libri tactũ eſt) lubricorũ ſtipitũ celeri allapſu curſum intendere ſoliti, arbitraria velocitatis potẽtia rapiuntur, promptiſsimamq́; propinquitatis vel abſentię facultatem obtinent. Mox enim vt hoſtẽ læſerint, eadẽ celeritate qua ſubeunt auolãt, nec procurſu lãguidiũs reditũ tentant. Itaq; & vehiculorũ & corporũ agilitate, inſtãdi fugiendiq́ue expertiſsimã habent poteſtatẽ. Credendum (vt idẽ Saxo refert) potentiſsimum Regẽ fortunę ſuæ imbecillitatẽ admiranter tuliſſe, cùm ſe olim Romani culminis triumphatorem, ab inermi inconditoq́; agmine, ad vltimum vſq; diſcrimen abripi perurderet. Itaq; qui ſplendidiſsimum Romanę militię decus, maximiq; ac ſereniſsimi ducis inſignes copias excellenter obtriuerat, agreſtis & ignobilis vulgi ſordidiſsimo atq; tenuiſsimo apparatui ceſsit: isq́ue cuius bellicam anteà claritatẽ fortiſsimę gentis vis hebetare nequeuerat, deſpicabilis populi paruulã manum ſuſtinere non valuit. Quo euenit, vt ea manu qua clariſsimam orbis pompã ac grauiſsimum militaris roboris inſtrumentũ fortiſsimè contudit, qua tot peditum, tot caſtrorum, tãti equitatus fragorem apertiſsimè ſubruit, vilem obſcuramq́;

Finnorum ligni pedũ, in prælio agilitas.

plebeculam, furtim, & quasi per latrocinium incessere sustineret, illustremq; gloriam suam, palàm atq; interdiu partam, nocturna fallacia maculare non erubesceret, manifestæ fortitudinis loco clandestinas amplexatus insidias. Quæ res vt opere deformis, ita exitu vilis fuit, potuitque vsitatum carmen dicere:

Eheu quàm breuibus pereunt ingentia causis.

Arngrimus pugil Sueticus, ob eximiã suã in bellis virtutẽ, Frotonis Dano. Regis gener euasit.

Præterea quòd Arngrimus, Tengildum Finmarchorũ & Egbertum Biarmorum Reges, Frothoni Danorum Regi tam obstinato animo & viribus resistentes deuicerit. Ipse Frotho filiam quam vnicè diligebat, eidem Arngrimo Suetico pugili, qui Egbertum duello prouocatum deuicit, matrimonio copulauit: haud incongruum ducens, eius se socerum exhibere, qui sibi tantis operum titulis sublato hoste acerrimo, potentem latè claritatem struxisset.

De immanitate syluestrium incolarum. Cap. 2.

Caspij mõtes.

QVemadmodum Orientales populi Caspios montes inhabitantes, ob vehemẽtem orituri solis strepitum, ac horrendum sonum secretis exhalationibus è terræ visceribus excitatum, ad cauernas vitã conseruaturi refugiunt, auresq; ambas obturant, vt vrgente tempore tutiores fiant: ita gentes in vltimis Noruagici Oceani littoribus constitutæ, ob validissimũ ventum Circium & densitatẽ niuium in excelsis montibus suscitatam, specus subterraneas habẽt, pisciumq; ac ferarum vsu viuunt. Hiq; aliorum aliunde adnauigantiũ congressum tanquã prædonum, ne fortè in captiuitatẽ redigantur, abhorrent. Attamen profugos tyrannica crudelitate oppressos, pro sua defensione consortes admittunt instruuntq;, quomodo piratas littora eorũ accedentes, positis insidijs suscipere vel interimere possint. Possunt quidem dum refugas se simulant, vel obsequium portuum ignaris exhibent ne periclitentur, quos volunt periculis claudi. Vbi verò exoticis hominibus non occurrẽtibus, hæc & similia ob congelatum mare inferre nequeunt, in ergastulis seu cauernis, beluarum marinarum ossibus ac costis constructis, propter ventos ac niues commorari coguntur. Hæ etenim ca-

Ergastula, pisciũ ossibus constructa.

uetnæ, in superficie tectorum ex alga factorum, more carinæ euersæ, satis ingeniosæ videntur extructæ: idq; ob vehementiam ventorũ, qui non minus formidabiles sunt ibidem, quàm diræ tempestates è gurgire suscitatæ. Sunt etiam inter eos certi homines, quasi Nomades, littus maris Caspij inhabitantes: qui cespitibus vel algis, aut musco montano coniunctis fruticibus, aditum ad eorum tuguriola claudunt, ne quis è mari proueniens, eos eorumq́ue secreta scrutaturus accedat. Et forsitan hanc cæli soliq; & antrorum duritiem nõ grauatim sufferunt, vt liberi fint ab importabili insatiabiliq; tributo crudelium tyrannorum, quibus immensurabilis Oceanus videtnr exilis vrna. De gentibus etiam Septentrionem versus, ad Oceani æstum, in rumulis habitantibus, satis multa & mira, Plinius libr.16. capite secundo recenset: Gentem scilicet miserã esse, quæ tumulos obtinet altos, aut tribunalia manibus constructa, ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis nauigantibus similes, cùm integuntur aquæ circundatę naufragijs. Cùm verò recesserint, fugientes cum mari pisces circa tuguria venantur: quos sic acceptos vento magis quàm sole desiccant.

Nomades. *Libertas carè empta* *Plin. Sec. li.16.ca.2.* *Pisces vẽto siccantur.*

Adhuc de syluestrium hominum ferocitate, &c. Cap. 3.

VErsus lacum albũ exrremi Septentrionis, vbi Regis & regni Suetiæ dominiũ latissimè extẽditur, circunquaq; ferocissimæ gentes habitant, alijs nõ vrentes thoracibus, quàm pellib⁹ onagrinis vel alcinis: similiter & arcubus, ac làceis minntissimo còro antrorsum retrorsumq́; obfirmatis. Agilitate enim admirãda (vti supetiùs lib.1. de Scricfinnis dictũ est) in omne latus se voluentes gyrantesq́;, quemcunq; imperum fallere vel auertere norũt: idq; pręcipuè super cacnminibus vàlliũ, perpetua dẽsitate niuiũ vbiq; repletis. Fereq; de eisdem gentib. expedit hic dicere, q̃ summus Scytharũ philosophus Anacharsis de eorũ moribus scripsit: id est, vt neq; quispiã qui ad eos se cõtulerit, aufugere queat, neq; ipsi capi possint, aut ne inueniri quidem, si nolint, atq; deprehendi. Siquidem nullæ sunt eis vrbes, nulla mœnia extructa, domos secum ferunt singuli, pedestres sagittarij

Anacharsis Philosoph⁹.

 tarij

Scytæ nullo pane viuunt. tarij nullo pane victirantes, sed ex piscibus & venatione ferarum, pro domibus plaustra habentes ac tentoria, vel ex induratis animalium corijs vel arborum codicibus cooperta. Hyeme tamen ad ripas aquarum, & æstate inter frutices arborum & opaca loca variata statione quiescunt. Tegumenta capitum pro frequẽtiori vsu habẽt exuuia anserum seu anarum syluestrium ac gallorum, qui vt cetera volatilia ibidem repeniuntur innumerabili quantitate. Pelles illic prætiosæ nimis multiplicatæ, potiùs commutatione rerum quàm vsu numeroq; nummorum reperiuntur.



De quintuplici lingua Septentrionalium regnorum. Cap. 4.

HAc diuersitate habituum & armorum, declaratur quanta sit differentia & distantia regionum, linguarum, ætatum & exercitiorum. Regiones itaq; multæ, magnæ ac potentes sunt, vt lapponum, Moscouitarum, Sueonum, Gothorum, Vermorum, Dalensiũ, Mõtanorum ac Noruegianorũ, quarum amplitudo in longum latumque extensa, maior est quàm simul sumpta Italia, Hispania ac Gallia, vt Plinius frustrà eas nõ vocauerit, ob incompertam magnitudinem, Alterum orbem. Ideoq; mirandum non est, quòd in ea quintuplicis linguæ vsus reperiatur, Seprẽtrionalium scilicet, Lapponum seu Bothniensium, Moscouitarum, Ruthenorum, Finningorum, Sueonum ac Gothorum & Germano-

Regionum Sept. nominia.

Alter orbis, quẽ vocat Plin.

manorum. Aetas verò hominum ibidem in nationibus frigidis eò prouenit, vt centū sexaginta & amplius annos viuāt, etiam in Anglia & Scotia: vbi quidem venerandus Episcopus Dauid vixit vltra clxx. annos. Exercitia etiam eorum (scilicet solitudines Aquilonis inhabitantium) sunt vt venationibus & piscaturis intenti, Moscouitarum commutationibus viuant. Finni siue Finningi, agriculturæ, piscationi, ac lignorum dolaturæ: Gothi, Sueones, prædictis exercitijs etiam operam præstant: aduenæ Germani diuersis rerum mercimonijs intenti, ex quæstu viuunt: leges terrigenarum acceptant: omniaque quæ ad mitioris vitæ genus spectare videntur, vt pannos sericeos, aureas texturas, & vina diuersa importāt. Armorum generibus quibus & qualibus vtantur, partim hîc, partim infrà, & fusiùs quidem, de campestribus prælijs ostēdetur. Hic autem manifestum relinquitur, inter omnes Septentrionales populos in arte sagittatoria Gothos esse expertiores, ac agiliores in balistis, vt Finni in arcubus comprobātur. Sueones securibus ac bipennibus ac hastis præliari solent. Habitus more vetusto breuis solet esse, ac strictus, preter caligas quę sunt laxiores. Sueones amplioribus, quasi Germanico ritu, vtuntur vestimentis. Moscouitæ longis more Gręcorum: quorum omnium sunt valde Boreales. Syluestres verò Lappones variarum ferarum pretiosis pellibus, nulla ornatus sed necessitatis causa vestiuntur.

Aetas hominū Sept. est 160. an. & amplius Dauid Ep. vixit vltra 180 annos. Quas exerceant artes Septentr.

Septentr. vestitus.

De commutationibus rerum & mercium, sine nummis. Cap. 5.

CVm omnis fraus grauis & detestabilis in omni rerū pertractatione esse videatur, tamen eò iniquior & importabilior ac amarior est, quò inter simplices populos intentari probatur, maximè falsato vel adulterato numismate interueniente, prout inferiùs de diuersitate monetarum lib. 6. ostenderur. Propterea gens hæc Lapponū, siue Bothniensium & syluestrium locorū, vti quieta domi, ita & reliquo orbi foris ignota censetur. Hoc discrimine falsitatis haud concutitur, dum potius



rerum, quàm numorū cōputa respiciens, amœna tranquillitate quod optat acquirit. Et ita strepitum furoris nesciens, sine seditione viuit, sine inuidia cohabitat, & sine dolo omnia cōmunicat: cui sola cōtentio est paupertatem fugere, & diuitias nō amare. Nesciunt populi illi esse lucripetæ, ne se aliqua negociationis calliditate discrutient. Ideo sine tumultu viuentes, sic fortunas mediocrium cupiunt, vt sana diuitum conscientia non priuentur, quibus insigne piaculū est aliquid rapere, qui nesciunt aliena fraudare. Attamen cùm non sint ex omni parte beati quin alterius ope rebusq; indigeant pro sua meliori commoditate: idcirco commercia rerum absque pecunia, bonæ & fideli permutationi inhærentes, mutuo cōsensu nullo communicato sermone fideliter agunt: non propter ingenij inopiā & barbaros mores, sed quòd linguam habeāt peculiarem cæteris vicinis parum notam. Loca quoq; constituta, vel in campestri planitie vel stagnata glacie, singulo anno ad hæc peragēda negotia, quasi nūdinalia retinent, vt vniuersis exhibeant quod priuatis ingenijs, domi vel foris agnouerint se cōquisiuisse. Nec intereà à similibus abstinent commercijs, dum offertur quod cupiūt ab alienis. Præsides communi plebis consensu Bergchara, id est, viros montiū appellatos, habent & venerātur, quibus etiam pelles pretiosas pisciumq; multa genera, tā vice tributorum regi Suetiæ pendenda, quàm propria liberalitate donata pendūt. Et hi rubeo vestitu præ ceteris

Auaricia apud hos nō regnat.

Furari vel rapere Septent. insigne piaculū.

Septent. nundinæ.

Barbari Sept. præsides habent, & Regi Suetiæ tributa pendunt.

tētis agnoſcuntur induti. Regi etiā Noruegiæ, ac principi Moſcouitarum ſimilia tributa pendunt & obtēperant. Bella nunquā, niſi graui iniuria prouocati, in proprios vicinos vel longè diſtantes inferunt. Tuncq; nedum armis quæ furor accōmodat, ſed & diris incantationibus inimicos quaſi implacabiles adoriūtur, membra hoſtium in ſtuporem vertendo, vt nec manū leuare, nec enſe ferire & vix effugere eis ſit conceſſum. *Milites athletici.*



De nundinis glacialibus. Cap. 6.

HAC imagine demonſtratur antiquiſſimus ritus glacialium nundinarum in multis prouincijs & locis, ſuper planam apertamq́ue glaciem, opulentiſſimo mercatorum congreſſu obſeruatarum: quorum celebrior locus eſt in Archiepiſcopali ciuitate Vpſalēſi regni Suetiæ: per cuius medium vaſtiſſimus amnis tranſiens, in tantum ſpiſſa glacie, frequentiùs circa initium Februarij congelatur, vt infinitam hominum multitudinem, iumentorum pariter & omnigenarum mercium ſuſtineat grauitatem. Taleſque nundinas vſque in hunc diem, antiquitas vocauerat & adhuc vocat Dyſting, id eſt, Iudiciarium locum prudentiſſi. Reginæ Diſæ, eò quod excelſi ſpiritus & ſagaciſſimi conſilij fœmina, videns populi infinitam multitudinem, ob cœli rigidiſſimum influxum, ſegetes ac fruges exhauſtas, famis acerbitate periclitari, potius ſorte declarata, natale ſolum exeundo, ſedes *Vpſal. nundinaria.* *Dyſting.* *Diſa regi.*

in

in alienis terris vltra mare, pacifico conuictu persuasit inquirere & inquisitas diligenter colere, quàm truculentissima quorundam improuidorum hominū censura è vita deleri. Nec tamen is exitus gentium est à peninsula Scanziana, cuius Paulus Diaconus meminit de Longobardis. Similis quidem causa esse potuit: sed lōgissimo temporum interuallo, huius Dysæ reginæ imperio, ordine, modo, & numero infinitæ multitudinis & potentia variata. Cùm verò charissimus frater & antecessor meus Ioannes Magnus Archiepiscop. Vpsalensis in sua Historia huius rei meminit, solicitum Lectorem ad eius dicta remittens, ad nundinas glaciales reuertens dico, quòd inuariabili signo & tempore, cūcti Septentrionales populi ac eorum vicinæ nationes, nundinas huiusmodi strictissimè seruare solent: hoc scilicet modo, quòd primæ incensionis (quæ fit post diem & mediam noctem Trium Regum in Ianuario) Plenilunium, infallibile signum & tempus præscribat, quo omnes ad prædictas nundinas loco cunctis notissimo valeant peruenire: eo tamen obseruato puncto, vt antè, & in ea, ac post, eius lucem obseruent commercia instituta, vt luna decrescens suo lumine vnicuique reditum præbeat, ad locum vnde fit profectus. Res igitur, quæ pro negociatorum voto vsuq; ibidem contrectantur, omnigenæ sunt: pelles scilicet pretiosæ diuersorum animalium, deinde argentea vasa pro vsu mensarum, atq; insatiabili ornamento mulierum: demum res frumentariæ: metallorum, ferri, cupri, pannorum ac esualium rerum: quæ frequentius iusta æstimatione quàm ponderum grauitate, pro mutuo hilarique consensu distrahuntur: exceptis rebus quas sagax præsidum prouidentia pro præsentibus vel futuris necessitatibus intuetur indigenas posse rogare: quales sunt fruges & equi præliares, & liquidæ escæ butyri, caseorum, & laridi: quarum species, si bellum immineat, peregrinis negociatoribus vel eorum agentibus publico edicto pœnis vallato, prohibentur educi. Prætereà alio in lacu congelato, Meler dicto, circa finē Februarij, ad mœnia vrbis Strengenensis fiunt nundinæ glaciales. Deinde in medio Martij, territorij Iemptiæ in montanis

Paulus Diac.

Ioan. Mag. de commutatione coloniarum.

Nundinæ Vpsal. incipiūt ad plenilunium Ianuar. & Luna decrescente finiunt.

Stren. nundinæ sub finem Feb.

nis Suetiæ & Noruegiæ, loco Ouiken dicto, etiam super glaciem nundinæ celebrantur: imò in plerisque locis, in medio vel in fine Maij super congelatas aquas, easque latissimas, equestres turmæ, siue ad pacem siue ad bellum incedunt, dum Romæ delicatis fructibus vesci solent. *Ouiken nundinæ ad medium Martij.*

De nuptijs Lapponum per ignem & silicem. Cap. 7.

PRæsentibus amicis & sanguine iunctis, parētes per ignem fœderant coniugia natorum: & hoc ferro & silice per excussionem. In igne namque & silice, quasi coniugali consortio, auspiciora & aptiora nectuntur connubia, quàm quouis altrinseco signo: Sed nec sine igne ciuiliores Christiani populi nuptiales ritus alibi in Aquilone exornant. Vnusquisque enim sponsus & sponsa, iuxta eminentiam suæ dignitatis ac generis, altas faculas mira arte varioque colore è molli cæra varioque colore sericeis pannis appendentibus confectas, pro sacerdotali benedictione Ecclesiam accessuri, ante se portari iubent: quas & ibi solennibus peractis, vna cum eximijs oblationibus persistere sinunt: vbi interim cæreorum portitores quasi predam opulentam pannos sericeos, veluti furore pleni partiuntur. Præterea mulieres enixa prole, post partum cæreis accensis Deo gratias acturæ accedunt: imò & cuncti Christi fideles luminibus accensis in tumulum reportantur, vti olim baptismo & lampade accensa mundum sunt ingressi. Quantum verò ad prædictos Lappones & eorum ritum attinet, superaddendū erit, quòd nuptijs his more præmisso per ignem celebratis, sponsam armelinis pellibus ac zabellinis ornatam, rāgifero quasi domestico ceruo (amicorum insigni caterua, iuxta germinis excellētiam, comitatam) agnati imponunt: atque ita in thalamum vel tentoria, mediantibus tripudijs, fœcunditatem & sanitatem precantes inducunt. Maritus verò lynceis ornatus pellibus, aut mardurinis, tanq̄ patricius vir Venetus aliquis incedit: pretio pellium æque æstimādus vt alij gemmis onusti, *Matrum purgatio post partū. Lapponum sepultura. Armelinæ ac zabellinæ pelles. Lynceæ itē & Mardurinæ sponsarum ornamenta.*

vel

vel torquibus deauratis. Sed pro tanto ſponſus miris laudibus proſequendus eſt cum ſponſa ſua, imò tota gens illa, quòd non vaga libidine ſed honorabili matrimonio, tantis celebritatibus ſeſe permittunt coniungendos.

De choreis luctuoſis. Cap. 8.

NEque gens hęc ſub rigidiſsimo Septentrionis climate alternata luce & tenebris habitās, ſine gaudio mœrore commixto, quaſi heremi cultrix remanere videtur. Inſtruit enim alacria conuiuia citharœdis accitis, vt cōuiuantes hilariores (licet vſu duriſsimarum dapium) effecti, excitentur ad ſaltum: quem vehementiùs citharœdo ſonante ducentes, veterumque heroum ac gigantum præclara geſta patrio rhytmo & carmine, quid ſcilicet gloriæ laudiſque virtute ſua meruère, canunt. Hinc in gemitus & alta ſuſpiria reuoluti, dimiſſo ordine in terram ruunt. Similiter & multi aſtantes efficiunt, vt geſtibus eorum videantur eſſe conformes. Tandemque citharœdis excitantibus, ad amœniora conuiuia ſurgunt, nil amplius reſonantes quod prouocet luctum, qui ea potiſsimum ratione motus eſt, quòd clara maiorum geſta in nullis vel paucis effectibus imitari nequeunt, vel eorum nominibus aſsimilari, ſcilicet in virginum pudicitia defendenda, & violentia oppreſſorum auertenda, vbi doloſa præſidum diſsimulatione hæc impia flagitia fiunt, vel fieri permittuntur impunè. Ideoque prædictæ gentes, longè ſecuriùs moriendum eſſe arbitrantur, quàm viuendum: puerperia luctu, funeraque feſtiuo cantu, vt in plurimum concelebrantes.

Chorea exit in luctum, & quamobrē.

Mors vita potior. Sic etiam Plinius.

De exercitijs sublunaribus. Cap. 9.

FRequens est quæstio, quid faciant populi Septentrionales, quando profundæ continnæq; sunt noctes ante & post solstitium hyemale, dum beneficio solaris luminis homines presertim suppolares aliquid debeant operari: rursumq; tempore continuæ lucis in æstate, quãdo nulla omnino nox ferè mẽsibus sex apparet. Quocirca hic animaduertendum erit, quòd Ptolomæus in II. Almagesti ca. 6. attestatur, quòd in xxxix. parallelo maxima dies sex mensium est: & huic parallelo subijciuntur gentes seu regiones extremè polares, Lapponienses scilicet, & Bothnienses, & Isdalẽses insulares. In xxxviij. parallelo maximus est dies qninque mensium: cui subijciuntur Suetia, Helsingia, Angermãniæ & Noruegiæ Borealiora. In xxxvj. parallelo maximus habetur dies trium mensium: cui subijciũtur Gothia, Moscouia, Rusia, & Liuonia. Qui igitur habitãt in ea immẽsa estatis luce, aut oppositis tenebris ei⁹, optimè nouerunt, vtiliterq; solent suas continuas operationes in tenebris variare, scilicet vt loco diurnæ lucis, pinguedine marinarũ beluarũ incensa, suo lychno supposito, in domibus vel campis, aut syluis vtãtur: neruos animalium, precipuè rangiferorum (de quibus infra de animalibus dicetur) pro filis telisq;, ac vestibus (prefer tim lanosarum pelliũ) consuendis, subtiliãtes & adaptantes: eò quòd linũ in extremis regionibus illis ob excellentissimum frigus nõ seminatur, neq; crescit. Præterea qui in locis cãpestribus laborant, vel eadem pinguedine beluarũ, vel aruina pisciũ (cui vẽti nocere nequeunt) vel claris. lumine Lunæ, vel stellarũ reflexa luce in niuibus vtũtur: imò maiores sub lumine lunæ labores in syluis, campis, glacie ac niuibus, itidem & lõgiora itinera cõmodius, quã estate sub luce solari perficere possunt. Valles nanq; tortuosę, & obliqui colles, rupesq; precipites, & excelsi mõtes æstiuo tẽpore impermeabiles sunt, pro plaustris euehẽdis, vel itineribus cõficiendis: vbi hyemali tempore omnia quasi plana, & apta sunt, pro quibuscunq; itineribus commodè perficiendis. Imò tam oportuna vtilitas & agilitas est, vt plus oneris duo iumenta (prout superiùs dictum est, & infra

Ptolem.

De lumin. vide sup.

Neruis rãgiferorum texitur, quia linum nullum præ frigore crescit.

Terra hyeme peruia, estate inuia.

& infra de glacialibus bellis ostendetur) in lubrica glacię, vel trita niue, quam decem equi in campestribus plaustris pertrahere solent. Quo autem ad lucem excellentem, ne tempori dormitionis eorum noceat, satis opportuna remedia siue in ædibus, siue tentorijs seruant: imo nec lux clarissimè rutilans aut caumata, eius tantum obsunt indigenis, quantum tristissimi culices, qui forsitan Aegyptiacis sunt tristiores, vt infra de eisdem erit ostendendum & remedijs eorundem.



De nauibus, neruis, & radicibus colligatis. Cap. 10.

Quia in extremis Aquilonaribus terris nullę mineræ ferreæ, cupreæ, aut argenteæ adhuc repertæ sunt, multusque & necessarius vsus nauigiorum, ob aquarum multitudinem ferro firmãdorum, hominibus illis est inquirẽdus: ideo nauigia fabricaturi, maximè ad piscatorium vsum, fissiles pinos, & abietes in eorum nemoribus ad subtiles tabulas redactas (nullo existente ferreo clauo) tenerrimis arborum radibus recẽter extractis, quasi conopæis funibus insigni ingenio componunt. Alij restibus & vimineis arborũ populearum, aut alterius generis, præterquàm quercinis nõ crescẽtibus ad cc. milliaria Gothica siue Germanica, prope nauigia ligant. Sed abietes & pini adeò procerę altitudinis,

Nulli apud Aquilon. claui ferrei

dinis, ac rectitudinis sunt, vt aptissime sint ad quaelibet necessariũ vsum, etiam lucri cupidis ad opulentũ quaestum, quãdo vltramarinis mercatoribus vẽdi possunt. Alij fabricando naues, conuersis ac contritis animaliũ neruis, praecipuè rangiferorum, sole ventoq; siccatis, tabulata coniungunt. Sed hi nerui, instar stuparum, sunt à subtilioribus neruis pro vsu filorum purgatis, extracti vt excrescentes, prout alibi de vtilitate rangiferorũ, lib. de animalibus ostendetur. Omnia igitur nauigia vndecunque fabricata, combinataq; fuerint, pinea pice (cuius inexhausta abundantia ibidem adest) diligentissimè liniuntur, clauisq; ligneis intus forisue, vbi opus fuerit, fortissimè compaginantur. Nauigia autem admodũ curta, non profunda sunt, sed valde lata proportione debita, pro vsu velorum in tempestatibus reseruata, fabricantur: eò quòd breues vndae sunt & spumosae, propter latẽtia sub aquis saxa excitatae. Cedũtque vt in plurimũ fluctibus, velut coriarius saccus, vndarumq; reflexioni, quia non duro, nec indomabili ferro, sed mollibus, ac tenacissimis viminibus & neruis sunt compaginata. Longoq; tempore ad elementorum iniuria, ob innatam picem, durant. Anchoris ex incuruatis fortium lignorum radicibus, saxorum põdere fidẽtibus, & restibus populeis seu betuleis, pro sufficienti longitudine funium, & laneo panno pro velo, vel arborum codicibus vtũtur, maximè in stagnalibus aquis, vti rarissimè in mari salso. Haecq; nauigia Scutha appellãtur: sicuti & aliud oblongum genus in Bothnico mari & recentibus aquis, Haapar dicitur, sine quocunque ferro diligentissimè cõbinatum. Sed vti mirae longitudinis est, ita & portentosae celeritatis, vt volare videatur ad leuem impulsum. Rapidis fluminibus è sublimioribus locis descendentibus solummodo, & aestiuę piscaturae reseruatur. Quo genere nauigij periculosissimè inter montana flumina 1518. descendendo euectus fui: adeò fragili ligno coactus sum, ob publica negotia peragenda, credere animam & salutem meam: eoq; formidabilior erat transitus, quò magis in littore signa apparuere, magni nominis personas ibidẽ vi fluminum fuisse suffocatas.

Nauigia curta, lata & non profunda quae vocant Scutha.

Anchorae arboreae.

Vela lanea.

Haapar. alterum nauigij genus lõgum, & admirãdae celeritatis quale forsan phaselus.

De instructione sagittandi. Cap. 11.

ARtem sagittandi quasi connatam ptofeßionẽ vniuersæ gentes Septentrionales prosequuntur, præcipuè ex arcub. omni ætati, tempori, loco, & occasioni concesis, & hoc à primæua ætate, qua soliciti parentes proles suas vtriusque sexus, sed præcipuè masculos instruunt, quomodo manuales arcus (nam alio sagittarum genere non vtuntur) teneant, eleuent, deprimant, vel obliquent in telis excutiendis: atque si telum vel sagitta, non tacta meta, inter arbores, herbas vel niues euanuerit, aut è sublimi sidat in fruticibus & arbusculis absconsa, quo pacto recuperari possit: hoc est, vt aliam, vel plures sagittas, seruata eadem arcus eleuatione, in longum vel altum dimissas, per cadentes inquirant. Nec enim longè ab ea reperibilis est, quam prius emisit. Hunc*q́*; modum tela recuperandi, seruant balistarij totius plagæ Septentrionalis. Pueris itaque vt metam diligentiùs tangant, candidum aliquod cingulum (quo mirè delectantur) atque noui arcus apponuntur: similiter & puellis linea vestis. Tamque periti euadunt, vt magno interstitio mediante, obolum vel acũ (quatenus videre poterũt) infallibiliter attingãt, prout personaliter anno prædicto 1518. in terris eorum cõstitutus vidi. Gens hæc vt plurimũ pusillæ staturæ est, animoque pusillo, eò quòd absque vrbibus aut castellis, vel in pagis, vel tentoriis, vel carris, aut solitudine vasta moratur: imò pars eorum in arboribus quadrato ordine crescentibus domos collocant, ne desõ niuium casu in campestribus suffocentur, aut à bestiis famelicis insuperabili agmine congredientibus deuorentur: quo casu magna custodia fit prægnantium mulierum & paruulorum, quos auidius tanquam delicatiorem escam insequuntur, prout inferiùs de luporum natura dicetur. Mulieres ac puellæ earum regionũ valde fœcundæ & pulchræ sunt, ea potißimum causa, quòd cãdore & rubedine (opificio naturæ præcipuo) formosiores habẽtur: nec fucum sciunt, aut scire volunt, etiam si venustatem eisdem natura negasset. Sunt etiamnum adolescentes & pueri, quos parentes tegunt siccatis

Sic tyrones commouẽdi sunt & eliciendi præmiis.

Sagittarij peritißimi qui vel (autore teste) acum attingãt in albo.

Gentis descriptio.

Mulierum prægnantiũ pericula.

Fœminæ pulchræ & fœcundæ.

catis animalium pellibus, precipuè iuuenum vrsorum. Nec vitio datur genti, simplicitate morum & innocentia taliter institutæ.

De venatione Lapponum. Cap. 12.

CVm alibi, videlicet primo lib. cap. 2. dictum sit de Scricfinnis, Biarmensibus, & Finmarchis, & moribus ac vita eorundem: hîc adiungēdum erit, qualiter in pandis seu latis, & lubricis tabulis pedibus alligatis, super valles, niuosósque montes ac cacumina montium, celerrimo transitu lapsúque, precipites in bestias efferuntur, arcubus & sagittis quærendas. Fœminæ solutis crinibus intēdunt sagittas. Nec mirum, quia sub polo habitantibus in vasto nemorum circuitu, tanta ferarum reperitur fœcunditas & multitudo, vt soli viri nisi & fœminæ accurrant, non sufficiant ad earū venationem instituendam. Igitur eadem agilitate, & forsitan maiori quàm viri, fœminæ venantur. Attamē vir prædam diuidit, veruq; designat assandam: quidve domesticis seu vicinis certa liberalitate donandum sit, disponit. Nec tantum hæc venandi sagacitas in terrestres feras tam insidiosè quàm apertè quærendas, extenditur, quàm etiam in aues diuersi generis, amplissimas solitudines inhabitantes: quarum plumis mollioribus pro lectis, pennisque durioribus pro texturis neruorum vtuntur. Carnibus verò horum animalium frequentius assis quàm elixis vescuntur. Pellium verò exuuias, corporibus paruulorum filiorū vel adolescentum adaptant, vti auium, pro capitum tegumentis. Ideóque temerè apud plerosque creditur, quòd sint corpore hirsuto instar brutorum aut beluarum: quod forsan prouenit, ob ignorantiam aut voluptatem quam inde plerique capiunt, vt supra fidem rerum dicant omnia comperta sibi apud remotiores terras, vt Paulo Iouio visum est.

Fœminæ venatrices.

Lappones falso creduntur natura hirsuti.

De transitu equorum super montes niuosos. *Cap. 13.*

Doffrini montes.

TRansesit homines & equi, quasi super clypeos mi litares. Sunt enim inter Septētrionalia regna Sue tiæ & Noruegiæ montes alti limitanei, Doffrini dicti, ac alij similes hyberno tempore adeò densis & profun dis repleti niuibus, vt per eos solidum iter commun more viatoribus pernegetur. Verùm vt domestici ne gotiatores eiusmodi difficultatem ingenio superent, arteque pondera leuent, crates seu arcus leui ac lato su bere, seu cortice tiliano contextos, pedibus propriis ac equorum alligant, iugaque niuium sine formidine de pressionis (graui licèt pondere onusti) conculcāt, iterq; diurnum, duo scilicet montana miliaria (quæ 12. Italica sunt) propter dierum breuitatē conficiunt. Nocte verò sub splendidissima luna, duplatum iter cōsumunt, aut triplatum. Neque id incommodè fit, cùm niuium re uerberatione lunaris splēdor sublimes & decliues cam pos illustret, vt etiam montium præcipitia ac noxias feras à longè prospiciant euitandas: inter quas Mon tani lupi subintenso frigore, mense præsertim Ianua rio, agmine magno conglobati, sunt nocētiores, prout infrà de periculo luporum dicetur. Res autem quę tam ingenioso labore portantur, sunt sal, crustatum ferrū, lineus ac laneus pannus, & alicubi mineralia saxa ar genti, cupri, ac pelles pretiosæ. Vt autem equi, ad iter niueum prouidētius instituantur, eos in niuosis valli bus, à iuuentute exilibus sportis quasi corbibus ad pe des alligatis, cum leui onere dietim ducunt, vt assuef cant pōdera portare grauiora. Nec minus ductores cor bibus sub plantis alligatis sese baculo inferius lato ha bilitant & sustentant, vt his præambulis pro tempore imminentem valeant effugere necessitatem & mor tem. Euenit enim itinerantibus, vt Austro flante tan tùm nix mollescat, vt impressis pedibus equi vel homi nis, nisi modò prouideatur antedicto, quasi aperta vorago cedat: nec est qui releuet solum cum iumento, nisi fidis ho minibus fuerit co mitatus.

Duo miliaria septentrionalia 12. Italica faciunt.

De peri-

De periculoso transitu intra montes.

Cap.14.

MAius adhuc periculū in cauernosis montibus iter facientibus imminet: quia flatus seu ventorum spiracula, adeò vehementia ibidem, concursu minutarum niuium excitari videntur, vt nisi comportatis fossoriis siue ligonibus quibus viam aperiāt, vix adsit spes qua exeant altissimos montes & profundissimas valles. Montes igitur hi præcipui sunt, Doffra, Schars, Sula, Horuilla, cum multis similibus: de quorum radicibus vel vmbilicis exeunt vastissima flumina, partim in Orientem, & partim in Occidentē. Perpetui enim montes, quasi linea dorsotenus tracta, ab Austro in Septentrionem continuo gibbo ducūtur: nominaque sortiuntur à prouinciis, amnibus vel forma locorum, vel bestiis versantibus in eisdem, vt ab vrsis, lupis & ceruis, aut castoribus & aliis animalibus omnimodè pilosis, quæ pro loci qualitate contra vim frigorum peroptimè sunt vestita. Ideoq; leones, cameli, simiæ, asini, vel muli, vix eò portati superuiuere possunt. Mōtes tamē hos incolæ hyemis tempore, domesticatis rangiferis quasi iugalibus ceruis, oneribus non exiguis penetrāt, milliaribus Italicis propè ducentis. Vni autem viro quadraginta rangiferi pertinent domesticati: quorum quilibet pondus suffert librarum ducentarum & amplius.

Montium Sept. nomina.

Illic viuere nequeant animalia quæ nō sunt toto corpore hirsuta.

De lege coruorum necandorum. Cap.15.

LEge constitutum est in Islādia, id est, terra glaciali, regno Noruegiæ antiquitus & nunc subiecta, vt quicunq; noxiam bestiam occiderit, à fisco vel Regio præfecto, iuxta crudelitatē occisi cadaueris & præsentati, constitutum suscipiat emolumētum. Cùm itaque corui etiam albi, ibidem plus quàm in aliis regionibus, agnellos & porcellos imperuoso volatu ac vngularum raptu occidēdo, sint sæuiores, iuuenes terrarum incolæ eo labore se habilitant & indurant, vt hāc depopulationem vlciscantur, plurimos coruorum occidendo sagittis: solaq; rostra funibus aligata, præsidibus

Corui albi occidunt agnos & porcos.

pro signo mercedem petituri demonstrant: quam & liberalissima largitione, pari sagittarum numero vt bestiæ fuerint interemptę, compensant. Ita & de reliquis animalibus damnosis, in tota Septētrionali plaga obseruatur, saluo quòd pelles grandium vrsorum, præsertim alborum, scabellis sacrorum altarium, ne frigus sacerdotibus noceat, substernuntur.

Vrsi albi.



De baptizandis pueris syluestrium incolarum. Cap.16.

ETsi multa de idololatris extremi orbis Septentrionalis, & eorum superstitioso cultu dicta sint, & quomodo spes est, vt aliquādo audita diuini verbi vera prædicatione, ad cōmunionem Christi fidelium accedere non tardarent: tamen pia præualente exhortatione Catholicorum sacerdotum, magna pars syluestriū hominū inducta est, maiorq; spes oritur, vt amodo, sedatis alibi erroribus, vnanimiter inducendi accedant. Quòd verò tardare videntur, causa est, & euidentissima, quòd maximè distant, ducentis scilicet & amplius miliaribus Italicis ab Ecclesiis Christianorū: ad quas ob eam immensam distantiā rarius valeant appropinquare. Veruntamen qui Christiano ritui sese subdiderunt, obedientissimi reperiuntur: licet enim prædicta sit distantia, semel tamen, aut bis in anno suas visitant ecclesias baptismales, liberosq; lactentes, cophinis seu corbibus impositos, post tergum ligatos secum baptizandos comportant, aliaque pondera, & munera pellium,

lium, præsertim pretiosarum, sacerdoti loco decimarū distribuenda. Sed non modò Bothniensium versus Septentrionem, verumetiam Vermorum versus Occidentem habitantium, hæc distantia & incommoditas conuertendorum hominum ad fidem, est deploranda. Et ob id rarisimè presbyteri, nunquámque Antistites, solitudines illas, ob inuia loca periculorum plenissima, accedere possunt.

De conuersione Finlandiæ Septentrionalis, & Orientalis, ac maxima hospitalitate. Cap. 17.

FVit olim hæc vltima Aquilonaris regio, quemadmodum plures vicinæ terræ, pagana superstitione seducta: & ideo à via veritatis aberrans, Deo contumeliosa, & proximis extitit violenta. At postquam duo clarissima lumina & sanctissimi viri, Ericus Sueticæ Rex, & beatus Henricus Vpsalensis Archipræsul, fidei Christianæ & regno Sueticæ circa annum salutis 1155. prædicatione verbi diuini, paceque oblata ac contempta victoriosa manu subiecissent, ac templa extruxissent, sacerdotesque eidem genti præfecissent facta est præcipua omnium virtutum amatrix, præsertim liberalitatis, & hospitalitatis: qua incolæ eius in aduenas & peregrinos per summam beneuolentiam vtuntur. *Finnos maximos idololatras, S. Ericus Rex, & S. Henricus præsul, ad Christi fidem conuerterunt. An. 1155.*

Sunt inter se benigni & modesti, atque ad iram tardi: at si diu prouocati fuerint, tarditatē magnitudine vindictæ compensabunt. Habitant vicatim in parochias & villas distincti. Ecclesias magnificè constructas habent, nouisque erigendis magnopere student. Sacerdotibus summam venerationem exhibent, decimasq; rerum omnium præstant: & rursus ab eis ita in lege diuina, interprete in ambone ex more adhibito instruūtur, vt pristinis erroribus extirpatis, ad honesta quęque sequenda, quadam mentis ingenuitate, promptissimi ac alacres efficiantur. Nec his dissimiles incolæ Occidentalis Bothniæ reputantur: qui deficientibus scholasticis disciplinis, naturali lege ita instructi sunt, vt prauitia detestentur, & virtutes amplectantur. Deprehendunt enim omnibus bonis eos affluere, qui rectè viuunt, *Quid lex illa naturæ lis (quā vocant) præstet mortalibus.*

 viuunt,

viuunt ac nemini nocent: & econtrà ob detestanda crimina, fornicationes scilicet & adulteria, furta, homicidia admissa, aues et bestias, nemora ac pisces, aquas eorum frequētius reliquisse, nec antequam orationibus ac benedictionibus sacrorum ministrorum offensa diuinitas placata fuisset, rediisse.

Finis Libri quarti.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de Septentrionalium Gigantibus.

Epitome Libri quinti.

De Gigantibus. *Cap.* 1.

ETSI sacræ profanæque historiæ maxima gigantum atque pugilum gesta euidenter cōmemorant, clareq; quid, quóue tempore & loco orbis ea egerint, aut quomodo vixerint attestantur: inutile tamen non erit aliqua his superaddere, quæ à cautibus & saxis Septentrionalium regionum sunt eruta, ac palàm vniuersis latinis per orbem reddere manifesta, quę ab antiquissimis iisq; rarissimis scriptoribus in libros sunt relata. Regiones igitur extremæ aliàs in Charta mea Gothica annotatæ, videlicet Finmarchia, Biarmia, Scricfinnia, Helsingia, &c. adeò euidentia munimēta, gigantum curiosis seu studiosis inspectoribus vbique exhibent, vt admiratione præuia credere cogantur, tā sublimem saxorum molem, tamque immanem colliū congeriem, nullo naturæ compendio, sed portentosis hominum viribus fuisse congestam ac absolutam: etiam in campis, syluis, ac montibus regnorum Suetiæ, Gothiæ, ac Noruegię, vbi similia saxa cōspiciuntur. Quid verò Saxo Grammaticus, Danorum diligētissimus historicus, de sua tellure Danica in hac materia afferat, curio-

Charta Gothica 1539. Venetiis excusa.

Saxo Grammaticus.

curiosus Lector præfationem historiarum eius (quatenus libuerit) circa finem inspiciat: comperietque Danicam regionem giganteo cultu quondam exercitam, prout eximię magnitudinis saxa veterum bustis ac speluncis affixa testantur. Quod si quis vi monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatque si callet, quis eorũ verticibus cautes tantæ granditatis inuexerit. Inopinabile nanq; quiuis miraculi huius æstimator aduertet, vt molem super plano minimè vel difficilè mobilem, in tantũ montanæ sublimitatis apicem, simplex mortalitatis labor, aut vsitatus humani roboris conatus extulerit. Vtrum verò talium rerum autores post diluuium gigãtes extiterint, an viri corporis viribus ante alios prædititi, testatur se parum notitię ex Daniæ antiquitatibus inuenisse. For tè si superioris Suetiæ atq; Gothiæ cautes & saxa examinasset, præclarissima veterum gesta mirabili suo ingenio ad posteros transtulisset: cũm Suetia & Gothia, mille trecentis septuaginta annis, Reges & Principes habuerint, antequã Dan primus Rex in Dania regnare cœpit: quorum magnifica gesta saxis insculpta, nostri temporis curiositas intuetur. Distinguit tamẽ ipse Saxo, triplices quondam sub specie gigantum ac pugilum mathematicos extitisse, atque inauditi generis miracula, discretis præstigiis exercuisse. Primi fuere monstrosi generis viri, Gigantes dicti, humanam magnitudinem corporum granditate superantes. Secundi Physiculatores artem habentes phythonicam: qui quãtum superioribus habitu cessere corporeo, tantum viuaci mentis ingenio perstiterunt. Inter hos & gigantes, assiduum bellorum de rerum summa certamen erat, donec Giganteum genus armis subigerent, sibique & regnandi ius, et diuinitatis opinionẽ consciscerent. Tertij verò ex superiorum copula pullulantes, naturæ eorum, nec corporum magnitudine, nec artium exercitio respondebant. His tamen apud delusas præstigiis mẽtes, diuinitatis accessit opinio.

Suetia & Gothia.

1370. annis priusquàm Dania, Reges habuit.

Triplex genus mathematicorũ.

1. gigantes.

2. Phisiculatores.

3. ex vtrisque geniti.

De diuersitate Gigantum, & pugilum.
Cap. 2.

Helsingi. Hartbenus gigas. Olim in regno Helsingorum (qui nunc parent Regi Suecorũ versus Septentrionẽ) gigas erat Hartbenus nomine, tanta præditus magnitudine, vt nouem cubitis dimẽso lõgitudinis eius protenderetur. Habebatque duodecim athletas contubernales, quorum *Athletæ duodecim.* insignis proceritas dimidio inferior videbatur. Alter quidam *Starchaterus.* Starchaterus, toti Europæ olim ob crebras (vt inferius dicetur) victorias nominatissimus. Similiter & *Arngrimus Aruerodus* Arngrimus, ac Aruerodus: de quorum etiam excellentissimis gestis infrà dicetur. Ne tamen à solis veteribus seculis exempla magnitudinis aut fortitudinis mutuare videar, viros aliquot moderna memoria tam à mineralibus, quàm alijs Suetię & Gothiæ prouincijs adducere congruit, tanta fortitudine præditos, vt quisque *Gigantum portentosa vis.* eorum in humeros subleuatum equum vel bouem maximum, imò vas ferri sexcentarum, octingẽtarum, aut *Puellarum gigantina vis.* mille librarũ (quale & aliquæ puellæ leuare possũt) ad plura stadia portaret. Visus est etiam quidam equitem armatum subitò obuium, non agilitate tantùm, sed viribus in terram deiecisse vel detrusisse.

De sobrietate Gigantum, ac Pugilum.
Cap. 3.

Starchaterus Tauestus gigas, vt corporis ita & animi fortitudine clarus frugalitatis, continẽtiæ, & aliarum virtutũ amantiß. Afferit clarissimus Danicarum rerum scriptor Saxo superius allegatus, ac inferius frequenter allegandus, inter alios Septentrionales fortissimos viros, gigantea magnitudine & fortitudine præditos, quendã fuisse Starchaterum Thauestum: cuius admirandas & heroicas virtutes ita dignè extollit, vt raros sui æui similes vix habuerit in Europa, aut toto orbe, nec forsitan adhuc habet, vel habebit. Cumque eidem excelsi spiritus viro, permultas virtutes accommodat, inter alias ipsam sobrietatem, fortibus viris summè necessariam, huic relationi peculiariter statui apponendam, vtpote speculum prurientis æui nostri nũc attentius intuendum. Erat enim (eodem Saxone teste) eiusdem Starchateri fortitudo frugalitatis amatrix, & ab immoderato dapum vsu auersa. Semper voluptate omissa, virtutis respectum egit, vetustos cõtinentiæ mores

res imitans: ac rusticioris escæ paratum appetens, cœnæ sumptuosioris impendium fastidiuit. Igitur profusam dapum indulgentiam aspernatus, fumidoq; ac rancido cibo vsus, famē eò sapidius, quò simplicius pepulit, ne veræ virtutis neruos externarum deliciarum contagione, tanquam adulterino quodam dulcore remitteret, aut priscæ frugalitatis normam insufitatis gulæ superstitionibus abrogaret. Cæterùm indignanter ferebat assam dapem, & eam elixam, vnius cœnæ sumptibus erogari: edulium pro mōstro accipiens, quod culinæ ardoribus delibutum, fartoris industria multiplicis temperamenti varietate perfricuit. Igitur vt Danicum luxum, Teutonum ritu (vnde effœminati fierent) introductum aüerteret, inter alia patrio carmine, multis dimissis, sic cecinit:

Fartores nil cum Starchat.

Starchateri carmen de frugalitate.

Fortium crudus cibus est virorum:
Nec reor lautis opus esse mensis,
Mens quibus belli meditatur vsum
Pectore forti.
Aptins barbam poteras rigentem
Mordicus presso lacerare dente,
Quàm vorax lactis vacuare sinum
Ore capaci.
Fugimus lautæ vitium popinæ,
Rancidis ventrem dapibus fouentes.
Coctiles paucis placuêre succi
Tempore prisco.
Discus herbosi vacuus saporis,
Arietum carnes dabat, & suillas.
Temperans vsus nihil immodesto
Polluit ausu.
Lacteum qui tunc adipem liguris,
Induas mentem petimus virilem:
Esto Frothonis memor, & paterni
Funeris vltor.
Occidet nequam, pauidumque pectus:
Nec fugax fati stimulum refellet,
Valle condatur licet, aut opacis
Incubet antris.

Vndecim quondam proceres eramus,
Regis Hachonis studium secuti.
Hic prior Helgo Begathus resedit
Ordine cœnæ:
Hic famis primæ stimulum licebat
Aridis pernæ natibus leuare:
Ventris ardorem rigidi domabat
Copia crusti.
Offulam nemo vapidam petebat,
Quisque communes celebrabat escas,
Simplici tantùm stetit apparatu
Cœna potentum,
Vulgus externum fugiebat esum,
Nec fuit summis epuli libido:
Ipse Rex paruò méminit modestam
Ducere vitam:
Mellei temnens speciem saporis
Combibit tostum Cereris liquorem:
Nec parum coctis dubitabat vti
Assa perosus.
Mensa perstabat modico paratu,
Exhibens sumptum tenui salino,
Nequid externo variaret vsu
Docta vetustas.
Amphoras nemo paterasúe quondam
Intulit mensis:dolio profudit
Poculum promus:nec erat catillis.
Copia pictis.
Nemo transacti venerator æui
Cantharis iunxit teretes diotas,
Nec cibis lancem cumulauit olim
Comptus agaso.
Non breui concha cyathóue leui
Prandium vanus decorabat hospes,
Nunc recens morum facies prudenter
Omnia præsit.

Starchateri discipuli. TAlibus itaque argumentis, plurimos ad temperantiam & sobrietatem, cæterasque virtutes induxit, vt plerique inuenirentur qui nunquam ebriosa potione indulsisse dicantur, ne præcipuum fortitudinis vinculum

culum continentia, luxuriæ viribus eluderetur. Tamq; remotus ab omni lasciuia eorum animus erat, vt penitus dedignarentur spectatores esse mimorum aut scurrarum: nec delicatam dapem parare, aut lautiori industria aliena culina paratam appetere, aut oblatam degustare: nec cuiquam perniciosæ voluptati, animũ aut vires effœminados offerre: ne veræ virtutis neruos, aut bellicam claritatem aliqua vitiorum contagione com macularent.

De virtutibus fortißimi Starchateri. Cap. 4.

HAbendo sobrietatem (vt proximè prædictum est) quam aptè ad cæteras virtutes vinculum ampliare potuit, omnes qui gentilium operationes intuentur, agnoscunt: clariorque factus fuisset in meritis, si Christi doctrinæ, sicuti natiuitati eius, vicinitatem habuisset. Peregit tamen trium hominum secula fortis & inuictus pugil, monstruosa & incredibili quadam virtute præditus, supra communem hominum staturam longè euectus, gyganteam quandam molem pre se ferens, ita vt corporis magnitudini, virium robur & animi fortitudo responderet, & nulli mortalium virtute cedere putaretur: cuius tam latè patens claritas fuit, vt adhuc quoque celeberrima gestorum eius ac nominis opinio perseueret. In omnibus enim Aquilonaribus regnis & eis vicinis, speciosissima sibi peperit monimenta. Primum in Vichari Noruegiæ regis iugulo, deorum fano ri facinorum suorum principia dedicauit: deinde piraticam agens, profligatis latè prouinciis, Rusiam inuasit, regemque eius Floccum superauit, & ingenti thesauro spoliauit. Ob hæc tam præclara militiæ principia, ab athletis Biarmiensibus, qui tunc præstantissimi habebantur, accitus: cum plurima apud eos memoratu digna edidisset facinora, Sueonum fines ingreditur: vnde septemni militia peracta, ad Daniam se contulit, deinde in Hyberniam, ne vltimæ rerum humanarum mansiones, ab eo intactæ consisterent: vbi cum duobus præstantissimis athletis congressus, victor euasit. Mox in Orietalia Rusiæ, contra eximiæ opinio-

Starchat. fortiß. tria secula vixit.

Floc. Rusiæ rex à Starchat. superatus.

nis

nis gladiatorem Visinnum properauit. Is enim Visinnus vicinas longinquasq; prouincias omni iniuriæ genere vexauit, illustriumque virorum coniuges, maritis spectantibus, rapras ad stuprum pertraxit. Cuius sceleris Srarchaterus (vt alter Hercules) rumore excitus, tollendi autoris gratia Rusiam petiuit, raptoremque ad singulare certamen prouocatum oppressit. Deinde latius ad Orientem progressus, Byzantium peruenit, vbi inuictæ opinionis gigantem, Tannam nomine, corporis viribus frerum, colluctando deuicit, ignotasque terrarum partes proscripti titulo petere coëgit. Igirur cũ nulla fortunæ sæuitia vires eius victoria fraudare potuisset, Poloniæ partes aggressus, eximium athletam Vasche, vel Vaszam, duelli certamine superauit. Nec lõgè post, cùm Hama pugili, apud Saxones gymnicis palmis clarissimo congredirur: cuius Hamæ pugno primùm ita obrutus memoratur, vt genibus nixus humũ mento contingeret: quam corporis nutationem egregia vltione pensauit. Nam vbi resuscirato poplire, manum expedire, ferrumque distringere licuit, mediũ Hamæ corpus dissecuit: eaq; victoria, Saxones Danorum subiecit imperio. Quo adeò seuerè abusi sunr, vt pro quolibet cubitali, indicem seruituris stipem quotannis pendere cogerentur. Sed non diu violentum durauit imperium.

Visinnus gladiator, & Tanna gigas à Starchat. superati.

Vasche Polon. athleta victus est à Star. Hama Saxo gigas fortiss. à Starchat. dissectus.

Saxones à Starchat. Danis subiecti, & ipsi Starc. tributarij facti.

De patrocinio quod tulit oppresis.

Cap. 5.

AB Helgone Noruegiorum Rege (qui cum nouem eximiæ fortitudinis pugilibus, ipso nupriarũ die sub duelli prouocatione sponsam rapere volentibus, congredi debuerat) suppliciter rogatus tanto discrimini auxilium afferre, ram prompto animo precibus assensir, vt Helgone ad locum pugnæ præcedenre, interiectis aliquot diebus profectionem orsus, tantum locorum diali itinere pedester emensus probarur, quãtum præcedẽtes diebus duodecim equestres peragrasse dicuntur. Inrerrogatus à pugilibus, an ei dimicãdi virtus suppeteret, Non vnum tantum, verùm quotlibet admissos excipiendi certissimas sibi vires extare respõdit.

dit. Sequenti die cum contemptu aduersariorum campum ingressus, sub montis cuiusdã cliuo sessione quęsita, aduersis ventis ac niuibus corpus præbuit. Tunc ac si verno tempore apricandum esset, deposita veste, demẽdis operam pulicibus dabat. Purpureum quoque amiculum quo nuper ab Helga (id erat nomen Regiæ sponsæ) donatus fuerat, sentibus iniecit, ne contra sæuientia grandinis tela, indumentorum vmbracula mutuatus videretur. Tunc athletæ montem ex opposito subeuntes, auersum ventis sedẽdi locum petunt: accensóque igne frigus depellunt. Deniq; non viso Starchatero, quendam ad montis fastigium immittũt, qui tanquam è specula eius contemplaretur aduentum. Is in deuexa montis parte senem prospicit, scapulis tenus niuali desuper respersione contectum: quem percontatur an is sit, qui promissas pugnæ partes agere debeat. Cumque se esse hunc Starchaterus astrueret, superuenientes cæteri, pariterne omnes, an singillatim excipere statuisset, interrogant. At ille: Quoties, inquit, mihi triste canum agmen oblatrat, simul, non vicissim eos abigere soleo. Ita se cum vniuersis, quàm singulis confligere malle significans, prius aduersarios dictis quàm armis contemnendos putabat. Inito conflictu, sex eorum absque mutuo vulnetum receptu prostrauit: tres verò residuos, quanquam multis vulneribus ab eis affectus, fratrum exemplo consumpsit: quæ quidem vulnera soli ruricolæ filio, ob officij venerationem, credidit restauranda. Is enim euulsas stomachi partes pristino loco restituit, elapsámque extorum congeriem, nexili viminum complexione perstrinxit. Ne autem indonatam iuuenis humanitatem relinqueret, chlamydem vepribus iniectam, oblatæ dignationis præmium effecit.

Starchaterus vnus contra nouem.

De exercitiis eiusdem Starchateri. Cap. 6.

DVm aũt Starchaterus apud Regẽ Suetię militaret, intellexissetq; Danię Regẽ Ingellũ ꝓrsus petulãtiss. luxus illecebris mancipatũ, vitiaq; pro virtute cõplexum, intermissis Regiæ maiestatis officiis, sordidũ luxu-

Ingellus Daniæ rex.

luxuriæ mancipium euasisse, dolenter tulit tantæ indolis iuuenem, tam inclyti patris filium exuisse. Eximium igitur carbonum fascem, tanquam opimam sarcinam, humeris suis Daniam petiturus impendit: Rogatus ab obuiis, quid tam insolitum onus deferret, Ingelli Regis hebetudinem ad acuminis habitum carbonibus se perducturum astruxit. Nec minus quàm dixit, effecit. Tantum enim valuit fortissimi ac eloquentissimi viri monitio, vt Ingellus ex enerui & molli illecebrarum mancipio, magnanimus virtutum cultor euaderet, patrisque sui interfectores, quos ad primum familiaritatis gradum extulerat, trucidaret. Quo peracto, Starchaterus suis monitis satisfactum gaudens, gratiasque agens, multa præclara in laudem veteris militiæ, modo qui sequitur, inter alia complura cecinisse refertur:

Acutè ac falsè dictũ.

Imberbis quando ductum auspiciumque sequebar
Militiæ rex Hacho tuæ, lasciua perosus
Ingenia & luxum, nil præter bella colebam.
Exercens animum cum corpore, mente profanum
Omne relegaui, stomachoque placentia fugi,
Fortia complexus animo, nanque arma professus.
Aspera vestis erat, cultusque parabilis olim,
Rara quies somnique breues, labor otia longè
Propulit, & parco fluxerunt tempora sumptu.
Non vt nunc quidam, quibus insatiata cupido
Ingluuie cæca visum rationis inumbrat.
Horum aliquis vestis operosæ tegmine cultus,
Molliter alipedem flectit, sparsamque renodat
Cæsariem, & laxos patitur fluitare capillos:
Discere sæpe foro, turpique inhiare lucello
Gaudet, & hoc studio vitam solatur inertem,
Venali celebrans commissa negotia lingua.
Vi violat leges, & ferro iura lacessit,
Obterit innocuos, alieno pascitur ære,
Stupra gulamque colit, risu conuiuia mordax
Insequitur, sic scorta petens vt sarculus herbam.
Occidit ignauus, dum prælia pace quiescunt,
In media si valle cubet, testudine nulla
Tutus erit qui fata timet: sors vltima viuum

Quæq; rapit, latebra lethum depellere non est.
Ast ego, qui totum concussi cladibus orbem,
Leni morte fruat, placidoq; sub astra leuandus
Funere, vi morbi defungar vulneris expers.

Semper prætereà tam remotum à lasciuia animum habuit, vt ne eius spectator esse sustinuerit. Nunquam otium negotio prætulit, nec minimè quidem luxuriæ assensor esse voluit, mollium & timidorum contemptor. Histriones, scurras, parasitos vbicunque inter bellantes comprehendit, cædendos curauit: satius ratus in leuium hominum agmen cuticulæ damno ridiculum dictare supplicium, quàm pœna capitis funestum imperare discrimen. Eoq; modo, iocularis ministerij sordidæq; conditionis cateruam, probroso verborum ludibrio multare contentus extitit, ne clarissimas manus turpissimorum hominum exitio commodaret. Fuit ipse Starchaterus in eo famosissimo bello Suetico, quod Ringo Suetiæ Rex cōtra Haraldum Daniæ regem gessit, præcipuum culmen. Eo siquidem bello nullum maius vnquam in Aquilonaribus regnis factum memoratur. Victor Suecorum Rex Danis imperauit. Periêre ex Suecis xij. millia illustrium & procerum, ex Danis xxx. millia nobilium, at populatium vtriusque partis nullus erat numerus.

Ringo Suetiæ Rex. Haraldus Daniæ Rex. Suecorum illustrium 12000. Danorum 30. millia, atque alij innumeri occiderunt Ringone triūphante.



De summa gestorum Starchateri. Cap. 7.

Demum post egregiam facinorum suorū laudē in seniū vergēs, hoc succincto carmine totius vitę &

militiæ suæ studium summatim sic expresit, authore Saxone:

Carmina Starchateri de vita sua.

At mihi (si recolo) nascenti fata dedére
Bella sequi belloq; mori, miscere tumultus,
Inuigilare armis, vitam exercere cruentam.
Castra quietis inops colui, pacemque perosus
Sub signis Gradiue tuis discrimine summo
Consenui, victorq; metu pugnare decorum,
Turpe vacare ratus, crebras committere cædes
Egregium duxi, & strages celebrare frequentes.
Sæpe graues bello Reges concurrere vidi,
Et clypeos galeasq; teri, crudescere campos
Sanguine, loricas affixa cuspide rumpi,
Vndique thoraces admisso cedere ferro,
Luxuriare feras inhumato milite pastas.
Hîc aliquis fortè egregij conaminis author,
Marte manuq; potens mediũ dum pugnat in hostem,
Intentam capiti loricam diffidit: alter
Casside perfossa ferrumque in vertice mersit.
Olo. Quando ter Olonis summo discrimine nati
Expugnator eram: namque agmine prorsus in illo
Aut gladium fregit manus, aut obstantia fudit.
Curetes. Hæc grauitas ferientis erat. Quid quando Curetum
Littus, & innumera constratum cuspide callem
Primus ligniferis docui decurrere plantis?
Namque aditurus agros confertos murice ferreo
Armabam laceros subiecto stipite gressus.
Hama. Hinc mecum egregijs congressum viribus Hamam
Rinus. Enecui: mox cum Rino duce Flebace nato
Kyrij. Obtriui Kyrios vel quas alit Esthia gentes
Esthia. Et populos Semgalla tuos. Post hæc Tylemarchos
Semgalla. Aggressus, caput inde tuli liuore cruentum
Tylemarchi. Quassum malleolis armisque fabrilibus ictum.
Hîc primùm didici quid fettamenta valerent
Incudis, atque animi quantum popularibus esset.
Teutones. Teutonici quoque me pœnas authore dedere,
Suertingus. Cùm natos Suertinge tuos Frothonis iniqua
Cæde reos, domini vindex ad pocula straui.
Nec minus hoc facinus, quando pro virgine chara
Vno septenos necui certamine fratres,

Teste

Teste loco qui me stomacho linquente perosus,
Non parit arenti rediuiuum cespite gramen.
Moxque ducis Kerri bellum nauale parantis *Kerrus.*
Vicimus egregio consertam milite puppim. *Vasza Polonus.*
Inde dedi letho Vaszam, fabrumq; procacem
Multaui natibus cæsis: ferroque peremi
Rupibus à niueis hebetantem tela Visinnum. *Visinnus.*
Quattuor hinc Leri natos, pugilesque peremi *Ruthenus.*
Biarmenses: gentis Hybernæ principe capto, *Biarmēses.*
Duflinæ populabar opes: semperque manebit *Duflina.*
Nostra Bauellinis virtus conspecta trophæis. *Bauella.*
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi, *Heed.*
Quodque manu gessi, ad solidum celebrare recensens
Deficio: sunt cuncta meo maiora relatu.
Vincit opus famam nec sermo suppetit actis.

Sanè fuit hic vir hauddubiè dignus omni bellica laude, non animi solùm vigore, sed etiam corporis viribus excellens, præcipuaq; pedum pernicitate, vt vno die accelerando, à superiori Suetia in Daniam pedester peruenerit, quod alij diebus xij. continuò gradientes vix assequuntur. *Starchaterus celerrimus cursor.*

De maximo ac terribili bello Suecorum ac Gothorum: cui Starchaterus præfuit contra Danos. Cap. 8.

CVm causam & exordium, ac progressum & exitum acerrimi prælij Haqnini Ring. Suecorum Gothorumq; Regis ac Haraldi Hildetan Danorum Regis, libro octauo, historiarum excellentissimus Danicarū rerum scriptor Saxo Sialādicus, omni æuo successuro notissimum tradiderit, ac post eum euolutis iam quinquaginta annis Albertus Crantzius idem prælium incidēter attigerit, nouissimusq; omniū charissimus frater, & antecessor meus, Io. Mag. Archiepiscopus Vpsalensis, hoc vastum, & incomparabile bellum in Gothicis ac Sueticis historijs suis, ex ineuitabili proposito veraciter (vt fidelem historicum decet) nuper cōscripserit: ad me pertinere arbitror, vt saltem eiusmodi formidabilis cōflictus aliquam mentionem hoc in loco inter pugiles & gigantes interseram, præcipuè quia in nullo prælio *Haquinus Rex. Haraldus Rex. Saxo Sialandicus. Albertus Crantzius. Ioan. Mag. historiographi.*

Bellū totū septennium ante præparatum. Septentrionalium regnorum, & vix vnquã in tota Europa, tot fortifsimi vtriusq; partis tam terrestris, quàm naualis exercitus duces, cum tanta vehemētia ac ardore belli septennio præparati concurrisse leguntur, quēadmodum in historijs satis cōcordibus supradictarum regionum ac Regum & authorum fideliter scriptum habetur. Enumerantur in primis clarifsimi bellatores, vnde, & quo stemmate insigniores pro parte Danorum fuerint. Inter quos & fœminæ duæ, quibus virilem animum natura, arsque & experientia peritiam erogauerat militatem, Hetha ac Visna, Sclauonicæ stirpis illustrifsimæ mulieres: quarū altera prima dux erat, altera verò apprimè rei bellicæ perita, principale vexillum gerens, eo, dextraque in conflictu vtgente in acie Suecorum Gothorumque Starchatero (vt infrà dicetur) priuata fuit. Similiter ex parte opposita duces insigniores enumerantur, maximè quòd Starchaterus Suetici Regis Ringonis principalis exercitus director fuit, atque in eius exercitu Vegtbiorga puella acerbifsima bellatrix, vt inferiùs ostendetur. Numerus nauium Ringonis pro Suecis & Gothis, duo millia quingentæ repertæ: sed Danorum non impar erat. Præparatis igitur vtrinque nunc cuneata, nunc corniculata acie, & reliquis ad prælium requisitis, lituisque canentibus, asperrimum fortifsimarum gentium tanto tempore præparatum, tanto ardore de inuadendo ac defendendo imperio conseritur bellum, vt crederes repentè (inquit Saxo) terris ingruere cœlum, syluas camposq; subsidere, misceri omnia, antiquum redijsse chaos, diuina pariter & humana tumultuosa tempestate cōfundi, cunctaq; simul in perniciem rrahi. Nam vbi ad teli iactum peruentum, intolerabilis armorum stridor incredibili cuncta fragore compleuit. Vapor vulnerum repentinam cœlo nebulam intendebat, dies effusa telorum grandine tegebatur. Nec parum in acie funditorum opera valuit. At vbi pila manu aut tormentis excussa, cominùs gladijs ferratisque clauis decernitur, tum verò plurimum sanguinis periclitatum est. Igitur fessis manate sudor corporibus cœpit, mucronumque crepitacula eminùs audiebantur. Illic Starchaterus, qui belli

belli huius seriem sermone patrio primus edidit, prior in acie dimicans, Haraldi regis proceres, Hun, & Elli, Hort, ac Burgha à se prostratos, abscissamque Visnæ dexteram commemorat. Puella etiam in Suetica acie dimicans, Vegtbiorg nomine, Soth pugilem strauit: & ipsa quoq; altero instante hoste interempta est. Tanta enim vi periti arcuum Guthones neruos intenderant, vt clypeos quoque iaculis transuerberarent: nec alia efficacior cædis extitit causa. Loricas galeasq; perinde ac inermia corpora sagittarum acumina penetrabant. Cētum quadragintaquatuor sagittis, Vbbo quidam fortissimè pugnans, transfossus interijt. Summa etenim sagittariorum vi instantibus Dalacarlis, recruduit semper bellum contra Danos. Tandem Danorum Rex Haraldus curru excussus claua aurigæ proprij excerebratus interijt, procerumque triginta millia ex sua acie, atque duodecim millia similium procerum ex parte Suecorum, & Gothorum: popularium verò numerus erat infinitus. Regnoque Daniæ iussu Regis Suetiæ Ringonis præficitur Hetha numero regentium X L V I. cui successit Olo, per Starchaterum ab insidiatoribus introductum, pretioque corruptum, interemptus.

Soth pugil Vegtbiorg bellatrix virago. Guthones sagittarij. Vbbo 144. sagittis perfossus interijt. Haraldus claua suip sius aurigæ percussus interijt. Hetha regina præficitur Danis, cui successit Olo tyrannus.

De morte Starchateri. Cap. 9.

POstremò iam prolixa fatigatus ætate & labore, ne senij vitio pristinum gloriæ decus amitteret, egregium fore putauit, si voluntariū sibi cōscisceret exitum fatumq; proprio mercatu arbitrio. Olim namq; rei bellicæ deditis morbo perire probro datū est. Aurū itaq; librarum cxx. quod iampridem pro Olonis tyranni interfectione meruerat, collo appēsum gerebat, emēdi percussoris gratia: nihil aptius ratus, quàm si aurum, quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ salutis impenderet. Itaque Hatherum splendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus, hortabatur ne à parentis sui interfectore pœnas exigere vereretur: hæc facientem, auro quod gerebat potiturum esse promittit. Et vt eius in se animum vehemētiùs efferarer,

Morbo mori militib. olim probr. Mortē suā emit Starchaterus auri pondo 120. ab Hathero, cuius Lentnum patrē antea interfecerat.

ret, huiusmodi exhortatione vsus esse traditur:

Prætereà Hathere priuaui te patre Lenno.
Hanc mihi quæso vicem referas, & obire volentem
Sterne senem, iugulumq; meum pere vindice ferro.
Quippe opem clari mens percussoris adoptat,
Horret ab ignaua fatum deposcere dextra.
Sponte pia legem fati præcurrere fas est.
Quod nequeas fugere, hoc etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, vetus excidenda, minister
Naturæ est quisquis fato confinia fundir,
Et sternit quod stare nequit: mors optima tunc est
Cùm perirur, vitæque piget, cùm funus amatur,
Ne miseros casus incommoda proroget ætas.

Mors empta Hæc dicens exertam crumena pecuniam promit. Hatherus autem tam fruendi æris quàm paternæ vltionis capessendæ cupidine concitatus, obsecuturum se precibus nec præmia repulsurum spopondit. Cui Starchaterus cupidè ense præbito, pronam postmodum ceruicem applicuit, ne timidè percussoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter vreretur hortatus: præfatus, quod si peracta cæde ante cadaueris lapsum caput ac truncum medius intersiliret, innocuus redderetur. Igitur Hatherus adacto vegete gladio, senem capite demurilanir: quod corpori aualsum, impactumque, terræ glebam morsu carpisse fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans. Percussor tamen promissis fraudem subesse veritus, saltu abstinuit: quem si temerè egisset, forte lapsi cadaueris ictu obrutus, occisi senis pœnas proprio funere persoluisset. Verùm ne tantum athletam busti inopem iacere paceretur, corpus eius in campo, qui vulgò Reling dicitur, sepulturæ mandandum curauit.

Starchat. sepultus in agro. Reling.

De Haldano, alijsq; pugilibus ab eo deuictis. Cap. 10.

Haldanus pugil Caro-

ACcedit prætereà alius claræ memoriæ Gothorum pugil, Haldanus nomine, Gotho patre, videlicet Rege

Rege Carolo genitus, iisdem temporibus florens: cuius admiranda gesta atque facinora eò diligentiùs praesentibus inserta sunt, quò insigniori fortitudine deducta noscuntur. Is primae militiae annis piratica transactis, certamini Suetico se immisit: in quo dum pugilem Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum adesse didicit, eximiae magnitudinis clauam ferreis consertam nodis, tunsionis vsibus adaptauit, perinde ac praestigij vites ligneo robore debellaturus. Deinde cùm caeteris conspicuae virtutis habitu praemineret, inter acerrimos hostes obnupto galea capite, scuti inops, clauam in obiecta clypeorum munimina, gemina manus opere torquebat, nec vllum tantae soliditatis obstaculum erat, quod non frustratim clauae impulsu obtereret. Quo euenit, vt occursantem sibi in acie pugilem, acriore gestaminis impactione subrueret. Victus tamen & Saucius, Suecorum potentiae cessit, in remotas terras dilapsus, viribusque, opera veterani militis, qui medendi artem curatione propriorum vulnerum dudum didicerat, restitutus, quodā insigni pugile Thorone in suam societatem accepto, Suecis denuò stratagemate classico congreditur: victorque accedens, Siualdum quendam cum septem filijs natura habituque ferocissimis, nouum molientibus insultum, sub prouocatione (satis informi claua vsus) pariter oppressit. Deinde Hattbenum quendam gigantem Helsingum, nouem cubitorum proceritatem (vt superius dictum est) habentem, (quòd raptas Regum filias stupro corrumpere gloriae loco ducebat, illustres nuptias humilibus praeferre, tantoque se clariorem existimare consueuerat, quantò splendidiores concubitus per vim assequi potuisset) malleo mirae granditatis vnà cū sex suis athletis simili violentia ac scelere debacchantibus, valdè contriuit. Praetereà Egtherum Finnésem, quòd piratica plurimos hinc inde molestaret, naualique praelio expugnari nequiret, ex prouocatione secum decernentem oppressit. Deinde cùm Hatheri Noruegiani Regis filiā Thorildam à Grimmone eximiarū virium athleta, sub duelli comminatione expeti comperisset, edictumq; à patre esset potiturum ea, qui pugilem amouisset: quanquàm

lo Rege Gotho natus.

Haquinus pugil.

Thoro pugil.

Siualdus cū 7. filijs.

Hartbenus. Helsingus. 9. cubitorum gigas cum suis occiditur.

Egtherus. Finno.

Thorilda, Regis Hatheri filia.

quàm ad senectutem cœlebs peruenerat, non minus tamen Regis promissione, quàm athletæ petulantia concitatus, pugnæ locum accessit. Grimmonem appetens extremos loricæ nexus cum occidua clypei parte persecuit. Quod factum Grimmo admiratione prosecutus, Vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini. Statímque ferrum exerens, obiectum clypeum gladio conuulsit: cuius immorantem ictui dexteram Haldanus ferro corripuit, vulnereque in femur misso, eum perpetuò reddidit mutilatum, vtque reliquias languentis vitæ retineret, pecuniarum multatione coëgit. Postremò Ebbonem plebeium insignem Piratam, virtutis fiducia filiam Regis Gothorum, atque dimidium regni in dotem postulantē ea audacia repressit, vt despicabiles generis sui sordes, eximiæ nobilitatis splendori miscere non præsumeret, multominus regni consortium affectare. Atq; ea prolata cōminatione, die nō suppetente, sub splēdida luna eum interemit, tanquam nocturnum certamen monstro exhibiturus.

Grimmo pugil.

Ebbo pirata.

De alio quodam Haldano, & gestis eius. Cap. 11.

NEC minori claritudine inter fortissimos pugiles memoratur alter quidā Haldanus Borchari Noruegiani atque Drothæ Regiæ prolis filius: cuius iuuentæ initia stoliditatis opinione referta fuēre, sequens verò ætas fulgentissimis operum insignibus illustris euasit maximísque vitæ ornamentis inclaruit. Adolescens pugilem ingenuæ famæ, quòd ab eo pueriliter obludens colapho percussus esset, gestamine, quod in manu habebat, petitum oppressit: augurio apud omnes relicto, quanta animi atque virium magnitudine in hostes triumphaturus esset. Ea tempestate Retho Ruthenorū pirata plures prouincias rapinę & crudelitatis iniurijs profligabat: cuius tam insignis atrocitas erat, vt cæteris extremæ captorum nuditati parcentibus, hîc etiam secretiores, corporum partes tegminibus spoliare deforme non duceret. Vnde graues immanesque rapinæ Rethoranæ cognominari solent. Habebat & aliam torquendi sæuitiam beluinam, quam verecundiæ

Haldanus alter Borcharo patre genitus.

Retho pirata tā immanis vt grauiores rapinæ Rethoranæ dicantur.

recundiæ causa volens prætermitto: qua indignitate motus Borcharus Haldani pater Rethoni se obijcit: quorum, vt mutuum bellum, ita exitium fuit. Haldanus verò eam pugnam vulneribus affectus exijt, è quibus vnum ori euidentius inflictum habebat adeò cicatrice conspicuum, vt cæteris sanatis, carnis excremento sarciri nequiret: quæ res, contumeliosum os, nomen ei peperit, vnde perennem gloriam pro honestate, & patria pugnans, æquius meruisset. Sed quid virtuti dignum vnquam retribuit calumniosa interpretatio malignorum? Viguit tamen in eo tanta militaris claritas, vt vbique ob insignem fortitudinem formidabilis haberetur: vnde & ea fiducia ductus, concupiscere cœpit consortium nobilissimæ virginis Giurithæ regij stemmatis eo seculo in Dania vltimæ hæredis: quæ cauendæ iniuriæ gratia, conclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam cùm Haldanus semel fortè venisset, abessentque pugiles, quorum ipse fratrem impubes extinxerat. Oportere eam, inquit, castimoniæ rigorem honestissimo coniugij decore permutare, vt lapsa regni gubernacula copulæ suæ beneficio reparare posset. Se ergo omnium nobilitatis splendore conspicuum nuptialibus ab ea votis respici hortatur, quòd ob dictam causam voluptati aditum datura videatur. Cuius responsione intellecta, se nedum generis claritudine imparem existimari, sed oris deformitatem sibi exprobrari, obsecrat ne cui tori conniuentiam præbeat, antequàm reditus interitúsve sui certitudinem cognouisset. Quem athletæ Giurithę locutum indignè ferentes, discedentem insectari conantur. Quo viso, mox quercu succisa, atque in clauæ habitum redacta, solus cum duodecim manus conseruit, eosque spiritu spoliauit. Deinde augendę claritudinis titulo Russiam ingressus, summa omnium dignatione suscipitur, atque in breui (feruēte inter Suecos & Ruthenos acerrimo bello) plures Suecorum pugiles duelli prouocatione oblatos interemit: & in postremis proprium fratrem Hildigerum septuaginta pugilum oppressorem (dum pietatē fortitudini non preponeret) gladio panniculis (ne carminibus hebetaretur) obducto occidit. Deinde Siuarum Sa- xonicum,

Borcharus os contumeliosum dictus.

Giuritha.

Quercum excidit Borcharus pro claua, qua duodecim pugiles occidit.

Hildigerus 70. pugilū oppressor à Borcharo tandem occisus.

Siuarus. Saxonicus à Borcharo rinali occisus. Haraldus Hildetan Rex.

xonicum, quòd nuptialibus triumphis sponsam eius Giuritham abducere vellet, celeri in Daniam emenso regressu inter conuinantes oppresit, sponsaque læto applausu potitus, ex ea genuit Haraldum Hildetan, de quo capite viij. dictum est. At finaliter à Veseto insigni pugile, in Sialandia pro restituenda lacerata patria pugnans, occiditur.

De Olone Vegeto. Cap. 12.

Olonis tyrocinia. Gunno latro.

OLo Vegetus vix tertio ætatis lustro peracto: tyrocinium virtute auspicatur. Cùm enim percepisset Gunnonem proximas mansioni suæ syluas per atrox latrocinium obsidere, atque innocentes homines perdere, facinoris indignatione permotus, & ne virtuti debitum tempus inertia dilabi pateretur, arma à patre principe Noruegiano impetrat: caneque crudeli secum accepto, ac equo, profundam syluam ingreditur, hominumque vestigia niuibus impressa cognoscit. Quo signo superatis multis periculis, tandem latronum ædes aggeribus obductas inuenit, quorum stabularium artuatim confractum, primò interemit, tectoque transuersum iniecit: deinde patrem, filiumque, tantæ ignominiæ vindices accurrentes, alterum ferro, alrerum cane consumpsit. Sed ne ipse quidem incruentam gessit victoriam, nam aduerso corpore suscepit vulnus, quod sedulò à cane perlinctum, citius sanatum inuenit. Moxque stipiribus capita arque cadauera latronum, in signum restirutæ securitatis infigi iussit: qua etiam fortitudine duodecim pugiles, pudicitiam filiæ Regis Trondorum violare cupientes, in exigua insula (vt sequenti capite dicetur) oppresit. Erat prætereà illi acre ingenium viribus coniunctum, vt facili manu ferocissimos hostes cõficeret, aut fugaret: vnico siquidem satellite muliebriter culro contentus, modo seruato, vt suum comitisque ferrum cauatis baculis condendum curaret, donec cominus certaturus, baculo extractum, in quos vellet repente immergere posset. Eoque stratagemate vsus, potentes plerunque aduersarios superauit. Deinde piraticam longè lateque

Canis acerrimus.

Cauati baculi pro vagina vsus.

teque

teque militaribus armis exercens, lxx. maritimos Reges nauticarum virium certamine consumpsit. Quo euenit, vt insigniores pugiles eius confœderationem peterent, atque plures effrenati ingenij iuuenes eius fierent stipatores. His viribus instructus, ita finitimos reges sola opinione castigauit, vt iisdem gerendorum bellorum manus, curam, audaciamque detraheret. Tandem ad Regem Suetiæ Ringonem peruenit: eò charior illi factus, quo cæteris eius aulæ principibus singulari fortitudine similior erat: vnde & princeps maritimę clasis (quę numerũ duorum milliũ & quingentarum nauiũ continebat, vt superius dictũ est) constitutus, eam septem Regum manu consilioque, promptissimorum etiam sibi adhærentium eo ordine ac studio gubernabat, vt Danorum potentissimam classem victorioso titulo superaret, prout Rex Ringo totius Suecorum terrestris agminis vnctoriosus ductor extaret. Tandem, vt dictum est, Rex Dianæ factus ob meram crudelitatem à Suetico pugile Starchatero interemptus est. *Olo Reges 70. & pugiles 12. enecauit.*

Adhuc de eodem pro pudicitia victoriosè pugnante. Cap. 13.

ERant olim in montanis Noruegiæ penes Occidẽtalium Gothorum limites, gemini pugiles, iidemque fratres, Schatus & Hiallus nomine, tantum præsumentes in solentiæ luxum, vt effreni petulantia, excellentis formæ virgines parentibus ereptas, concubitu violarent. Quo euenit, vt Esam quoque Olaui Vermorum Regis filiam, raptui destinantes, patri mandarent, si illam externæ libidini famulari nollet, per se vel alium pro tuenda prole decerneret. Quod etsi paternæ clementiæ, sub incommodis decrepitæ senectutis suspiranti, maximè probrosum erat: attamen exhaustos corporis neruos, propinquorum ingenio & viribus, in filiæ iustissima defensione erigere conabatur. Interim Olo adolescens Noruagicus, splendido loco & familia genitus, horrore sceleris permotus, oblataque pugnæ facultate gauisus, Olaui penates *Schatus & Hiallus cõstupratores. Esa filia Olaui Vermorũ reg.*

penates agrestium cultum mutuatus accedit: vbi cum inter extremos discubitu frueretur, mœrentem Regis familiam conspicatus, eius filio de industria propius accersito, cur cæteri luctuosa facie essent, inquirit: quo afferente sororis suæ pudicitiam, ni cuiuspiam defensio ocyus intercederet, proximè per acerrimos pugiles profanandam: rursum percontatur quid premij recepturus foret, qui salutem suam pro virgine deuoueret. Super quo Rex per filium interrogatus, filiam propugnatori cessuram respondit: quæ vox præcipuam Oloni subeundi discriminis cupidinem attulit. Consueuerat autem virgo (prout hodie Aquilonaribus mos est) hospitum vultus propriùs accedendo quàm curiosissimè prælato lumine contemplari, quò certiùs eorum mores cultumque perspiceret, vt omnia signa, habitudine corporis notata, parentibus ostenderet iudicanda. Quę more prædicto Olonem scrutata, insitato oculorum eius horrore perstricta, penè exanimis concidit (adeò vigorem stupor habebat) causamque trepidationis suæ ilicò parenti reuelat. Quo considerato adolescens pupillas, ne visentibus formidini forent, palpebris arctius obstringendas curabat, depositoq; pileo quo facies obnupta erat, circunstantes hilarem animum abiecto omni metu assumere iussit. Nec segnius actum quàm iussum fuerat, mox euenit: ita vnius hospitis benignum promissum communem omnium formidinem propulsabat. Intereà Hiallus & Scatus cum decem vernaculis superuenientes tanquam puellam Regiam ilicò sublaturi, Regē tumultuoso clamore, ni filiam sisteret, euocantes in pugnam: quorum debacchationem protinus Olo sponsione certaminis excipit, pacti conditione, ne furtim tergum dimicātis incesserent, sed aduersis tantum pugna congressibus starent. Deindè gladio à maioribus relicto solus duodecim prostratis, maius adolescente opus edidit. Cæterum pugnę locū insula dabat, vnde nō longè vicus abest nomina occisorum fratrum referens vsque ad præsens. Igitur ex puella sibi in præmium victoriæ data filium sustulit Odmondum. Deinde clarior indies in arduis prælijs euadens, ad vltimum in balneo insidiosè occisus est, prout illi dudum à sene

quodam

Virgines cō templantur hospitum vultus.

Sic Deus pro virtute pugnantes adiuuat Odmund.

Olo interfectus in balneo.

quodam vaticinatum est, dum Regulum Thoronem hospitij iura violando interemit.

De Arngrimi, & Aruarodi pugilum gestis. Cap. 14.

HOc quoq; loco prætereundum non est, quomodo consilio Regis Suetiæ Erici Diserti (cuius mentio posthac fiet) quidã Arngrimus insignis pugil Sneticus, contra Septentrionales Reges Scricfinniæ & Biarmiæ præliando triumphandoque socer factus sit Regis Daniæ Frothonis, quòd eius imperio vltimos humanarum rerũ terminos adiecisset, egregijsq; operum titulis patentem eius claritatem latè per orbem ampliasset. Sustulit autem, teste Saxone XII. filios ex Osura. *Osura 12. filios genuit ex Arngr.* Hi ab adolescentia piratico muneri incumbentes, vno omnes nauigio forte in insulam Sampse aduecti, duas in maritimis naues Hialmeri atq; Arnarodi Noruegianorum piratarum reperiunt: quos pugna adorti, remigibus in absentia gubernatorũ mox vacuefecêre, mœstiores facti, quòd principales eorum rectores non interimissent: vnde & partam victoriam vti inanem, ita securitate vacuam contempserunt: animaduertentes sequentibus prælijs sese maiora discrimina, & forte indigniore fortuna subituros. *Samse insula. Hialm. & Aruaro. piratæ.* Quippe prædicti piratæ, quorum iampridem abrupto clauo tempestas nauigia lacerauerat, alterius excidendi gratia nemus ingressi, ligni rudẽ extenuauere materiam, dolabris eousq; eam ambientes, donec formã indueret naualis instrumenti. Quod cũ humeris impositum sociẽ cladis ignari deferrent, ab Arngrimi filijs recenti oppressorũ cruore madentibus lacessiti, duo cum pluribus ferro decernere coacti sunt. Nec par quidem congressus extabat, cum geminam bissena manus exciperet: cæterum victoria numero non respondit. Interfectis enim omnibus xij. prædictis, oppressóque ab eisdem Hialmero, victoriæ Aruarodum titulus non fefellit, quem solum ex tanto sociorum numero fortuna seruauit: qui informem adhuc gubernaculi truncum incredibili libratum nisu, tanta vi hostium adegit corporibus, vt duodecim vnico eius impulsu contusos elideret. *Aruarodus victor.*

Adhuc de eodem Arngrimo, & præstigijs Finnorum. Cap. 15.

Egbertus Biar. Rex & Tengildus Scricfin. Rex ab Arngrimo prælio superati. Osura filia Frotonis Regis Danorum.

PVgnauit etiã hic Sueticus pugil Arngrimus, contra potẽtes extremi orbis Septẽtrionales reges, Egbertum Biarmorũ, & Tengildũ Scricfinnorũ (de quibus in principio lib. iiij. aliqua mẽtio facta est) vt victoria super his obtenta, pro meritis & triũphis filiã Regis Daniæ Frothonis Osurã, acquireret contoralem, prout inde monstrauit euentus. Interim tamen cnm syluestri gente cõgressurus, exercitu valido se mnniuit, eoq; proficiscebatur: primumq; reperit se nedũ contra homines feroces, sed & elemẽta duriora moturũ bella, quemadmodum inferius lib. xj. de bellis syluestribus ostendetur. His tamen hominibus acer telorũ vsus est, vt dimicando latis & grãdibus sagittis vtatur: nec minus incãtationibus & præstigijs aggrediẽdo, fugiẽdóve in trabibus pandis inter medias niues, excipere vel obtrudere norunt. Hos Arngrimus (referente Saxone) claritatis causa sibi cõciliandæ adortus obtriuit: qui cũ infeliciter dimicãdo fuga dilaberẽtur, tribus lapillis post tergũ coniectis, totidẽ, montium instar, hostibns apparere fecerunt. Igitur Arngrimus ludificati visus errore perstrictus, ab insectãdo hoste exercitũ reuocauit, magnarum se rupium interiectu coërcitũ pntans, Iidem postera die congressi victiq;, coniectæ in terrã niui, ingentis fluuij speciem indiderũt. Itaq; Suecis per summũ visus errorem falsa rerũ opinione delusis, insitata aquarũ moles obstrepere videbatur. Ira victore vanã aquarum imaginem formidãte, fugã impetrauêre Finni. Tertio idẽtidem die reparauêre bellũ, nec iã amplius vllũ fugæ efficax remediũ fuit. Videntes enim suas inclinari acies, potestati se permisere victoris. Deinde Egtherum Biarmorum ducẽ dnello prouocatum deuicit. Post hęc spolijs tropheisq; auctus, Suecorũ Regis arbitrio mediante, Danorum Regis prædicti filiam suscepit Osuram, ex qua (eodem Saxone teste) xij. filios genuit nominibus huiusmodi annotatis: Brãder, Biarbi, Brodder, Hiartãdi, Tander, Tiruingar, duo Hadiugi, Hiorthuar, Hiartuuar, Rani, Angantir, qui omnes, vt prædictum est, piraticam exercentes, ad vltimum fuerunt interempti.

Præstigiæ in bello.

Nomina 12 natorum. Arngri.

De occi-



De occiſione vrſi, & epotatione ſanguinis eius. Cap. 16.

INter aquilonares pugiles quidam erat Biarcho nomine, gladio ſemper vtens longitudinis inuſitatæ, quem voluptatis loco portauit in quoſcunq; inſolentioris vitæ athletas duelli prouocatione ſtringendum, ne moribus abiectiſsimis deditos, claritudinem athleticam turpibus exemplis ſineret infamare: vnde & plurimos ea occaſione aut inſolentiam totaliter abijcere, aut vitam in periculum ponere coëgit. Talibus itaque operum meritis exultanti, nouam de ſe ſylueſtris fera victoriam præbuit. Vrſum quippe eximiæ magnitudinis, obuium ſibi inter dumeta factum, gladio confecit, comitemq́ue ſuum Hialthonem, quò viribus maior euaderet, applicato ore egeſtum beluæ cruorem haurire iuſsit: Biarcho autem, dum à pugile quodam omni petulantiæ genere debacchante, & in conuiuijs nodoſa oſſa in conſeſſores conijciente, vehementem in capite ictum exciperet, indignum ratus gladij vſu iniuriam penſare, oſſe inuicem in iacientē remiſſo, frōtem eius in occiput reflexit, idemq́; loco frōtis, intorſit trāſuerſum hominis animum, vultus obliquitate multando, fortè vt ab oſsibus amodo eijciendis horreret. Præterea Regnerus quidam Noruegianus, dum illuſtris militiæ tyrocinium exerceret, vidit in ſociorum caſtris puellam, ingenti fortitudine hoſtes vndique profligantem: cuius amore captus ſatiari nequiuit

Biarcho inuſitatæ longitudinis gladio plures interemit.

Hialtho ſanguinē bibit vrſinum.

Vltor egregius.

Martia puella.

nequinit, donec immanem vrsum, canemq; ferocissimum, virginis conclaue tutátes interemisset: quos (etsi aditum amori prius solicitata spopondit) ea ratione oppoſuit, vt ferocissimarum bestiarum oppressorem intueretur, cui neruos diu tutatæ pudicitiæ crederet permittendos. Huicque puellæ Latgerthæ nomen fuit: de cuius fortitudine paulò inferiùs inter pugnatrice nonnihil ostendetur.

De Regnero Pilosa bracca dicto. Cap. 17.

Herotus Rex Suetiæ.

REx fuit Sueonum, Herothus nomine, cuius anxia mens ob custodiam pudicitiæ pulcherrimæ filiæ suæ, non parum vrgebatur, an potiùs beluino præsidio (vt tunc quorundam principum mos erat) an humanę fidei eam permitteret conseruandam. Verùm cum humanæ fiduciæ præferret bestialem crudelitatem, citius elegit, quod periculosius erat, nociturum. Quippe syluas venatione complexus, repertos à comitibus angues filiæ detulit nutriendos. Illa paterno ocyus obsecuta præcepto, vipeteum genus virgineis manibus educauit. Et ne eorum satietati conueniens esca subtraheretur, integrum bouis cadauer curiosus parens afferri iussit, ignorans se priuato pabulo publicam sustentare perniciem. Qui cùm adulti pestilentissimo halitu viciniam vrerent, Rex inertis operæ pœnitens, potiturum filia, qui pestem amouisset, edixit. Cuius rei summam Regnerus Noruegianus, Regia prosapia oriundus, inter plurimos virginis porcos præcipuus, vbi publica fama didicit, laneum à nutrice sagulum, villosaque femoralia, quibus inflictos anguium morsus eliderer, expetiuit. Cumque nauigio Suetiam appulisset, de industria frigoris rigori aquis superfusis, vestē indurari permisit: qua amictus, solus ense teloque munitus, procedit ad regiam. Procedenti duo inusitatæ magnitudinis angues obuij allabuntur, iuuenē strictura caudarum, ac venenato vomitu perempturi. At Regnerus gelati cultus duricie fretus, amictu venenum, & clypeo morsum, infatigabili beluarū cōgressione sustinuit, ac repressit. Ad vltimum proiectum, manu amentatum

Angues, virgineæ Thoræ pudicitiæ custodes.

tatum telum strenuè corporibus eorū adegit. Deinde ense bicipiti vtriusque præcordia lacerans, felicem ingeniosæ ac periculosæ pugnæ exitum habuit. Cuius vestirū Rex curiosius contemplatus, cùm hispidū dorsotenus, præcipuè incomptam bracharum speciem animaduertisset, eludens, Lodbroch, id est, Pilosam bracham, eum agnominauit: quem etiam vt ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum accersit. Ille prius reuisendos sibi quos reliquerat, socios aiebat: quos nitidè vnà secum vestitos, Regiæ mensæ præsentauit. Et demū ea peracta, victoriæ pignus accepit: ex qua plura præclare indolis pignora procreauit: eoque sinceriori amore eius solatio potitus est, quò maioribus periculis & ingenijs, eam suo consortio partam agnouisset. Absumpta tandem nobilissima hac coniuge, Thora appellata, in varia fortunæ ludibria incidit, vt toto orbe fulgidus armis ab inermibus Finnis & Biarmis (prout anteà dictum est) superatum se doleret: qui etiā postmodum ab Hella Hybernorum principe colubris obiectus, vita functus est.

Thora. Hella princeps hybernus, serpentum victor. Regnerus colubris victus interijt.

De Alfone pudicitiæ defensore. Cap. 18.

REx Gothorum Siuardus filios habuit Vemūdum & Ostenum, filiamq; Aluidam: quæ tantam verecundiæ fidem ab ipsis incunabilis præferebat, vt os peplo iugiter obnuptū haberet, quominus formam suam alienæ libidinis irritamentū efficeret. Huic pater in arctam custodiam relegatæ, viperam angnemq; educandos commisit pudicitiam eius adultorum tandē reptilium custodia vallaturus: vt viris tantūmodo fortitudine & virture insignibus, magnitudine discriminū superata, virginis aditum annuere videretur: hoc adiecto, vt si quis idipsum frustrà tentasset, protinus amputandū caput, paloq; refigendū præberet: ne quiuis petulanti ingenio stimulatus, tantum facinus in Regium sanguinem præsumeret attentare. Quo cōperto Alf Sigari Regis Danorū filius, nō tam viribus quam ingenio confidens, periculumq; eò clarius quò periculosius tētandū existimans, proci titulo beluas virginei thalami seruatrices

Siuardus Rex. Vemundus. Ostenus. Aluida. Pudicæ virginis insigne.

 trices

trices, debellandas aggreditur, præsertim quòd edicti ratione earum victori virgineus deberetur amplexus. Quarum vt fortius aduersum se excitatam rabiem sustineret, cruda cruentaq; corpus pelle contexit: qua sue cinctus, mox vt septi valuas subijt, candens ferrum forcipe comprehensum, hiantis viperæ faucibus immersit, atque exanimem prostrauit. Anguem deinde sinuo volubilitate accedentẽ, inter medios rictus telo absu psit, vel vt antiquiores Gothorum historiæ tradunt, denti ferrea hasta, velut cultrato mucrone, oppressit. Cumque edicti ratione cõnexum victoriæ pignus expeteret, refert Rex Siuardus: Hunc sibi generum placitutum, in quem filia solido arbitrio consentiret. Cumque sola puellæ mater proci votum difficulter exciperet, mentem filiæ secreto perlustrat alloquio: quæ cùm deprehensa esset procum incautius ob virtutem laudare, matet eam conuitiis lacetat, quòd elisis pudicitiæ neruis, specierum illecebra caperetur, omissaque virtutis censura, adulantibus formæ blãditiis, lasciuæ mentis intuitum exhiberet. Quamobrẽ iustam matris sententiam tacitè approbans, ingenium inuenit, quo nedũ pudicitiam (belninis custodibus interemptis) illæsam ostenderet, sed insigniori aliquo fortitudinis ausu speciosius illustraret & confirmaret. Moxq; ad Danici iuuenis contemptũ adducta, fœmineam vestem & animum, in virilem permutauit, atq; ex pudica admodum puella, ferocem piratam agere cœpit. Adeò nanque virtutẽ otio prętulit, vt cùm regiis deliciis frui liceret, bellico discrimini fœmineo furore adducta, se subitò immerserit: omnesque viros tam pertinaci castitatis proposito auersari cœpit, vt firmiter secum statueret nunquam alicui viro copulari, sed deinceps in piratico exercitio virorum fortitudinem superare, aut æquare.

De stratagematibus Fridleui. Cap. 19.

Fridleuus. EXtant Fridleui cuisdam insignia gesta: cui præter insitam animo fortitudinem, etiã cõtẽptrix ferri tunica vel lorica, fiduciam ministrabat. Hac in pnblicis priuatisque conflictibus, tãquam salutis cultu vsus, pluri-

plurimos potentes hostes acri prælio fatigatos oppresſit, atq; inter alios Gunholmum quendam hostile ferrū carminibus hebetare solitum, crebro capuli ictu exanimauit. Dum autē mucroni manum cupidius inserit, elisa neruorū officia reductos in palmam digitos perpetuo curuitatis vinculo perstrinxerūt. Idē dū Dufflinum Hyberniæ oppidum obsideret, murorumq; firmitate, expugnationis facultatem negari conspiceret, Hadingiani acuminis ingenium æmulatus, hirundinum alis inclusum fungis ignē affigi præcepit: quibus propria nidificatione receptis, subitò flammis tecta luxerunt: quas oppidanis restinguere concurrentibus, maioremque sopiendi ignis, quàm cauendi hostis curam præstantibus, Dufflino potitur. Post hæc apud Britanniam amissis bello militibus, cùm difficilem ad littus reditum habiturus videretur, interfectorum cadaueribus erectis, & in acie collocatis, ita pristinum multitudinis habitum repræsentabat, vt nil ex eius specie tanto vulnere detractum videretur. Quo facto hosti non solum conferendæ manus fiduciam abstulit, sed etiam carpendæ fugæ cupidinem incussit.

Gūholmus ferrum suis carminib. hebetauit

Dufflinū.

Fridleui in expugnando Duffl. atque aliis gerendis bellis solertia.

De eiusdem stratagematibus per aues. Cap. 20.

QVantum ad Hadingianū ingenium superius adductum, is est intellectus, quòd Hadingus Danorū Rex, primis adolescentiæ suæ annis felicissimè deductis, omisso voluptatis studio, continua armorū meditatione flagrabat, forti animo perpendens, omne vitæ tēpus se spectatis militiæ operibus exigere debere. Idem Handuanum Hellespōti Regē, apud Dunā vrbem inuictis murorū præsidiis vallatum, mœnibusque nouatis resistentem, bello pertētat: quorū fastigio oppugnationis aditum prohibēte, diuersi generis aues loci illius domiciliis assuetas, per aucupij peritos prēdi iussit, earūq; pēnis accēsos igne fungos suffigi curauit: quæ propria nidorū hospitia repetētes, vrbē incendio compleuerunt: cuius extinguendi gratia cōcurrentibus oppidanis, vacuas defensorib⁹ portas reliquerūt. Adorsus itaq; Hāduanū, cepit, eiq; redēptionis nomine

Hadingus Danorum Rex, in gerēdis bellis ingeniosus.

Handuanus Helle ſponti Rex.

Duna vrbs.

Aues domesticæ edicto prohibitæ sub obsidionem. corpus suum auro repēdendi potestatem fecit. Cumq; hostem tollere liceret, spiritu donare maluit: adeò seuitiam clementia temperabat. Attamen quotiescunq; postea obsidio aliqua immineabat, Regio edicto omnes domesticæ aues necabautur.

De pugna Haraldi Regis contra draconem domesticum. Cap. 21.

Haraldus Nor. Rex. *Draco domesticus.* HAraldus illustrissimus Noruegianus Rex, in adolescentia sua apud Byzantium Regem commoratus, & homicidij crimine damnatus, domestico draconi lacerandus obiectari præcipitur: cui in carcerem eunti, ingenuæ fidei seruus vltro se damnationis comitem obtulit. Vtrunque is qui custodiæ præerat, curiosius obseruatum, per os antri inermem excussumque dimisit. Itaque nudato ministro, Haraldum verecundiæ gratia linteo tantum discinctum excepit: à quo clàm armilla donatus, pisciculis pauimētum instrauit, vt haberet draco in quo primę famis procursum effunderet, reorumque carceralibus tenebris obfusi oculi, vel paruulam prospiciendi copiam ipso squamarum nitore capesserent. *Squammæ lucēt in tenebris.* Tunc Haraldus lecta cadauerum ossa angustiis telæ consertioris implicuit, iisdemq; in vnum globum coactis, veluti clauam effecit. Cumque allapsus draco in obiectā perquàm auidè prædam irrueret, dorsum eius veloci saltu conscendens, cultellum tonsorium, quem secum fortè tectum attulerat, vmbilico, qui *Draco petēdus in vmbilico vt interficiatur.* solus ferro patebat, immersit: sectionem enim rigidissimis squamis obsitus serpens, cætera corporis parte spernebat. Sed neque Haraldus obsessionis eminentiam, ingenti beluæ ore corripi, dentiúmue acumine noceri, aut caudæ voluminibus elidi poterat. Minister verò compacto gestamine osium vsus, cōuerberatum beluæ caput ad sanguinem & necē vsque crebris ictum ponderibus contundebat. Quo cognito Rex, vltione in administrationem versa, fortitudini supplicium condonauit, nauigioq; & stipendio donatos abire permisit.

De pugna Frothonis, & Fridleui, contra serpentem. Cap. 22.

FRotho Danicus pugil & Rex, vix pubertatis annos emensus, solitario congressu, serpentem miræ magnitudinis & ferocitatis (impactũ enim congredien tis ferrum aspero cutis horrore contempsit, & spicula quæ in eum coniecta fuerant, eluso mittentis conatu ir rita resultabant) immisso in ventrem ferro consumpsit. *Frotho.*
Nec minoris fortitudinis censendus est Fridleuus: qui tum experiendæ fortitudinis gratia, tum voluntate cõsequendi thesauri absconditi, anguem corporis robore, & venenatis dentium morsibus admodum formidabilem adorsus, diu in squameum latus irrita tela coniecit, quippe spiculorum impulsum crustata corporis durities frustrabatur. Ipse verò coluber crebras admodum spiras agitans, orbiculato caudæ flexu tactas obiter arbores stirpitus euertebat, crebroque corporis tractu cauata ad solidum humo, præruptum hinc inde latus effecerat, vt quibusdam in locis aduersi colles media valle sequestrati cõspiciantur. Igitur Fridleuus inuicta suprema beluæ considerans, ima gladio tentat: perfossaque inguinis parte, saniem palpitantis elicuit: qua extincta, pecuniam hypogeo erutam asportauit. *Fridleuus.*
Item gigantem quendam Hithin nomine, monstruosum habitum mutuantem, cùm Regis Tellemarchiæ filium pueriliter obludentem abduxisset, eoque remige vteretur, pede manuque curatum, liberato captiuo adolescente, deuicit. *Hithin.*

De eodem Fridleuo. Cap. 23.

IS etiam duodecim pugiles Noruegianos, quamuis giganteis triumphis claros, trophæis gentium celebres, & spoliis locupletes, cùm crebra vicinos irruptione vexarent, non tam auaritiæ, quàm virtutis ardore inductus, oppressit. Hic etiam Hiarnonem quendam regni competitorem, quòd vitæ eius, prætextu magnæ familiaritatis, & ingentium obsequiorum, acerrimus insidiator esset, multitudine & atrocitate cicatricũ in balneo deprehensum, duelli congressu interemit. *Fridleuus 12. pugiles oppressit. Hiarno.*

De piratica illustrium virginum. Cap. 24.

Aluilda. ATrocem piraticā exercere cœpit Aluilda illustrissima virgo, compluribusq́; eiusdem voti puellis in commilitium accitis, eò fortè loci peruenit, vbi piratarum agmē amissi bello ducis interitum deplorabat: à quibus ob formæ pulchritudinem, & animositatem piraticæ princeps creata, maiores muliebri virtute re *Alff.* edidit. Quam Alff crebris nauigationibus insectari conatus, in Blacmannorum classem hyeme incidit: quo tempore densatæ frigoribus aquæ, atque glaciei moles ita nauigia firmare solent, vt eis nulla vis aut ars concedatur remigandi. Cùmque frigoris diuturnitas, tu-*Ratio pugnãdi super glaciem, vt pes firmus constet.* tiorem conclusis sponderet incessum, iubet Alff suos lubrico calceamentorum vsu deposito, nudis caligarū soleis glacialem calcare planitiem, atque ita hostes vnctis calceis infirma vestigia tenentes, facillimo cōgressu fatigare. His ita repressis, glacieque soluta, institu-*Hangœ.* tam nauigationem in Finnos seu Finlãdos dirigit: vbi contractiorem sinum Hangœ ingressus, missis exploratoribus portum inuenit aliorū nauigiis occupatum. Aluilda quippe easdem angustias prior classe intrauerat: quæ cùm ignotas eminus puppes adesse conspiceret, celeri remigio in eorum desertur occursum, irrumpere hostem, quàm eo obrui satius iudicans. Vt ergo naualem pugnam committere cœperunt, magnoque gloriæ & fortitudinis respectu vtrobique continuarunt, iuuenis maiori ac recētiore milite cinctus, optato omine Aluilda proram insiliente, in puppim vsque (facta resistentium strage) progreditur. Cuius comes Borcharus, decussa Aluildæ galea, facieique gracilitate conspecta, animaduertit osculis, non armis agendum esse, telorumque rigore deposito, blandioribus hostem officiis attrectandum. Igitur Alff, quam terra marique tot obstantibus periculis indefesso labore quæsierat, supra spem offerri gauisus, cupidius apprehensam ornatissimo muliebri vestitu protinus exornauit, suoque toro laudabili maiorum lege seruata, coniunxit: ex qua postmodum filiam Gyritham procreauit: quæ Haldanum sortita maritum, Haraldū Hildetan peperit, qui Daniæ regnum domesticis iniuriis multipliciter laceratum,

ratum, ad pristinum decorem, pace 50. annorum habita, restituit: duasq; bellaces virgines, Sticlam & Rusilam in Regem Trondorum super regni dominio classe bellica decertātes, insigni astutia victas prostrauit. Sed neque eius nepoti Odmundo Olone genito, par gloria cessit, dum aliam virginem Ruslam, cum fratre de regno Noruegiæ piratica contendentem, potentibus armis aggreditur. Nam ab ea fugatus, clandestina rebellione à popularibus molestatam, refugam fecit, atque fraternæ persecutioni, dum fugeret, impiè obiecit trucidandam. Neque omittēdum est, quòd potentissimus Hollādiæ Princeps Huiruillus, Rusilam virginē Noruegiæ, res bellicas æmulantem, insigni armatorum virtute oppressit.

Sticla. *Rusila.* *Odmundus* *Rusla.* *Huiruillus Hollandiæ Princeps.*

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de mineris & metallis.


Epitome Libri sexti.

PRAEFATIO.

QVIA durū & indomabile genus bellatorū Septētrionis, Suetię & Gothię minerales mōtes inhabitās, ob ingentē animi & corporis ferocitatē & animositatē, ac etiam propter durissima exercitia quibus implicatur, gigantibus & pugilibus debitè poterit assimilari. Ideoq; eisdē gigantibus & pugilibus, in ordine rerū Aquilonarium annecti meretur, & subsequētibus ob diuersa armorū genera, quibus vtraq; pars vtitur, anteferri. Hacq; ratione aliorum scriptorū ordine & forma non seruata, nonnihil de mineralibus rebus inferendū erit, vnde paramenta pro ostensione subsequentiū præliorū, distinctius quò fieri potest, assumātur. Montes igitur excelsi sunt, sed pro maiori parte steriles, & aridi, in quibus ferè, nihil aliud pro incolarum commoditate & conseruatione gignitur, quàm inexhausta pretiosorū metallorum vbertas: qua satis opulenti fertilesque sunt,

in omnibus vitæ neceſſariis, forſitan & ſuperfluis aliunde ſi libet conquirendis, vnanimique robore, ac viribus, vbi vis contra hæc naturæ dona intentata fuerit, defendendis. Acre enim genus hominem eſt, nullis bellorum aſperitatibus, ob qualemcunque elementorum aſperitatem, aut hoſtiles minas, cedens, prout infrà de bellis campeſtribus erit oſtendendum. Quàm etiam feroces & impetuoſi, agmine, pedeſtri incedentes, hoſtibus imminere ſoleant, Dalacarli dicti, externus teſtis Albertus Crantzius magna miraque, in bellis contra Reges Daniæ, præſertim contra Chriſtiernum 1. ac Regem Ioannem confectis, ſatis integrè manifeſtat. Imò & ipſe Chriſtiernus 2. qualiter viribus & furore, Rege Goſtauo anno 1521. ductore illius gentis, à regnis Suecorum & Gothorum fuerat exturbatus, per infelicem experientiam peſsimis cōſiliis circumuentus agnoſcit. Quàm verò horribilis & immanis crudelitas, eius regimine commiſſa ſit in Septentrionalibus terris, inferius ſuo loco, ſecūdum ocularem meam inſpectionem, veriſsimè oſtendetur. Reſeruatus enim videbar ad videndum tam horreuda ſpectacula gentis meæ.

Chriſtiernus 2. Daniæ Rex crudeliſsimus.



De Mineris, & earum inuentione. Cap. 1.

Mineræ Septentrionalium regionum ſatis multæ, magnæ, diuerſæ, & opulentę ſunt. Multę, quia in vallibus & montibus ſitæ, frequentius adhærentes extrahun-

trahuntur. Item magnæ, quia inexhaustæ & amplæ, tã in superiori Suetia quàm Gothia, & Varmorum regione, penes Noruegiæ limites reperiuntur. Item diuersę, quia argenti, cupri seu æris, & chalybis, & electissimi ferri. Item opulentæ, vt infrà dicetur, cùm in eiusmodi mineris bona pars Regij fisci seu tributi, veniet extrahenda. Et licet talium montium ac minerarum, ingẽs multitudo fit in antedictis regnis, tamen plurimis signis, natura monstrante, semper nouæ recentesque scru tantibus offeruntur, præsertim vbi montes in summitate rotundi sunt, & in vmbilico ac rotunditate, non fissi vel fracti: sed nix in hyeme, propter sulphuris fumositatem, liquescens. Ictu verò fulguris in vertice vel latere, aut pede tacti montes, elucentes argenti venas in fissuris ostendunt suosque lucri cupidos allectos, magis magisque ad ardorem inexplebilis auaritiæ incen dunt, vt nullius respectu periculi, saxa cauando perueniant ad interiora: vbi non secus venæ in montibus, quàm membra in hominibus stantes sursum, deorsum, leuorsum vel dextrorsum diuisa videntur, eoque fulgentiores mineras annexas retinent, quò puriori petræ vel marmori cõnatę videntur. Quę enim versus Occidentem naturæ lineamentis diriguntur, maioremque gibbũ ad Meridiem & Boream flectunt, optimæ sunt, & inæstimabiles: quoniam non aliter apparent venæ illæ, quam micantes armati, ordine suo bene locati. Hæcque voluptas vtilitati coniuncta, non paruum solatium laborantibus ac possessoribus præstat.

Signa quibus mineræ dignoscũtur

Mineræ quæ sint optimæ.

De situ Mineralium venarum. Cap. 2.

PRæterea venæ à lateribus Orientis, & Meridiei in mixtum Occidentem, & Septentrionem cõcutrentes, electiores esse perhibẽtur, nõ itidẽ aliorsum in alias cœli partes deriuãtes. Maturior enim minarũ decoctio, ortiuum solem, & meridianum sub Arctoo sequitur. Sunt etiam venæ pendentes, atque iacentes dictæ. Pendentes desursum tegunt. Iacẽtes in plano situ recumbunt, augmẽtum & bonitatem ab ipso exitu assumentes. Sunt etiam venæ sursum deorsumque obliquatæ,

Mineræ probatiores.

Venæ pendentes & iacentes.

Venæ obliquæ.

 quatæ,

quatæ, à prædictis omnibus dependentes.

De modo cauandi metalla. Cap.3.

EFfossores sustinendis montibus crebros fornices, ligneaq; sustentacula inter ipsa montium latera, ac inferius pro sua securitate reponūt: eaq; dubia atque anxia firmitate fidentes, adhuc alio excogitato modo, sese funibus inter inuias rupes, metalla cæsuri, vel argenti lineas lecturi, demittunt: quæ postmodum igne & aqua, arte adhibita depurant. Cūmque sterilis quæstus, atque inanis labor is esse videtur, quasi in cortice & superficie, nullus aut rarus pinguissimæ mineræ quærendus sit fructus, solidioris ingenij vsu resumpto, prioribus longè fortioribus fornicibus, intra mōtium latera columnas statuunt, firmiter credentes, non nisi in profundioribus montium cauernis, sagacioribus signis diuitias esse quærendas, & in infima abysso: vbi decoquente natura, vberius atque frequentius, argentea præsertim & ærea metalla fodiuntur.



De distinctione Mineralium venarum. Cap.4.

DIstinctio ac diuisio mineralium venarum, siue puteorum, aut possessionum, certis signis montibus impositis ab inuentoribus, aut euentibus, aut naturali situ & proprietate, specialiter fieri solet: quę etiam mirabili ordine sunt inuentæ, quotidieque (irato an propitio numine, ignotum est) inueniuntur primò violen-

tia

tia fulminum, ac turbinum arbores comburentium, vnde micantes argenteæ glebæ produntur: deinde lignibus rasi vertices subterraneorũ montiũ, ostendũt splendẽtes argẽti venas: quas illicò prouidus agricola fimo abscondit, potius agro pacifico cõtentus, q̃ argẽtea minera sponte se offerente: vnde suam, suæque sobolis vitam educare posse cognoscit. Formidat enim solicitus agricola nobilem vel fiscum, cuius ager est, visa argenti minera, maioris lucri causâ eum à prædio amouere velle, ne amplius fit agricultura, vbi fertilis sit argenti minera. Ideoq;, vt dictum est, præeligitur fertilitas agri. Olim ob hanc causam, tam agri, quàm argenteæ mineræ sic apparentes sunt desolatæ: hodieque quàm diligenter fieri poterit, absconduntur: tantumque nocuit regentium inexplebilis auaritia, vt vbi erãt putei, seu mineræ ferrariæ, æreæ, argentariæ sexcentæ, vix trecentæ hodierno die ad publicani vtilitatem relictæ videantur: quorum nomina superuacaneũ est hic enumerare, dum incolæ earum memoria insigniter contristantur, eò processisse fata, quod aduersus numina violenta nihil audeant attentare.

Minerarũ inuentio.

Mineræ argenteæ absconduntur ab agricolis.


De rotis, instrumentis, & periculis laboratorum. *Cap. 5.*

QVod denique superius altissima rota, seu machina tractoria, humano vel iumentorum gressu circumagi reuoluiq;, præterea homines funibus insidentes, atque ad ima descendentes, ac rursum vrnæ seu situlæ, mineris vel aqua plenæ, eleuari videntur, id significat (prout omnibus est compertum) quòd hunc modum metallici laboratores necessariò congruentem seruant: imò quòd & ipsa iumenta, equi videlicet, ac grandes vrsi, vicissim & collateraliter in rotis, ob grauiora eleuanda vel deprimenda pondera reuoluendis, deputantur, dum nullis cuniculis, vel scalis egestæ mineræ, ab antris infernis facilius educi possint. Fossores verò, tam graues durosque labores sursum deorsumque perpetuò subeuntes, hominum genus durum est, & plerunque ob maleficia proscriptionis titulo

Vrsi seruiunt in eleuandis metallis.

eò collectum, sola principis securitate ibidem viuens, ne patria in exilium cõmutata, à postliminio nũquam ad propria reuertatur. Leges tamen laboratores illi, & iura montana sequuntur: quibus etsi ad tumultus, seditiones, homicidia, ac mille iniurias subitò perpetrandas inclinati sint: tamen sæuerissima constitutione, ne cuipiam malum inferant, constringuntur. In reliquis nullum expauescũt subire periculum, vel ruinam: quæ inter saxorũ cadentia fragmenta, siue in trabibus inter latera montium obfirmandis, siue in lethifera minerarũ exhalatione aut fœtore, siue inclusi aëris grauitate, contingere possunt. Ideoque sæpissimè subduntur horribilibus fatis. Dum enim celerius, q̃ circunspectius impetuose laborant, sustentaculis ruptis, saxisq; cadentibus, vel mox quassantur, vel diebus aliquot (vt prædictũ est) cũ horribili clamore fame cruciãdi suffocãtur: quibus, vt viui extrahantur, nullo concesso remedio, vno sepulturæ signaculo, quomodo, quotq̃;, scilicet 30. 60. vel 100. aut plures pereūt in momento, ostenduntur. Manet nihilominus in aliis fossoribus indomitus vigor, vt vel his, vel similibus spectaculis horrendis minimè terreantur. Leui etiam tactu malleorũ accendẽte immenso pondere maximi montes collabuntur.

Imperterriti metallici.



De arte & ingenio fabrorum. *Cap. 6.*

ETsi in multis Aquilonaribus regnis & prouinciis mira fabrorũ cuiusuis dictilis, vel fusilis, vel tornatilis

natilis metalli fieri ſoleat æſtimatio, præcipuè apud montanos Dalacarlos, inuictũm pugnatorũ genus: tamen in regione Helſingorum (quæ olim ob magnifica geſta Regio titulo decorata fuit) verſus Septẽtrionem adeò periti, & diligentes fabrilis officij artifices inueniuntur, vt vix pares habeãt in toto Aquilone. Metalla etenim cruda, ac difformia, aquarum rotarumq; ingenioſa directione, longo tractu ob earundem minerarũ opulentiam diſtendere norunt, vt agilitate, & impulſu talium machinarũ, breuì tẽporis ſpatio opus aliquod ingentiſsimum reddatur cõſummatum, etiam vſualia vaſa extenſi æris, aut ferramẽtorum: vnde non exiguus quæſtus gentibus his accreſcere ſolet. Similiter in ferreis portis, ac feneſtris laminatis, ac cratibus retiariis, in diſſolubili connexione firmandis, quale opus in iun cturis, vix cernitur in tota Enropa. *Helſingi fabri ingenioſi.*



De diſtinctione fuſilium Metallorum. Cap. 7.

EST & alius modus in opulentiſſimis montibus argenti, cupri, ſeu æris, & ferri fundendi, vel malleãdi, apud eoſdem artifices Aquilonares, tã vtili ac commodo ordine diſtinctus, vt facilè vnumquodq; metallũ, iuxta propriã naturã redigatur in maſſam. Argentũ in ſua fuſione cauas fornaces, & liquidos ignes, tanquã pretioſus metallum exquirit, vt reſolutum in fluidam molliciem, ſuppoſitis oblõgis aut rotundis canalibus, *Fuſio argenti.*

in varias formas ab operariis deputatas extrahatur. Formę quidē taliter effluentes argenti plerunq; fiunt, vt vsuales mensę, vel sedilia quadra, aut clypei militares: hocq; potissimum ea ratione fit, vt Regis & regni magnificentia ac opulentia, tam quoad incolas, quam magnorū principū oratores, quibus huiusmodi argenteæ massæ donantur, debeant demonstrari. Cuprea aute, siue ærea metalla, oblongis fornacibus eleuatis ex argilla, paleaq;, & ferreis filis, ac funibus cōfectis, multo folliū numero hinc inde pro excitando ardentiore igne appēso, etiam in diuersas formas absq; canalibus in maximas massas, effossa tamen terrarum scrobe, funduntur: sed longē faciliori cōpendio subtus irrumpentium ventorū, quo continuati immensi caloris in mediis flāmis stratum metallū, reducitur in varias formas 100. 200. vel 600. aut 1000. libras, & amplius cōtinentes, etiā naualia pōdera, vel stateras numero grossiore.

Cupri & æris fusio.

Adhuc de eijdem Metallis. Cap. 8.

Ferrum.

FErreæ verò mineræ, non nisi adminiculo aquatilium rorarū flabella mouētium, vt transeant in discecabilem massam, ligonibus frustatim seu crustatim diuidūtur, ea semper seruata proportione, vt instar mediæ manus clausæ crusta ferrea, vel quadruplo maiora, ad plura centena millia quotannis fabricētur: quæ crusta ferrea pondere quingentarum librarū, vel amplius, oblongis vasis instar barilium Romanorum imposita, ad exteras nationes, vel internas prouincias maximo cum lucro exportantur. Chalybis etiā electissimi tanta copia illic est, vt & indigenis, & alienigenis ad omnem ædiliū instrumentorū, & quorumcūque armorū, thoracium, galearum ac gladiorum, & hastarum sufficiat indeficiētem vsum. Sed eò purior in grano, fortior in opere, & tractabilior in ferri mixtura redditur, quò ex ardentiori fornace extractus chalybs, tractim, non subitò suffocetur in aqua: quia si totus immittitur, ita ruptibilis, seu frāgibilis redditur, vt nullam vim in sui flexura sufferre possit. Apud Montanos Septentrionis, crustata figura fit instar geminorum digitorum, numerorumque distinctione, videlicet centenario, millenario, &c. quasi foro leuiss. venundatur.

Vas ferri continet 500. libras.

Chalybs.



De Metallicis Dæmonibus. Cap. 8.

HOc in summa colligitur, quòd in Septentrionalibus regnis magna sunt dæmonũ exercitia, ac ministeria incolis earum regionum: frequentius tamẽ in stabulis, & mineris in quibus saxa infringunt, cauant, & findunt: quæ & vrnis, seu situlis ingerunt, rotulasq; & cochleas, quibus machinæ tractoriæ sursum trahuntur, solicitè adaptant, seseque velut vmbras, dum libuerit, in quacunque forma operariis ostendunt, risusque atque inanes cachinnos, ludicraq; præstigia, & alia infinita ludibria quibus infelices decipiunt, vocali sono confingunt. Sed hæc mentita obsequia non nisi in perniciem, & nonissimè in interitum, columnas frangendo, conuertunt: vel casu petrarum, fractione scalarum, prouocatione fœtorum, suffocatione ventorum, ruptura funiculorum, opprimunt, aut conturbant, vt fractis ceruicibus decidant, aut magnitudine periculorũ Deũ blasphement, profundiorem dæmonum catenam ilicò subituri. Idque potissimum faciunt in ditioribus argẽti mineris, vbi spes eminet vberior infiniti thesauri inueniendi. Hacque ratione plurimæ mineræ ditissimæ, penitus desolatæ videntur, ac penitus in ualidatæ, maximè quòd in metallicis locis sex genera dæmonum cæteris maligniora inueniantur: quorum pauore, atque noxio insultu, multi metallici laboratores pericli tantur.

Dæmonum sex genera in fodinis.

De ful-

De fulgure montium Metallicorum. Cap. 10.

Pericula laboratorum.

MOntes minerales inhabitantes sæpissimè tonitruo, fulgure, fulmine, aut coruscatione flagrāte, mirabiles effectus in exhalationibus minerarum experiuntur, crassum videlicet ab antris vaporem, qui omnia obumbrat: grauem in superficie montium circa exitum & introitum aëris strepitum, qui arcet accedētes: & super omnia intolerabilem fœtorem, sulfureo fulminis odori admixtum: quē si quis insuerus eò accedens hauserit, ægritudinem incurret difficilimè restaurandam, oppilationem videlicet meatuum gutturis: quæ calida ceruisia immixto butyro repentè pota, dissoluitur, vt successiuè maioribus adhibitis remediis repurgetur. Cooperatione tamen fortis naturæ potius læsi homines, quam virtute medicinarum, ibidem sanantur. Contingit præterea ibidem ictu fulminū, nouas argenti venas in lateribus montium clarissimo nitore denudari: quo inde perpetuum sortitæ nomen & vsum, fortunas multiplicant possessoris. Præterea ibidem tantum sæuiunt tonitrua, ac fulmina, licet interpolatis annis, vt plura armentorum agmina, tempestuosissimo accedente aëre, per latos variosque campos occidantur.

Fodinarū halitus grauissimus.

Ceruisiæ medicamētum.

De Aurificibus. Cap. 11.

OStenso superioribus figuris, quòd maxima ac inexhausta sit copia argenri in montibus regni Sue tiæ, & quomodo reperiatur, & extrahatur ibidē, sequitur vt eius vsus vel abusus ostendatur, ne nobile metallū hoc non habētibus, & bene vti scientibus, vt habeant, relinquatur ignotū. Repetitis igitur antiqui tēporis moribus, satis mōstrari poterit, quā ingēs auri & argenti, alteriusúe pretiosi æris opulētia fuerit quādo (vt primo lib. præmissum est) tēpla idolorum, triclinia Regum & Principum, vsq; ad infantum cunabula, & equorum frenos, & phaleras, in eminentissimū ornamentum extendebantur. Sed auri minera, vt tunc abundans fuit, ita postmodum ob seuam mortalitatē, peste, gladio, fame, & tēpestatibus excitatam, rarefacta

cura eius euanuit. Solam memoriam quorũdam locorum, vnde extractum fuit, ad posteros satis inexplebiles misit, quemadmodum extremis finibus Aquilonis superiùs fuerat enarratum: attamẽ non negandum arbitror, quin auri maxima vis sit in Suetico cupro: quod emptum & exportatum, ac plerunq; à naufragio repetitum, arte igneq; expurgatum, possessoribus suis præstat insigne lucrum. Hancque artem puto Hungaricos artifices diligenter attendere, qui cuprum valde rubicundum & examinatum, atq; in tenues laminas resolutum, externorum negotiatoribus vendunt: qui demum per dominia Regis Poloniæ, vsu longarum nauium, in flumine vulgatissimo Vistula, vsq; ad emporium Gedanense Ducatus Prussiæ deportandum, eoq; loco diuidendum faciunt: reliqua domesticis aurificib. (si arte secretiori aliquid auri è cupro vel ære exprimere possint) salua relinquuntur. Quantum ad argenti vsum, nullibi communius, aut splendidius in omni hominum cõditione venundatur, quàm in Suetia & Gothia: vbi vix domus vel familia reperitur, quæ nõ semper aliquid annua industria adijcit ad partam possessionem. Quæstus etiam maximus est in magnis imaginibus Sanctorum, regni Tutelarium patronorum, quibus ciboria, siue loca auro argentóve constructa, reuerenter deputantur. Similiter & ornatu virginum in amplissimis capitum coronis, monilibus, pectoralibus, brachialibus, catenis, murenulis, annulisq;, à parentibus, paranymphis, vel amicis erogatis. Nec frustrà, prouidè enim eis potiùs argento, tota earum vita & hæredum duraturo, quàm sericeis vestibus esu vermium subitò perituris, elargiuntur. Imò illustrioribus viris adaptari solebant antiquitus argenteæ cincturæ, vulgariter Silff schena dictæ, atque rotundi argentei nodi in vestibus vndique perstringendis: imò etiam campanulæ argenteæ caudis equorum, vt sono percepto obuij caueant calcitrationem, alligantur. Præterea strepæ, frena, & pectoralia, plurimaque argentea, potiùs luxu, quàm solido apparatu, fabricantur ornamenta.

Ex cupro rubro aurũ possit elici.

Vistula fluuius.

Gedanense emporium.

Argentum apud Suecos & Gothos elegantissimum.

De argenteo ornatu virginum. Cap. 12.

Schening. descriptio. Schena torrens.

Extat apud Ostrogothos vetustissimum oppidum Scheningia dictum, eò quòd torrens certo tempore impetuosissimè alluit latera eius, Schena appellatus. Siccitate verò adeò pauculam reseruat aquã, vt vix solis inmentis & pecudibus sufficiat ad aquandis. Sed hunc defectum optimorum fontium abundantia vbique supplet, cùm ex viua scaturigine perpetuas habeant venas. Oppidum hoc, etsi vergens ad senium videtur proximum fore desolationi, tamen situ, fertilitateque sua, ac opulentia simile non habuit in tota Septentrionali plaga. Situm, inquam, saluberrimum habet, vtputa inter fertilissimos agros, & prata, ac nemora quercina, valde vtilia & opaca. Plateę huius oppidi adeò ingeniosa industria à primis fundatoribus traductæ sunt, vt quasi ex omnibus circumferentijs, qualitercunque flectantur, ad publicum forum & pretorium, veluti centrum concurrant. In hòc foro stabat

Turelãg. Roland. Adulterorum pœna.

gigantea statua, Turonis longi nomine, instat Rolandi Bremẽsis insignita: ad cuius genua publica quæstione corripiebantur malefactores, præcipuè adulteri, licet rarò reperti: qui inter brachia statuæ, connexa ferreis catenis saxa, indicibili confusione ac alijs ludibrijs, in collo eleuata tenebant, maximè in terrorem fragilioris sexus haud corrumpendi. Erant olim in hac vrbe maximo numero plebeiæ virgines, amplis argenteis, deauratisque coronis palmari altitudine, solennioribus festis incedentes: quarum etiam alius cultus & ornatus, sicuti & aliarum mulierum, totus & opulentus erat in argento, cuius copia ad omnes & singulos, etiam agricolas extendebatur & adhuc extendi creditur, vt gloria Principi detur, quòd potiùs splendidis & opulentis imperat, quàm egenis, veluti Rex Schacorum aut Latrunculorum.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De Bellicis instrumentis, ritu, causa, & cautelis præliandi.

EPITOME LIBRI SEPTIMI.

De artificibus balliſtarum & telorum. Cap. 1.

APVD Septentrionales gentes, magnus vſus reperitur in arcubus balliſtis & ſagittis: vixque datur incola terræ, qui in ſimilibus armis haud eſt prouiſus: idq; propter hoſtiles inſultus arcendos, ac noxias beſtias, vbicunque occurrerint, depellendas, vt ſunt immanes vrſi ac lupi: contra quos latæ veluti nouaculæ producuntur ſagittæ, ob pilorum denſitatem. Item ligneæ ſagittæ lato capite, pro marduris, zabellinis, ac pyrolis interimendis. Item bifurcatis, pro auibus ſylueſtribus aucupandis: alijs in aquaticis incisiuis, ob pennarum duritiem penetrãdam: alijs ad alces, ſeu onagros, gulones, vulpes, & ſimiles beſtias conficiendas. Verum de his & ſimilibus, nõ balliſtarum, ſed reflexarum arborum ſagittis, inferiùs de diuerſis animalibus venandis, plura oſtendentur.

De ſagittis & telis bellicis. Cap. 2.

QVantum ad præliorum congreſſum attinet, certum omnibus relinquitur, Gothos cęteros in fortitudine balliſtarum, ſagittarum, lancearum, & gladiorum præcellere, eò quod vix in orbe maioris rigoris fiunt balliſtæ, quàm apud eos: neque maiores gladij, qui hæreditario iure & muuere, tanquam ſupellex argento locupletior, inæſtimabili deſiderio affectantur & dantur, ac poſsidentur. Nec minor in fortibus balliſtis affectus eſt, & rotulis earum attractiuis, quib. mir. agilitate dorſo incuruato balliſtæ extenduntur: talemque vim habet eius vigore emiſſa *Balliſtæ. Gladij. Vis arcuũ.*

ferrea ſagitta, vt virum lorica, ac duplici thotace munitum, velut mollem ceram penetrare conſueuit. Ideoque earum frequentior, quàm aliorum armorum in prælíaribus populis, etiam ob alias multiplices rationes, vſus eſt, vt infrà de ferreis mœnibus annectendum erit. Talibusque ſagittis ferreis non parui duces exercitus in campis indigentes, multa earum millia ſecum diligenter ferunt: quoniam portatiles ſunt, & rarò fruſtrà proiectæ, etiam tricuſpides & veneno tinctæ, ob hoſtium rabiem & immanitatem, ſine graui vulnere emittuntur. Nec facilè venenatis vtuntur ſagittis, niſi vbi exploratum habuerint hoſtilem ferociam & crudelitatem, quòd nemini ſit parſura.

Sagittæ tricuſpid.

Sagittæ venenatæ.

De ſubita conuocatione communitatis ad arma. Cap. 3.

QVoties imminent hoſtes in littore maris, ſeu limitib. regnorum Septentrionalium, tunc ilicò iuſſu præfectorum prouincialium, accedente conſenſu & conſilio veteranorum in ſimili negotio valde peritorum, baculus tripalmaris communi eorum aſpectui, agilioris iuuenis curſu præcipiti, ad illum vel illum pagum ſeu villam, huiuſmodi edicto deferendus committitur, vt iij. iiij. vel viij. die vnus, duo, vel tres, aut viritim omnes & ſinguli ab anno triluſtri, cum armis & expenſis x. vel xx. dierum, ſub pœna combuſtionis domorum (quæ vſto baculo) vel ſuſpenſionis patroni, aut omnium (quæ fune alligato ſignatur) in tali ripa, vel campo, aut valle comparere teneantur ſubitò, cauſam vocationis, atque ordinem executionis prædicti præfecti prouincialis, quid fieri debeat audituri. Itaque nuntius ille quouis poſta, ſeu veredario celerior, peracta commiſsione lentè reuertitur ſignum afferens, omnia legaliter ſe feciſſe: continuoque momento vicatim vnus & item alius curſor, qualiter agendum ſit, præſcripto loco demonſtrat. Talique modo, qui vel habitudine corporis, vel ætatis vigore idonei ad pugnam videntur, diurnali vel octiduano ſpatio, innumera multitudo cum armis & expenſis

Suis enim ſtipendijs militant.

expensis congregatur, imò agricolæ grandæniores propter consilia, & experientiam priorum conflictuum acceptorum, in campos accedunt, sicut & fœminæ in mœnibus vrbium, vel arcium, vt eijciant saxa, vel calcineas pultes.

De custodia viarum & exploratorum. Cap. 4.

AT qui ne hostilis exercitus, quid incolæ meditentur agnoscat, loco opportuno deputatur viarum custodes, qui neminem ab ea multitudinis conuocatione descendere sinunt, imò nec nūtios hostium, quando deprehenduntur nō pacis gratia, sed explorādi causa aduenisse. Volunt enim incolæ inimicos, quāro numero congregati sunt, quibúsve hastis & armis, seu contis aut sagittis vtuntur, ignorare: quandoque enim hastæ (vulgari Italico Pichæ dictæ) duobus aut tribus pedibus longitudinē exuperant hastas, seu lanceas inimicorum, vti in eiectione Regis Danorū Christierni 2. anno Domini M. D. xxj. ductu nobilissimi Gostaui Ericson, posteà Regis, euenit: qui xx. millibus huiusmodi hastatorum montensium inhabitatorum Dalacarlorum, ad campestria loca Arosiana, sub finem Maij impetuosè hostibus congressurus descendit, & in momento victor enasit. Horror enim Christiernianæ seueritatis nō vnam familiam, aut prouinciam, sed vniuersos incolas agitabat in furorem, vt viritim exeuntes prorumperet in vltionem. Quo ordine, causáve factum est, vt idem Gostauus vbique concurrente infinita multitudine, etiam illustrium & nobilium assensu, primò proclamatus sit Princeps, & inde Rex à tribus Episcopis sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem habentibus, sit coronatus: de cuius gestis alibi diffusius ostēdetur. Nuntijs igitur, vel cursoribus, pro enuntiando congressu multitudinis ad prælium, nil vnquam celerius aut seuerius excogitari possit, quia hos neque vis niuium, neq; imber, neque æstus, neque nox distinet, quin propositū sibi cursum celertimè cōficiant: quorū primus proximo pago denunciat, & ille propinquiori, & ita deinceps, donec è territorio seu di-

Hastæ Gothorum lōgissimæ.
Anno domi. 1521.
Christiernus Danorum Rex regno pulsus.

ſtrictu, cuncti cognouerint, vbi, quandóve, & propter quid ſit congrediendum. Nec ſatis ſecurus erit præfectus, ſi titubat, aut vacillat, quid prouocatæ multitudini debeat imperare. Gratis enim pro patria militaturi, ilicò ſcire volunt, quid expediat peragendum.

De directione multitudinis conuocatæ. Cap. 5.

Præfectorũ in bello ſedulitas & prudentia. Congregatæ multitudini incolarum, mox adſunt prudentiores præfecti, qui vno tempore & agenda demonſtrant, & cohortes, turmas, ac legiones diſtribuunt, aciesque ſeruandas prædicunt, vexilla committunt, cauſas belligerandi exponunt, præmia, prædamque victoribus promittunt, hoſtium inſolentiam & damna inculcant, & quàm neceſſarium ſit patriam tueri libertatem, vniuerſis & ſingulis manifeſtãt: hacque celeri expeditione omnes audaciſsimos iniuriarum vindices reddunt, ea potiſsimum ratione, quòd domeſtico tyrocinio prius didicerant bellicos exercere congreſſus, idque pilis, ſagittis, fundis, gladijs, quibus aliquoties, vel ſæpius hoſtem interimere vel fugare conſueuerunt: quidve in bello fieri oporteat, non minus commodè ſibijpſis præſcribere, quàm ab alijs addiſcere norunt. Quo fit, vt dum in hoſtem non ſecus quàm graues, & luctuoſæ tempeſtates vno impetu deferuntur, fetociterque irruunt, vel facultatem inueniant cædendi, ſternendi, capiendi, aut omnia in hoſtilibus caſtris confundendi, prout natura loci concedit. Populoque mos eſt tumultuaria atque curſoria pugna *Pugna Gothorũ tumultuaria.* dimicare. Qui verò cæteros antecellunt in haſtis, aut ſtatario bello, ſuo ordini ſeorſum deputantur, vt ſuis ſint auxilio, ſi reſiſtentia hoſtium in ipſo impetu retruſi fuerint, vel fugati. Alij verò turmatim conglobati, aut itinera cuſtodiunt, vt hoſtem ad inſidias & iniquiora loca contrudant: aut commeatum auferunt, vel impediunt, vt diuturnitate ſufferendę pugnæ defeſſum reddant, aut ad extrema pericula voraginum, ac præcipitiorum cogant, vt rupium faucibus ipſum hoſtem incluſum facili negotio conficiant, vel captiuent. Sumeque prouident, quòd nouas recentesque pugnatorum

rum turmas bello inualescente inimicorum viribus incessanter opponant, vt in tuta munimina recipiant debilitatas.

De litteralibus prælijs. Cap. 6.

IMminente maritimo bello mira diligentia vtuntur Septentrionales populi, præsertim Gothi, Sueci, ac Finningi, in hostica classe arcenda, vel excipienda. Aut enim ex rupibus tanquam naturalibus præsidijs eminus hostem sagittis arcent à littore, aut propius accedentem saxis è sublimi proiectis elidunt, aut in fancibus portuum stylos cæcos, densásque sudes sub aquis infigunt, vt siue defensoribus aditum aduersarijs valeant prohibere. Aliquando etiam hostium opinioni timidos se demonstrãt, in extremis syluarum brachijs latitantes, vt quo loco prædandi causa hostes aduenerint, cornuum acutiore citato sono, conuocent reliquam multitudinem in abdito permauentem. Plerisque enim in locis littoralibus accessus recessusq; syluarum teneris arboribus incisis, inflexisque crebris in latitudinem ramis enatis, ac rubis sentibusque interie-ctis effecerant, vt instar muri, hæ sepes munimẽta præbeant, quæ non modò non intrari, sed ne facilè introrsus perspici possint. Intra eas syluas quasi singulis prouinciarum portubus obiectas, maxima multitudo latitat incolarum: quæ eò celerius inimicis congreditur, quò diligentius speculatorum industria fuerit excitata, præsertim dum hostes per ædium incendia, & agrorum depopulationes sæuire videntur. Eo nanque scelere nullum truculentius indigenæ reputant, nec atrocius patria seueritate compensant. *Densæ sepes pro aggeribus.*

De fundis lapidum, & igniti ferri. Cap. 7.

FLexibilibus catenis, ferreisq; iuncturis, fustibus ligneis alligatis, sæpius in castrorũ obsidione, quàm reliquis armis Aquilonares vtuntur, præsertim vbi cãpus circumiacens sit lapidosus. Vbi autem saxa non sunt, quod rarò videtur, crustatum ferrum ignitum scintil-

Ferrũ candens proijcitur fũdis

ſcintillis micans, forfice in burſam fundæ impoſitum, vehementi iactu in caſtra emittunt. Habẽt enim ſemper ad manum vaſa inſtar barilium Romanorum, plena cruſtato ferro, eoque in ignem miſſo, & fundis applicato, ac contra obſeſſos proiecto, tam vehemẽs vulnus, & cruciatum infligunt, vt rara, vel nulla medicorum ope valeant reſtaurari. Caſu etenim, ob ponderis grauitatem & tactus aduſtionem, irremediabiliter lædit: ſicque abditorum ferreorum cruſtorum terrore vel vulnere conficiunt hoſtem: cuius rei memoria recẽtior

Chriſtierni 2. exercitus ignito ferro fuſus.

eſt in Danorum Rege Chriſtierno II. qui talibus armis anno M.D.xxj. in ciuitate & caſtro Aroſienſi perdidit potentiſsimum exercitum ſuum. Similiter & ſagittis ignitis: quæ de flãmma ereptæ, atque forfice baliſtis impoſitæ, repentino iactu eò atrociora vulnera


Ignitæ ſagittæ.

indiderunt, quò minus manibus propter ardorem extrahi quiuerunt. Sed miſerabilius erat, quòd ferreæ ſagittæ, ac cruſta ignita in puluerem bombardalem cadentia, quaſi momentaneo excitato flammarum impetu, latius per circuitum plurimos aſtãtes milites interemerunt: maximè etiam, quia Montani, ferox hominũ genus, mineralibus exercitijs educatum, ſagittis, ſaxis, ferreisq́; cruſtis, quaſi imbribus per fundas emiſsis, vehementer inſtabant. Vidi ego exinde ſpatio ccl. milliarium Italicorum nauigio in regiam Sueciæ Holmiam plurimos ſic miſerabiliter ſauciatos, eodem anno terribili ſpectaculo, nempe naribus oculis, brachijs, pedibusq́; euulſis adduci: qui tandem inſanabili vulnere & cruciatu, præcipuè Germani, Dani, & Scoti miſerabili morte vitam efflarunt. Quæ ſors & mors, eiſdem militibus Germanicis, ac Danicis, præcipuè Iuthis, & Hol

Hoſtis nũquã procaciter contẽnendus.

ſatis euenit, quòd Mõtanos illos (Dalacarlos dico) deſpecto nomine, inermes rnſticos, & ad prelia indiſciplinatos, homines ſtupidos, & imbecilles reputabant, & appellabant, etiam imprecãtes, quòd è cœlo Myriades compluerent ruſticorum, quos omnes quaſi locuſtas vno momento excutere vellent, & poſſent, inanibus verbis inſultantes. Sed re ipſa compertũ eſt ilicò, verba & minas nil valere, dum appropinquarent qui verbera & mortem inferre valebãt: Viſo etenim impetu in meridie

ridie diei Pentecostes ipsorum Montanorum, seu Dalacarlorum, mille iniurijs vnà cum reliquis regnicolis ad iracundiã prouocatorum, nõ solùm non attẽtatam pugnam validissimo milite equestri & pedestri, cõtra multitudinem institutam sustinere nequiuerunt, sed turbatissimo metu in propugnacula vitam defensuri, sese velocissima fuga receperunt: in quibus, vt dictum est, sagittis ignitis, & ferro crustato interimebantur.



De veltis centurionum. cap. 8.

QVamuis tumultuaria manus, & inermis ruricolarum turba, vbique per orbem militaris disciplinæ nullam credatur habere peritiam: tamen longè seuerior ratio deprehenditur in Septentrionalibus populis, qui comportatis expensis certi temporis, & armis, alacriter ad res bellicas æquè vt ad trepudia congrediuntur. Validissimi enim sunt, præsertim Sueci & Gothi, in arcibus, fortalitijs, oppidis, ac vrbibus obsidendis, & impugnandis, idq; multiplici modo, prout hoc libro varijs capitulis inferius ostendetur. Hic tamen modus superiori figura depictus, cæteris fortè periculosior existimatur. Incolæ enim grauissima lacessiti iniuria & tyrannide, vt ea liberentur, in vnum collecti, crudelibus præfectis celeriter amouendis subitò congredi non formidant: vnde & eos superatos, atque ad arces & oppida confugere coactos, mox agminatim arcibus inclusos obsidione cingunt, coniun- *Præfectorũ tyrannidẽ non ferunt Gothi.*

 ctisq;

ctisque viribus & animis, arbusta seu sarmenta colligunt, & hæc virentibus iuniperis vbique crescentibus, cum pice, corticeq; arboris betulinæ ingenioso compendio restibus constringunt: idque adeò immani altitudine, & magnitudine instar longarum turrium efficiunt, vt vnam quanq; congeriem (quam Veltam vocant) antrorsum mouendo, circiter viri centũ voluant, aut plures, prout immensitas huiuscemodi veltarum requirit: quæ etiam velta, talem securitatem motoribus suis ob vastam spissitudinem præbet, vt nullo sagittarum, scorpionum, aut tormentorum genere in eius admotione lædi possint.

De modo & tempore adducendi veltas. Cap. 9.

VT autem expeditius animo suo vlciscendi, maturiore efficacioreque naturæ adminiculo satisfacere valeant, ex industria ventos expectant, & eligunt tempestuosos & austeriores, qui admotos & accensos veltarum fumos & flammas tectis arcium intrudant: alioque latere turmatim imminent sagittarij infestiores, qui vel obsessos in fenestris, vel scuta in manibus opposita, aut capita obsessorum, ita sagittarum ac telorum multitudine replent, vt formam induant ericiorum. Eoque finaliter vis ista progreditur, vt obsessis viribus destituti, vel flammis & fumo deuicti, horrendo spectaculo, nullis admissis conditionibus aut pactis, interimantur. Nescit enim effrenis rusticorum simplicitas alia tractare pacta, quàm sola mors amarissima prescribit obsessis, eò quòd toties vaferrimis impiorum præsidum & hostium inducijs illusam ac afflictam se meminit, vt potius eligat semel fortiter pugnando mori, quàm ad tanta ludibria ac tormenta tyrannorum diutius reseruari. Et hinc mos crudelissimus inoleuit, vt milites gregarij cum Sueticis ac Gothicis ruricolis & indigenis, publico certamine congredientes, desperatione vitæ retinendæ neminem captiuent, nec econtrà, sed sese mox interimunt furia quadã beluina, prout vbique per latissimos campos non Epitaphia, sed ipsa ossa rupibus vbique affixa demonstrant.

Populi in seditionem acti furor implacabilis.

Attamen

Attamen hæc luctuosa calamitas plures externos milites variarum nationum, eò ob vilem vitæ venditionem confluentium, dira morte consumit, qnàm ipsos indigenas, qui viribus aucti quotidie fortiores, seurioresq; aduersus quamcunq; hostilem vim exurgunt. Testatur etiam hoc peregrini milites, qui numine propitio miserias has quandoque euasere, documentum cæteris omnibus præstantes, Suetici argenti spolium, vita & sanguine ab extremis gentibus, dispari commutatione fore emercandum.

De sudibus, telis, & foueis insidiosis.
Cap. 10.

MIlites seu Septẽtrionales populi mnnitiones opponendo imminentibus inimicis, multa, quemadmodum & aliæ gentes, vtuntur arte & viribus, tempus locaq; considerantes, qnibus indubiè exigua manu circumueniant hostem, tempus scilicet hyemis, veris, æstatis, aut autumni. Hyemis itaq; tempore si pugnandum erit, quia adminiculo niuis & glaciei (vt infrà dicetnr) centum sufficiunt resistere mille. Si veris, tunc hostem eò prouocant, vt incidat in saxa: quorum copia infinita ibidem est frigore ad casum laxata, vt eques stabile vestigium non inueniat, quò tutus à lapsu, & præcipitio sit, quacunque virtute prælietur. Si æstatis tempore, tunc fossatis, sudibus, & stylis pineorum ramorum adnmbratione coopertis, aut paludinoso loco excipinnt temerarios inimicos. Si tempore autumni, ad valles locaque decliuia prouocantur ab hoste, imbribus eum infatuant & eneruant, vt ad angustos limites redigatur, donec plures congregati non adiutorio, sed miserando spectaculo, & periculo sibi inuicem fiant. Nihil enim ita eqniribus nocet, vt locus angustus & voraginosus: qui vix enitari poterit, dum strenni equites ira concepta, quocunque cernnnt ducem volitare, cum robore & impresione sequuntur. Nec fuga saluti erit, propter equitatum à tergo instantem: nec dextrorsum aut leuorsum, ob præcipitia, limosas paludes, profundas voragines, insidiosas

Septentrionalium in bellis gerẽdis prudentia.

sidiosas specus & aquas, ac saltus, pericula euitari possunt. Tuncque deprehenditur, quòd non solis ensibus, lanceis, sagittis, contis, ac pugionibus dimicare iuuat, sed locis scabrosis & iniquis, ad quę nimia pręsumptione, & improuidētia sunt illapsi. Quòd si victores euaserint, durum est eorum ferociam reprimere, sicuti & fugientium ignauiam & perfidiam reuocare: & fortè quia vndique conclamatur ad arma, tela, & diuersa compendia mortis.

Victorum ferocia, & ignauia.

De stratagemate Regis Hachonis per frondes. Cap. 11.

ATroces iniurias quàm vehementi spiritu & studio Gothi vindicare soleant, parumper præsenti capite demonstratur. Erat olim in patria Gothorum potentissimus rex Hacho nuncupatus, adeò præclaris & magnificis gestis addictus, vt cæteri proceres potiùs ea admirari, quàm imitari valerent. Tāta enim circunspectione omnibus Reipublicæ partibus satisfecit, vt quemadmodum contra hostes in bellicis rebus incomparabiliter strenuus esset, ita in ciues & amicos nullum benigni Principis officium preteriret. Hic potentiam & militiam suam diuisit in duas classes bellicas: quarum vnam fratres eius, patriæ limites, & populos defensuri, strenuè gubernant, dum ipse interim altera classe, militumque parte succinctus, arma Occidentalibus Oceani insulis inferret. In quibus constitutus, cum certis nuncijs didicisset, duos fratres suos bello nauali è Danis oppressos, tertium verò ignominioso mortis genere in suæ familiæ, & Suetici Regis contumeliam absumptum, nihil vlterius morandum ratus, totius exercitus sui robur ex Hybernia in Danos conuertere properauit: quem licet Starchaterus pugil Sueticus, & nonnulli alij causis adductis desererabant, tamen classe, residuaque militia, felicibus velis peruenit in littora Zelandiæ, rectoq; ac celerrimo cursu, per saltus, & per nemora, vsque ad regiam, in qua tunc Sigarum Regem versari intellexerat, contendit. Nec accelerationi prospera fortuna defuit: nam primam & secundam

Sigarus Dan. rex.

cundam vigilum stationem, suspenso tacitoque itinere prætervectus, cùm ad extremas syluarum latebras deuenisset, iussit abscissos arborum ramos singulorũ suorum manibus gestari. Quod cùm milites in tertia statione constituti aduerterant, mox Sigaro nunciant, se insolitam & stupendam rei nouitatem admirãtibus oculis subiecisse. Visum quippe erat nemus suis sedibus euulsum ad regiam vsque properare. Tum Sigarus animo ad insidiarum considerationem conuerso, respondit, eo syluarum accessu sibi extrema fata portendi. Moxque militem, quem inopinatus casus obtulit, contrahens, obuiam aduenienti hosti progreditur: fit atrox & pertinax pugna, Suecis suo more vindictam vehementissimè sitientibus. Cecidit eo prælio Sigarus Danorum Rex, Hacho verò victoriam in crudelitatem conuertens, nulli sexui, aut ætati pepercit, regnumque Daniæ tam seueriter opprimebat, vt illud nequaquam ad tributum ant subiectionem, sed ad extremam desolationem expugnasse videretur: nec quieuisset, donec magnam eius partem desolatam reddidisset, nisi morte patris ab eo conatu in Gothiam subitò reuocatus fuisset. Substituit tamen alterum eiusdem nominis ducem Hachonem, cognomẽto Fastuosum: quem cùm Dani post Sueonum abscessum viribus destitutum viderent, confestim ad arma reuersi, statuerunt se à Suetico iugo ereptos in pristinam libertatem vindicare: filioque Sigari Siualdo in Regem assumpto, prelium vehementiùs, quàm vnquam prius, instaurant. Fuit ea pugna adeò vehemens, & cruenta, vt prostratis antea multis millibus, tandem ambo exercituum duces Hacho & Siualdus corruerint: erantque paucissimi, qui sibi post tam miserabilem cladem, fuga consulere potuerint. Et hic fuit finis infœlicissimæ pugnæ: in qua omne regij sanguinis stemma in Dania extinctum, ad vnam fœminam Gyritham, Gothico regno oriundam peruenit.

Dani ab Hachone bello subacti.

Hacho Fastuosus.

Siualdus.

Gyritha Danorum Regin. I.

De hosti-

De hostilibus incendiarijs puniendis. Cap. 12.

Sueno Dania Rex. Meminit Saxo Danorum egregius scriptor, Suenonem Daniæ Regem tam pertinacibus armis & odijs, Sueonum Gothorumq; incolas impugnare statuisse, vt nulla pacis conditione admissa, aliquis saluus & tutus viuere permitteretur in sua vita ac libertate, etiam si Rex eorum in fœdera quæcunque decerneret, consentire. Hyberni itaque temporis beneficium nactus, expeditiora elegit itinera, rapinisq; & incendio Finniam olim, nunc Finuidiam, Meridionalem *Finuidia.* Gothorum prouinciam, prædabũdus aggreditur. Occurrunt indigenæ supplices, patriam seq; dedentes: nec sic se prostrauisse contenti, etiam commeatibus præbitis, hospitalitatis eum obsequijs prosequũtur. Propter quæ officia dum sese tutos non experirentur, fas putabant insidijs impacabilem corripere crudelitatem: vnde & illustres viros, familiaresq; eorum, cædis & rapinarum socios, maiorem noctis partem in comessationibus extrahentes, temulentiaq́ue graues, in horreum annona vacuum, pariter sobrietate exutos se recipientes, prędicti Finni igne & flamma, quibus anteà penatibus in horrendo frigore priuati erant, vnanimiter congregati interemerunt. His namque altiore somno spirantibus, Finnenses foris valuas obicibus obserantes, igni sparsere tectum: iamq; eius maior conspirauerat pars, prius quę ædes in cinerem prope collapsa fuit, quàm pressos mero sensus vis ardoris expungeret. Postremo propiore flammarum feruore correpti, dũ nudi valuas erumpere gestiũt, forinsecus eas occlusas cognoscunt. Vrgebat intus incendium, foris hostis vetabat egressum: sed præsens pœna sequẽtis metum leuabat, instantisq; mali periculum futuro tristius ducebatur. Quo euenit, vt Dani ferro, quàm flammis opprimi præoptantes, validius connisi, præiecta foribus claustra conuellerent, vtq; vnum periculorum effugerent, in aliud ruere non dubitarent.

Ad hũc ferè modũ ebrietas perdidit Troianos.

Danorum proceres.

De eodem periculo amouendo. Cap. 13.

Egregiæ indolis pueri, quos sibi in clientelam prędicti duces, & illustres viri, respectu propinquitatis acci-

tis accinerant, absq; ætatis miseratione sub Nicæ amnis glaciem nudatis corporibus Finnidorum ludibrio mersi in eodem alueo, farum & tumulum recepêre: ita paucorum agrestiũ fraude, hoc est, æqua vindicta, maximæ expeditionis labor exinanitus euanuit. Neq; eo solùm vetusto tempore id accidisse compertum est, sed quotiescunq; Gothos ac Suecos hostilibus armis spoliandos Dani impetunt, toties in ædibus cõstricti, partim ignibus, partim aquis, partim ferro, apertè vel insidiosè vt plurimum absumuntur: quòd eò faciliùs fieri creditur, quò in ligneis ædificijs vndique combustibili materia circundatis, crapula fatigati profundè dormitant, stulrè existimãtes, inter eos homines se fore securos, quibus omnẽ violentiã & crudelitatem infligunt: eoq; celeriores ac horribiliores pœnas subeũt, quo sæua tyrannide petulantius, in ædes ac fortunas incolarũ sunt grassati. Priuati enim domibus, in asperrima hyeme, vxores & paruulos syluarum latebris abscondunt, vnoque impetu ac furore & desperatione ducti, ballistisq; & telis armati, rapaces incẽdiarios per viatũ insidias quæsitos, occidũt, vt vita amissa bona ablata reassumantur à possessoribus iustis. Quo fit, vt vel atrocissimo periculo dispereãt, vel expeditiore (sed fœdiore) fuga, impetu ruticolarũ elabantur, quippe spolijs inter hostes relictis, sese spectaculũ & ludibrium non modò externis, sed domesticis, nudi spoliatiq;, & plerunq; saucij domũ ægrè reuertentes, ostendunt. Srultè igitur bellũ in hyeme cõtra colonos accipitur, quando iussu dominorũ, simili exorto inimicorũ casu includẽdorum, domos repagulatas cõburere non formidant, quia abundãtia propinquarũ syluarũ, nouas ædes mutuo adiurorio erigere possunr. Domus autẽ nunquam in latere, sed in culmine tecti fenestras habenr, ideò foribus obseratis, facilimè somno sepulti comburũtur.

Hosti nunquam credendum.

De custodia riparum tempore hostili circa lacum Meler, in superiori Suetia. Cap. 14.

EST pretereà in superiori Suetia lacus insignis Meler appellarus: de quo supra lib. 3. dicta fuerãt plurima admiranda, præcipuè quòd inter Septentrionales

Meler lacus.

aquas



aquas fit piscosissimus, atque plures illustrium, ac nobilium hominum habeat arces & palatia, pro more gentis satis ornata: prætereà aliquot insignes Ecclesias Cathedrales Arosiensem, & Strengenensem: vbi vetusto tempore superstitiosus cultus viguit idolorum: maximumque certamen herôum, pugilum, ac gygantum, prout cernere licebit in immanibus saxis à campis & montibus in parietes Ecclesiarum translatis: in quibus literarum Gothicarum longo atque obliquo ordine, leguntur gesta dictorum gygantum. In sinu etiam huius lacus scopuli sunt inaccessibiles, ab incolis vocati Gallinarum pulli. Rupes enim media est Gallinæ nomen habens, quemadmodum apud Norvegianos scopuli reperiuntur Ouorum, id est, Eggiafiord appellati. Prætereà è mari in Gothiam & Suetiam nauigantibus certi sinus maris, & promontoria obijciuntur, quæ mensarum, scamnorum, coruorum, porcorum, falconum, & præliorum nominibus nuncupantur: in quibus, ingruentibus inimicis, inter media saxa cum scaphis insultorijs se abscondunt: imò apertè conseruant incolæ, vt hostés intercipiant præsumptuosè adnauigantes: quique, si littus solidum hostes ingressi fuerint, armatam multitudinem vbiq; in littoribus, pro patriæ defensione animosè inueniunt congregatam, quemadmodum specialiter in sequentibus libris ostendetur.

Scopuli cauendi.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de ſtatu Regentium & officiorum ac exercitio militari.

Epitome Libri octaui.

PRAEFATIO.

DEclaratis primæui temporis Gothorum Sueonumque potentiſsimis Regibus, per chariſsimum fratrem & anteceſſorem meum Ioãnem Magnum Gothum Archiepiſcopum Vpſalenſem, in hiſtoriis ſuis nuper hic Romę impreſſis, ſuccinctior via relicta videtur, qua declarari congruit, quomodo, qualeſúe conſtitui ſolent Reges in Septentrionalibus regnis, vbi poſt deſcenſum Noæ ac filiorum eius ab arca, prius quàm in reliqua parte totius orbis, iidem filij & nomẽ & gubernium, patris inſtitutione creduntur habuiſſe, atque demum inde totum mundum ampliaſſe, prout poſteà multis atteſtantibus grauiſsimis authoribus compertum eſt, ab eadem Septentrionali plaga plus quàm triginta quatuor Reges exiiſſe, & potentiſsima regna latè per orbem inſtituiſſe, quemadmodum anno Milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono, in charta mea Gothica Venetiis impreſſa, lucidius declaratur: quorũ geſta quàm ardua, ac magnifica ſint, ipſe idem frater meus antedictus in hiſtoriis ſuis fidelisſimè ſcriptis atteſtatur. Quibus ſic demonſtratis, oſtendendus inſuper erit modus, quomodo Regia electio, vel ſtirpium ſucceſsio, ac exercitia militaria, à vetuſtiſſimo tempore regentium, & officiorum fuerant obſeruata.

Noæ & filiorum eius ab arca deſcenſus.

Regna 34. ab aquilonaribus.

Charta Got. Venet. impreſ.

I. *De ele-*



De electione Regis. Cap.1.

GLoriosa maiorũ cõstitutio nomine municipalii, successiuis seculis & generationibus tradita, in sui exordio præcipit, vt incolæ Regem electuri in Suetia, senatores ac proceres, nuntiiq; omnium prouinciarum, cõmunitatum, ciuitatumq; regni prædicti cõuenire teneantur in Archiepiscopali ciuitate Vpsalensi: vnde non procul est lapis campestris amplus, ab incolis perpetuo tempore Morasten appellatus, in circuitu 12. continens lapides paulò minori forma humi firmatos: in quo loco prædicti senatores, seu regni cõsiliarij, ac nuncij cõfluere solent. Ibidem ex senatu præcipuus oratione circumspecta proponit, quàm necessarium sit pro regni, omniumque incolarum libertate, in vnum Regem, ac principem consentire, prout à maioribus supra talem lapidem, qui firmitatem signat, prouidentius fuerat obseruatum: omnes exhortans, vt libero, quem velint, voto quantocius ex nomine prosequantur. Nec mora prolixa interuenit. Qui bonum publicũ, regniq; gloriam, pacem & concordiam semper tueri visus est: qui priuato regimine nullum læserat: qui victor in bellis frequentior fuerat: qui totius populi iustè viuendo fauores sortitus est: qui legis & religionis amãtior est: is omnium nuntiorum prouincialium vnanimi cõsensu Rex appellandus eleuatur: eo tamen respectu, vt si filius Regis, frater, aut consanguineus, prædictas virtutes habuerit, non hæreditatis, sed electionis iure cæteris

Morasten.

Lapidis symbolum.

teris omnibus anteferatur. Sed nec negari videtur, quin tales omni diligẽtia, cura, authoritate, gratia, precibus, pollicitationibus sibi procurẽt populares fauores. Nõnulli comminatione externorum Principum, pariter & armato auxilio violẽter sibi Regium titulum ascribi festinant. Sed nulli infeliciores illis, quia violentum eorum imperium, populi contradicente voto, non erit diuturnum, etiam si inter munitissimas arces, vel sydera posuerit solium suum. Vtcunq; euenerit, ille semper securius intrat, durat & exit, qui voce populi satis prouidi, vocatur ad regnum, quasi animo, virtuteque, siue inter suos, siue inter hostes clarissimus ac strenuissimus reputatus: quia nihil prius, aut antiquius illi videtur agẽdum, quàm prospicere proceribus, ac populis suis, vt iustum imperium, firmum præsidium, & perpetuam pacem habeant. Et cùm hæc fecerit, populus non tolerat aliquem alium sibi Regios honores vendicare.

De adoptione Illustrium per arma. Cap. 2.

QVia morem vetustissimorum Principum Gothiæ adhuc sua ætate in filij adoptione seruare nõ desijt potentissimus Rex Gothorum Theodericus, idcirco epistolam eius lib. 4. Regi Herulorum trãsmissam, volui hîc inferre. Per arma, inquit, fieri posse filium, grande inter gentes constat esse præconium: quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur. Ignaui autem esse nesciunt, quos iudicia pepererunt. Hi enim gratiã non de natura, sed de solis meritis consequuntur, quando vinculo animi obligantur extranei. Et tanta in hoc actu vis est, vt prius se velint mori, quàm aliquid asperum patribus videatur infligi. Et ideo more gentium, & conditione virili, filium te præsenti munere procreamus, vt competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris. Damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum: sed quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra iudicia. Summus enim inter gentes esse crederis, qui Theoderici sententia comprobaris. Sume itaque arma mihi, tibiq́ue profutura. Adoptat te talis, de cuius gente tu potius formideris. Nos arma tibi dedimus, gentes

Theodoricus Rex Gothorum.

autem olim in virtutum pignora præstiterunt. Salutates proinde gratia competenti, reliqua per illum, atq; illum legatos nostros patrio sermone mandamus, qui vobis literas nostras euidenter exponant, & ad confirmandam gratiam, quæ sunt dicenda, subiungant.

De eadem adoptionis forma. Cap. 3.

ERat præterea tam rigida apud veteres Gothorum Reges obseruatio in armorum experientia, vt eorum legitimi filij cum patre, in publica aut priuata mẽsa cibum nõ sumerent, antequàm armis idonei ab externis Principibus declararentur: quod & Pau. Diaco. lib. primo cap. 23. attestatur. Dum enim Longobardi peracta victoria ad sedes proprias remeassent, Regi suo Oduin suggesserunt, vt eius filio Albuin conuiuia fierent, cuius virtute in prælio, Regis Gepidarum occiso filio, victoriam cepissent, vt qui patri in periculo, ita & in conuiuio comes esset. Quibus Oduin respondit: se hoc facere minimè posse, ne ritum gentis infringeret. Scitis, inquit, non esse apud nos consuetudinem, vt Regis cum patre filius prandeat, nisi prius à Rege gentis exteræ arma suscipiat. His Albuin à patre auditis, quadringentis iuuenibus sumptis, Turismundum Gepidarum Regem, cuius filium aliàs in bello occiderat, insignia armorum petiturus accessit: quem Rex benignè suscipiens, instituto conuiuio ad dexteram collocauit, vbi sedere consueuerat filius eius aliàs interemptus: quod tamen pater reuoluens, alta suspiria traxit, grauem existimmans filij mutationem. Ob quam cũ Regis alter filius, & aulici, telis eductis vindicare contenderet, Rex eosdem sub dira interminatione cõpescuit, asserens eam victoriam esse impiam, cùm quis hospitem in domo propria occiderit: vnde & singulos in læta conuiuia redire decreuit: sumensq; arma filij sui interẽpti, ea Albuin tradidit, atq; cũ pace & incolumitate ad patris regnũ remisit. Dehinc patris cõuiua factus omnia ordine narrauit, insignemque laudem pro tanta audacia meruit: sed multò maiorem Turismundus, pro constãtissima fide in hospitem efferatissimum obseruata.

Pau. Diac.

Oduin Longob. Rex. Albuin eius filius.

Turismundus Gepidar. Rex hospitalis.

Hospitalis Regis fides & clementia.

uata. Est etiam recepta hominum opinio, velut sanctio militarium virorum, vt Rex militem equestris ordinis, id est. Equiriatus dignitatis, creare possit, qui ante suã coronationem in eo ordine assumptus nõ fuisset: quia sub autoritate Regij culminis hoc includitur, velut ser tum ex rosis super aureum diadema.

De militari educatione Illustrium, ac nobilium puerorum. Cap.4.

ERat apud veteres Gothos non postrema cura, de rigida educatione puerorũ: quos militaribus exercitiis & bellis communi lege satagebant, vt tales omni casu patria haberet defensores, quales olim in vetusto seculo maiorum instituissent imitatores. Isq; modus in primis seruabatur, qui & præsenti tempore durat. Olim pueri recenter cunas egressi, virgas & mammas experiebantur: primũ in balneis calidissimis grauiter ad sanguinis effusionem cædebantur, deinde in algidissimam aquam ferè ad periculum mortis detrudebantur, vnde compactiora membra referret, quo ipsi pueros suos ad tolerandos æstus atque algores obdurabant: etiam pueri ad aram sic verberibus afficiebantur, vt multus è visceribus sanguis exiret, nõnunquàm etiam ad suspicionem necis: quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem, vt iam vitæ seueritatem, ab infantiæ cunabulis & cum lacte materno imbiberent. Siquidem nouiter etiam natos pueros ad flammam primùm deferebant, sæpoque gelu durabãt, & vndis: deinde adolescẽtiores facti grauissimas plagas in corpus & vultum excipientes, eo silentio ferunt, vt ne oculorum motu, aut metu impatientiam testari audeãt. Plumarum mollitiem vitant. Durum tegmen illis amictui est. Cibus, potusque fortis. Tabulatis plusquàm plumatis lectis incumbunt, & similibus asperrimis rebus, vt membra induant solidiora, & ad omnes aduersos casus aptiora. Quia vero Rex Hungariæ Ludouicus delicatissimè nutritus erat, plurimum arguere solebat promos suos, ne fortè è bello fugiens, dape rustica qualicunque sorte quæsita, vitam redimere posset, prout posteà probauit euentus.

Rex Hungariæ Ludouicus.

De ratione & modo equitandi. Cap. 5.

Illustrium tyronum progymnasmata. DEinde equitandi, iaculandi, sagittandiq́ue studio diligenti venetatione apud Principes habẽda, iuuenes attentè instruuntur, atque inter alia capiti eorũ imponitur grauis galea, atque longus in manu contus vt non tam robustè, quàm decenter erecta semper ceruice morem equitandi discant, & conseruent. Preterea clypeus dorso appenditur, vt sciant retrospiciendo occurrentes insidias attentius præcauere: etiam quia vetustissimus Gothicæ nobilitatis mos est, talibus insignijs, videlicet galea, lancea, & clypeo, publicos principum conuentus accedere, atque armis huiusmodi patriæ libertatem & iustitiam defensare. *Quonam ritu eundum sit ad comitia principum.* Præterea ne militaris experientia aliarum gentium ignoretur, mittuntur huiusmodi adolescentes in longinquas principum curias, vt addiscant mores, linguam, discrimina, personarum, ingenia regionum, pugnarum, acierumq́ue ordinem, ne rudes ad gubernacula surgant. Aliquibus tamen non prius contingit in patriam redire, quàm regnare. Erat etiam mos veterum principum, mutuò filiorum capillos suscipere, vt cæsariem incidentes, patres efficerentur, talesq́ue remittere Regiis muneribus decoratos. Gothi tamen non tondent capillos, sed strictas galeas, seu cassides, ac loricas alligant, equos fortiores ascendere præcipientes, hyeme verò horrenda, venationes insequi, alternoq́ue rempore sub algidissimo frigore armatos simulare stationem, quasi vitæ periculum in aliqua hostili obsidione auersuros: quod hyeme frequentius, quàm æstate fieri solet.

De electione tyronum ad arma. Cap. 6.

HIc ostendetur, quo ritu Reges Gothorum, Suecorum, ac Noruegianorum, aliiq; Principes Septentrionis, Regia, atq; prouincialia officia antiquitus instituebant, modernoq́ue tempore partiuntur. Illos itaq; tyrones militaribus armis cæteris omnibus clariores existimabant, qui in ipso pueritiæ flore maturis moribus lubricam frenatunt ætatem: qua nihil est sceleratius malis habitibus relaxata. Nec enim Principi fidelis,

lis, nec patriæ vtilis, nec sociis portabilis, nec cuiquam gracilis esse putatur, nisi militari seueritate ad strenuos mores reducta fuerit, vt eo casu fortissimi patriæ propugnatores institui possint, quibus dirigendæ prouinciæ securius committantur. Verùm ne continuo rigore, huiusmodi iuuenes militaribus disciplinis constringantur, Regia liberalitas eosdem semper erigit, & exaltat ac specialibus donis, quibus firmioribus obsequiis Regiæ fidei sese constringāt, adaptat, quasi intrepidos in quouis certamine, & vitæ periculum subituros. Dona igitur, gladij, ballistæ, pharetræ, galeæ, thoraces, loricæ, vmbones, frameæ, & equi militares, ac grādiores, atque annexa feuda: quibus omnibus veteri ritu speciales verborum formæ ac rationes sigillatim cur dantur, accipiunturúe, sunt annexæ.

Tyronum præmia, quibus ad virtutem extimulantur.

De eodem per ritum externum. Cap. 7.

GOthis ætatem legitimam virtus facit, vt qui valēt hostem confodere, ab omni iam vitio astringitur se vendicare. Quod & Paulus Diacon. lib. 1. testatur de Longobardis: qui, vt bellatorum possent ampliare numerum, plures à seruili iugo ereptos, ad libertatis statum perducunt, vtque rata possit haberi eorum ingenuitas, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus ob rei firmitatem, quædam patria verba: quæ tantū sonant, Dij te hac sagitta nobilitent, conficiantque, vbi patriæ, ac Principi fueris infidelis. Nec prætereundum est Saxonis testimonium libro 2. quod olim ingressuri curiam proceres, famulatus sui principia alicuius magnæ rei voto Principibus obligare solebant, virtute tyrocinium auspicantes. Attamen fidei integritatem in externis Regiis aulis Gothiæ, & Sueciæ, nunquam meriti sunt, nisi strictum gladium, vel pugionem, per cuspidem, Principis manu & munere, fidelitatis iuramento præstito, suscepissent, ne capulo sumpto ipsum gladium retorqueant in viscera porrigentis: prout dudum accidisse compertum est, dum vindicem sustinere passus est, qui capulum pro cuspide, variata veterum consuetudine, ingrato

concessit. Vexilliferos autem, seu primipilos viros, virtute ac nobilitate claros, & singulari fortitudine præditos, solius signi exhibitione constituunt, quòd militari lege sese agnoscunt æquè ac honore & vitam defensuros: quibus & applicant audacissimos custodes, bipennes acutas habentes, ac ferreos globos ad cingulum pendentes: quibus dum opus fuerit, cominus homimmentem iactu prosternant, vbi gladiis bis acutis nequeat superari.

De ritu veteris militiæ Gothorum. Cap.8.

HAbebant olim cassides graues, nõ satis polita manu iuxta rudem illam ætatẽ fabricatas, prætereà thoraces spissos partim ferreos, partim coriaceos, partim filtrinos, lino lanaque consutos: simili modo brachialia ferrea, & manuũ chirothecas. Ferebant & densas hastas, ac longas, prout Procopius his verbis libro secundo meminit: Primos nanque omnium Gothos cum densis ac longis hastis venientes, Persæ non sustinentes, in fugam se verterunt. Vtuntur & cataphracti contis longis. Equorum itidem pectoribus æreos thoraces circundant, circa frena & pharetras aurum adhibent, ferro, atque argento nil prorsus vtentes: quorum in regione, cùm immensa sit auri atque æris copia, ferri tamen atque argẽti nihil est. In patria autem eorum originali, videlicet Gothia, aurò tanquam digniori metallo, pro reuerentia suorum numinum in ornatu supremi templi (vti libro primo dictũ est) indicibili magnificentia olim vtebantur. Hodie etiam constituta lege cautum est, vt campanulæ æreæ, vel argenteæ alligentur, detruncatis calcitrosorum equorum caudis, vt imbelle genus hominum sono percepto periculum euitet. Quibus verò argenti cultura maior, baltheos latos (Silff schena dictos) tam pro ornatu, quàm munimine in medio dorsi erectos habent, necnon & alia insignia, quibus colitur aulicum decus.

Procopius.

In Gothia ferri & argenti nihil, auri autem & æris plurimum.

Campanulæ appẽdun tur equis calcitrosis, & caudæ abradũtur.

De reliquis antiquitatibus equestrium. Cap.9.

Veterum calcaria.

VTebatur & illa vetusta ætas inusitata magnitudine in calcaribus oblongis, atque radiorum amplitudine

tudine latis. Præterea ocreis satis inepta reflexura in recurnanda anterioriori parte, nullo prorsus subsistẽte commodo fabricatis, prout in pueritia mea ante sexaginta annos vidi: iamq; pro spectaculo in arcibus quorundam nobilium reseruantur. Præterea vestes, seu tunicellę militares, adeò breues, & complicatę erãt, quòd vix clunes tegerent inferius, ac ita cancellatæ & diuisæ superius, vt nec scapulas cooperirent, neque frigoris iniuriam defluentes pili excluderent, præsertim in stipendariis militibus, quibus prolixior coma non concedebatur, sed solis Principibus, maximè filiis Regum: qui à pueritia intonsi manebant, vt à tergo iis defluerẽt crines, qui vtrinq; à fronte discriminati pendebant, nõ tamẽ more Turcarum impexi, squalidi atq; sordidi, vel aliàs calamistrati, sed pretiosis vnguentis superinfusi.

Ocreæ.

Tunicæ.

Milites tondebantur olim, sed Reges, & Regum filij comam de fluẽtem ale bãt vnguẽtis delibutam.

De militaribus exercitiis, & disciplinis.
Cap. 10.

MOs erat antiquitus constanter obseruatus, qui & in hodiernum diem apud Aquilonares obseruatur, vt equites integris armis induti, de plana terra, atque quocunque loco natura iniquo, equos ascenderẽt altos, & ephippiatos, presertim in lubrica glacie, atque niualibus cãpis, vbi frequẽtiora atq; acriora bella fieri solent, prout inferius de hyemali certamine ostendetur, maximè propter grauem armaturã, hastásque densas, quibus communiter in hostes vtuntur: quod absur dum apud eos minimè æstimatur. Preterea alia Gothorum disciplina militaris est, quòd in præcipiti equorũ cursu sese totaliter armatos ab vno in alterũ, & deinceps in tertium equum vrgentibus prælijs, terram non tangendo, transferre solent, etiam quòd ex equo se supinent, eleuent, vel inclinent, sursum deorsumq; se moueant, pilam vel hastam variando.

Desultores.

De armis & cautelis equestrium. Cap. 11.

INgressuri Septentrionales equestre certamen grauibus lanceis, & densis, earũ cuspides exornant caudis

Caudæ vulpinæ contis alligantur. Græci & Persæ hastas vexillatas gestant.

vulpium, aut lnporum, in despectum quorũcunq; inimicorum. Nunquam etiam vexillatis hastis more Persarum, aut Græcorum vtuntur. Ballistis tamen, seu arcubus chalybeis, atque corneis, ob maximum ictum, et vehementiam eius robore concitandam, vtuntur: sunt etenim fidelissimè fabricati, prout omnimodæ sagittę eis coniunctæ. Demum gladiis tam longis, quàm strictis, & incuruatis: quibus, perfractis lanceis, punctim, vel cesim vtuntur. Similiter & latis ensibus, vtraq; manu versatilibus. Item malleis ferreis vnco incuruatis, quibus districtius galeas penetraut, & infringunt, quã quouis alio præliari instrumento: imò huiusmodi malleis aut equitem à iumento extrahunt, aut ipsum equũ excerebrant, vt sessorem exturbent. Item cominus pugnando, multo ac vario genere vtuntur pugionum, & telorum, stricto videlicet, & lato, bicipiti, curuato, ac hamato. Tegmina equorum chalybea sunt, aut ferrei thoraces, vel coriacei, calce viua macerati, & ferreis filis ob gladiorum sectiones præmuniti. Eoque modo instructi, acies plures à seinuicem paululum, si opus sit, distantes, prouidentius instaurant, vt vna alteri hoste ingruente mox aduolatura succurrat: summeq; nituntur, vt hostem, instar turbinis, circulo includãt, ne eius astutia, aut longis stratagematibus ipsimet inuoluantur: vtque id opportunius faciant, certis signis speculatorum, tibicinumque diriguntur.

De tyrannica seueritate, & exactione præfectorum. Cap. 12.

IN Septentrionalibus reguis vti multæ & potentes sunt prouinciæ, ita & in illis dirigendis diuersæ sortis & linguarum profecti à principibus constituuntur, tãquam radij à sole emissi, vt in toto terrarum circuitu æquitas & iustitia custodiatur, securitasq; permaneat omnibus populis inuiolata. Verũ ne diuturna permaneat hæc felicitas regiminis æquitate parta, malignorum hominum cousiliis alibi per regnum tales constituuntur præfecti, qui auaritia & malitia obcæcati, innocentes torquent, sceleratos exaltãt, iura omnia peruer-

uertunt, totum regnum in ruinam, seipsos in calamitatem, & Regem in ludibrium, infamiam, miseriam, & exilium breui momento transmittune. Verùm ne res hæc careat documento, inter cæteros sanguinarios & auaros præfectos, quos Ericus Rex Suetiæ ex ducibus Pomeraniæ ortus, &c. euiscerandæ Suetiæ præfecerat, erat quidam Danus Iusse Ericson: is super Dalacarlorum regionem constitutus, tam crudelem se omnibus exhibuit, vt putarentur omnes omnium malignorum tyrannorum spiritus, qui vnquã anteà fuerant, in hunc perditissimum nebulonem confluxisse. Narrat Cicero crudelem Verrem fumo ex putridis lignis educto, vnũ hominem innoxium perdidisse: at hic Iusse eiusdẽ malignitatis spiritu obsessus, non vnum innocentem, sed ex Dalacarliæ incolis sine numero innocentissimos fumo suspensos (licet viribus sese rebellando liberare poterant) occidit. Quo pacto ne non satis ingeniosus carnifex in exquirendis nouis tormentorum generibus videretur, vxores maritorum tam crudeliter occisorum, in locum iumentorum trahendis aratris applicari non erubuit, imò inter primas delicias duxit, videre & audire eas inter tantas angustias fœtus ex se mortuos abiicere, & rursus aratro apponi, donec mortuę aut semianimes collaberentur. Possent hic horribiliora eiusdem Danicæ tyrannidis facinora adduci, quę tunc non solum per illum, sed per omnes Regios præfectos committebantur: at satis est dixisse eos his artibus vltima fata in se, & exilium in Regem suum impiissimũ procurasse. Rusticorum nanq; furore crudeliter occisi sunt quando audaciores erant ad prædandum, quàm præliãdum. Rex verò Ericus Pomeranus à Danis, quorum consiliis in suam, multorumque ruinã vsus fuerat, derelictus, vrgente viro potenti Engilberto, centum millibus incolarum ad arma prouocatis stipato, ad paruam Gotlandię insulam velut profugus in miserabili senecta se recepit.

Iusse Eric. Dan. exactor crudelißimus.

Ericus Pomeranus.

Adhuc de eisdem pessimis præfectis. Cap. 13.

ETsi superiore cap. visa est tota regio purgata tyrãnide crudeliũ præfectorũ, tamen damnabiles reliquiæ, simili astutia & arte, in eorũ complicibus, et alumnis

calumnis, velut toxico perseuerarunt: qui quanto mētitis obsequiis magis fidem principibus ostentare poterant, tanto putabāt se regiis secretis & officiis, præ cæteris omnibus fieri superiores. Nec opinione falleban tur. Dum enim primum supplices ac humiles in municipalibus scientiis expertos sese Regibus exhiberēt, ma ximè in exactione tributorum & mulctarum, mox ad præfecturas sine vlterioribus meritis super simplicem populum erigebantur: taliumque præfectorum tyrannide cooperante, potentissimus Gothorum, Suecorū, ac Noruegianorum Rex Carolus, prædicti Regis Erici successor, coactus est fidelissimæ gētis suæ sustinere rebellionem, ac tandem exilium sufferre. Cum enim Rex ipse ob immania suorum præfectorū scelera, atq; sacrilegia, obsidione grauissima in sua regia incolarū potentia clauderetur, frustraq; à suis præfectis, qui liberius per regnum vagabantur, expectaret auxilium, hærebat quid in tanta perplexitate pro remedio conducere tutiore, misitque denuo secretos nuncios antedictis præfectis, qui mandans ob eorum honorem & fidē, ac præstitum iuramentum, vt eius calamitati subuenirēt. Sed frustra: nihil enim aliud didicerant, quàm superbè dominari supplicibus, pecuniam extorquere ab incolis, iniurias irrogare miseris, supplicio afficere innoxios. Tum rex in arcta necessitate positus, tutissimum præsidium in fuga prouidens, naues aliquot in horrendissimo frigore mensis Ianuarij celerrimè diuitiis ingentibus impositis, adaptari iussit. Cumq; iam anchoræ leuandæ restarēt, quidam ex præfectis regem interrogat, an aliquid in terra neglexisset: quo audito Rex suspirans, respōdit: Neglexi sanè ante plures annos te, & tui similes in furcam suspendere: quod tunc si fecissem, nunc quietius in tranquilla Republica remanerē. Moxque erectis velis in Gedanum Prussiæ celeberrimum emporium, magis grata, quàm iucunda nauigatione peruenit, à Casimiro Rege Poloniæ humanissimè exceptus, donec 7. annis euolutis, in pristinam dignitatem & potentiā reciperetur, factus omnibus charissimus, qui anteà publico odio laborabat. Præfectos nanque instituit, qui virtutes vitiis, iustitiam iniuriis, hone-

Caro. Rex exulauit ob præfectorū suorum tyrannidem.

Salse retortum.

Casimirus Rex Polon.

honestatem vtili præferebant. Quid verò Rex Daniæ Christiernus eius nominis secundus, in Regnis Aquilonaribus, ob sæuitiam crudelium præfectorum passus fit, nemo qui acta eius legit, ignorat. Inter cæteros autem quendam impium sanguinarium præfectum habuit, Nicolaum Holste appellatum: cuius vnica voluptas erat, Regem seuerum præcedendo, eleuare excelsas furcas, quibus infelices regnicolas immani morte afficeret, nisi certo auri argentique pondere quanto ocius redimerent vitam: afferens longos fures altas decere cruces. Nec defuit præconi iustum fatum. Regia nanque sententia, quòd à multis innocentibus pecuniam extorsisset, cōdemnatus, & in eadem furca, quam aliis parari iusserat, ipse suspēsus fuit: licet nihil magis securitatis à furibundo populo Regi partum est, quin fugeret omni momento. De hoc autē Christierno Rege, & gestis eius, nonnihil oculata fide inferius scribā, quia præsens horrenda vidi. *Christiern. 2. Rex. Daniæ. Nicolaus Holste.*

De causis perpetuæ discordiæ, quam Sueci siue Suecones, & Gothi contra Danos gerunt.
Cap. 14.

SVeci ac Gothi, cur tam ferocibus animis & armis contra Danos ferātur, ipse Danorū diligentissimus historicus in sedecim libris suis hinc inde vsque ad summum horrorem apertissimam reddit rationem. Vbique enim meminit gentis suæ tam violentum & truculentum regimen in subditos, ac dolosam amicitiam in vicinos, & vtrunque in omnes confœderatos, vt quilibet prudens, & sensatus homo meritò cauere debeat, quàm tutus in eorū societate, aut naturali vinculo, vel alia iurata confœderatione fieri possit. Asserit nanque primo Libro, Lotherum Regem illustrissimum quenque vita, aut opibus spoliare, patriamq; bonis ciuibus vacuefacere, probitatis loco duxisse. In 2. Lib. quòd Helgo Rex adeo proiectus in Venerem extitit, vt ambiguæ existimationis esset, tyrannide magis, an libidine arserit: vnde & Thoram virginem stuprum *Saxo Da. Histor. Loth. Rex Da. tyran. Helgo Rex libidinosus.*

Fengo incestus & parricida. trum pati coëgit, quę postea tam detestabile nefas excogitauit, vt contra eam mirè exclamet Saxo. Tertio lib. Fengonem testatur insidiis positis fratrem trucidasse, eiusque vxore abusum, incestuosam libidinem parricidio adiecisse. Quam atrocitatem quanta beneuolentiæ simulatione texerit, parricidiumque pietatis nomine colorarit, satis exponit ipse Saxo. Fœminam enim à se oppressam, omni mansuetudine plenam, nullum lædentem, & sine felle fœminam, ad hoc induxit, vt confiteretur suum maritum Regi insidiantem, à se interfectum fuisse. Nec irrita persuasio fuit, dum apud Principes fides mendacio non deest, vbi scurris interdum gratia redditur, & obtrectatoribus honos. Libro quarto fol. vltimo, Saxo testatur, Danos suos, mentiri & fallere, inter vitia & sordes non ducere, quemadmodum mos est apud Parthos. Libro 5. fol. 2. quàm fœdi mores ac turpissimæ petulantiæ simul & violentiæ aulicis inesse monstrantur, sanè totus orbis, & vniuersa barbaries horret. Libro 6. in Saxones, post eorum pugilis cædem, adeò Danorum insoleuit imperiū, vt pro cubitalium membrorum quolibet, indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerentur, donec quidam Suertingus ciuium afflictione motus, se & Regem, cōuiuij simulatione susceptum, incendio consumpsit. Libro 7. in principio Frotho proprium fratrem à quodā familiarium, occultè interfici iubet. Et ne scelus à conscio proderetur, eundem insidiarum ministrum tacitè trucidandum curat. Sed à filijs occisi fratris canum specie nutritis, tandem incendio consumptus, pœnas parricidij luit.

Suerting.

Frotho. fatricida.

De eisdem causis. Cap. 15.

Saxo hist. Iarmericus Dan. Rex horrendæ crudelitatis tyran. INter alia satis diffusè Saxo prosequitur, portentosam Iarmerici Regis crudelitatem, à pueritia vsq; in prouectam ætatem truculenter continuatam: quæ sicut omnem beluinam rabiem excedit, ita & à quouis sensato homine sine graui horrore legi nequit, vel audiri. Inaudita enim tyrannide exquisitissimis tormentis sæpe afflictos trucidauit. Regem nanque & Reginā eorum

eorum, à quibus iure belli captus, & summæ libertati restitutus, atque in numerum amicorum, & primum familiaritatis locum translatus & sublimatus extitit, admoto furtim incēdio, per summam ingratitudinem occidit: deinde 40. Teutones captos, applicatis totidē lupis, laqueo adegit. Nec sic poterat eius sanguinaria mens satiari. Quippe optimates eorum primò tibias loris traiectos, moxque immanium taurorum vngulis alligatos, molossisq; incessentibus raptim in cœnum, voraginesque pertractos, lachrymabili spectaculo con sumpsit. Demum Comites, duces, Principes Teutonicæ gentis captos, traiectis fune tibiis, equis in diuersa raptantibus præbuit lacerandos. Sed nec in ea summa feritate sibi resistendum putauit. Nam propriā Reginā Hunnorum Regis filiam, quanuis innocentissimam, & pudicissimam, humo alligatam, equinis obterēdam calcibus præbuit: cuius corpus adactus iumentorum grex crebris vestigiis confodit, & lacerauit. Imò etiam suis ex sorore nepotibus insidiosè comprehēsis, laqueo spiritum eripuit. Optimates quoque, qui eorum tutores erant conuiuij simulatione contractos, eodem exemplo consumēdos curauit. Deinde eodē lib. Haquonis cuiusdam Dani crudelitas adeò infanda conspicitur, vt meritò cunctos mortales terreat, ne pactis aut vi ctoriis eius gentis se tutos agnoscant. 9. Lib. in princ. idem autor notat publicam pietatē priuato furore Regis fuisse laceratam, & post multa, Regem Haraldum ex splendido sanctitatis autore, infamem factum apostatam, & desertorē. Lib. 10. quòd Dani Sembia potiti, necatis maribus, fœminas sibi nubere coëgerunt, rescissaque domesticorum matrimoniorum fide, externis auidius inhærentes, suam cum hoste fortunā, communi nuptiarum vinculo partiti sunt. Demū quòd Rex Haraldus pecudalibus iugis humanas alligasset ceruices. Deinde quòd D. Olaum Noruegiæ Regem sicariis pe cunia corruptis, & postremò Blacchonis proditoris opera S. Canutum occidissent. 11. quòd Sueno Rex potius sacræ religionis, quam incestæ nuptæ desertor sit inuentus. 12. quòd violentiore morte captiuos Teutones Dani consumerent: reuinctis post terga manibus, palis

Haquo & Haraldus Dan. Reges & tyranni.

S. Canut. & Olaus occiduntur.

Inaudita crudelitas.

palis affigendos curabant, deinde vetrium caua cultro rimati, nudatis extis, primaq; viscerũ parte protracta, cætera stipitibus explicabant: nec ante suppliciũ remi serunt, quàm tortos, extis funditus aluo egestis, horri dæ rapacitatis spiritum profundere coëgissent: quod spectaculũ vt specie triste, ita re nostris perquàm vtile extitit: non solùm enim reis pœnam inflixit, sed etiam cæteros consimilem cruciatus causam vitare præmonuit. Itaque non minori visentibus documento, quàm afflictis supplicio fuit. In reliquis verò libris, quia satis multa & horrenda, inter pauca bona commemorãtur, potius iusto Lectoris arbitrio, quã huic onerosæ osten sioni meæ, quatenus opus fuerit, perscrutanda relinquo, satis legitimam existimans causam, cur Sueonum ac Gothorum, imò aliarum nationum insecura societas sit cum illo populo, cui ob præmissas causas (vt verbis Saxonis Lib. 10. vtar) quisquis humanitatem, atque obsequium erogat, ingratis beneficium præstat.

De seueritate Regis Christierni secundi. Cap. 16.

REX Daniæ Christiernus, eius nominis secundus, qui diuersis tẽporibus & ingeniis, procurato, per quosdam Danicæ factionis, in regnis Suetiæ & Gothię proceres, Daorũ cõsanguineos, & affines (inter quos erat infelicissimus Gostauus Trolle Archiepiscopus Vpsalensis) primo aditu in regna prædicta, adeò ferox & seuerus euasit, vt nullo prestiti iuramẽti, aut sigillatarũ literarũ, aut acceptionis tremendi Dominici corporis habito respectu, aut cuiusuis commiserandæ rationis cõpassione, vna die, scilicet 8. Nouẽb. 1520. diuer sorum ordinum principes, magnates, consules, ac ciues numero 94. me vidente ac trepidante, impio ferro impiissimo malignorum consilio stimulatus, detruncari iuberet, atque triduo ante prætorium vrbis Holmẽsis, inhumata eorum corpora, donec extra ciuitatẽ combu renda deportarentur, remanere. Profecto horrendũ spe ctaculũ, quod ipsi Christierno procul dubio mille miseriis postmodũ vexato occurreret, vt instigãte crudeli consilio,

Gostauus Trolle. Proceres 94. à Christier. Dan. rege interfecti sunt. Autor testis oculatus.

consilio, quos in gratiam receptos & perendie amicabiliter inuitatos hospites ad Regale conuiuium habuisset, atrocissimè sic puniuit, idq; non vsitato sæuiendi modo: nam cruci affixit quendam Magnum Ioãnis præfectum, patriæ suæ validissimum defensorem, humi in terra tabulaq; ligatum: vt primùm pudendis, demum corde excisis, & in vultum patientis contumeliosorum verborum insultu proiectis, ad maiorem rabiẽ, & perpetuum horrorem actum fuisse ostẽderetur. Posteà eiusdem diei insequẽti nocte, infelicissimæ viduæ, quarum mariti ferro consumpti ante ora bestiarum in publico foro iacebant, pecunia & omni suppellectili, per insatiabiles Daniæ præfectos spoliatæ, inconsolabiliter ingemiscebant. Certè turpissimi, & immanissimi erant officiales illi, solo terrore Regij nominis, vel pendentis crudelitatis, cunctos maximè innoxios, pudicitiæ & omnis verecundiæ honestate profligata deprædantes. Nec melior erat pupillorum & orphanorũ conditio, qui in patentibus torquebantur, & omnibus fortunæ bonis spoliabantur. Lõga & terribilis per me, tanquam singula lachrymosè videntem, texenda foret historia, si singulas huius calamitatis partes enarrare vellem, quomodo videlicet diuina & humana confundebantur: nulla promissæ fidei ratio, nullus religioni respectus, omnia temeritate sacrilega agitabantur, vbique gemitus, vbique cædes, vbique mors, nullibi concessum effugere, atque viuere inter districtos gladios & efferos homines, impossibile. Seruabatur vigilantissimo custode ciuitas, ne quis ex eo communi omnium ciuium carcere erumperet, vt regni incolis patratæ crudelitatis seriem denunciet: quam si libera populi multitudo subitò persensisset, nihil commissi facinoris inultum remansisset.

Magnus Ioannis præfectus.

Adhuc de seueritate eiusdem Regis. Cap. 17.

QVod cùm Rex aduerteret, in sola fuga salutẽ suã reponens, paucis postmodum diebus, inde, versus suam Daniam se recipere est coactus: in quo itinere plures rotis, furcis, alioque horrendæ mortis genere,

Vastena S. Birgittæ vrbs, & monaster. Ex mona valle monast. monachi vij. cũ Abbate submerguntur.

quartando mortificari iussit, presertim apud Ostrogothos in Vasteno, terra sanctæ Birgittæ: demum in Nydalensi monasterio, Nouæuallis dicto: vbi licet humanissimo hospitio susceptus esset, tamen die Purificationis diuæ Virgini dedicato, Abbatem cum septem monachis peracto altaris sacrificio, manibus à tergo ligatis in rapidum flumen submergi iussit: vnde cùm Abbas naturali fortitudine funibus ruptis ad littus enataret, à Regijs satellitibus ferro excetebratus interijt. Ita & paruuli illustris familiæ Ribbingorum Vestrogothiæ, quibus hostilis barbaries ignoscere solet, ante eius cõspectum gladio sublati sunt. Quo factum est, vt sub eo congregatis triginta millibus incolarum armatorum, ipse sibi cõscius, per deuia ac inuia, potiùs nocturno quàm diurno tempore, præcipiti cursu se reciperet intra limites suæ Danicæ ditionis: vbi neque diu sine simili formidine securior est relictus. Adeò velox fama factum eius ante aduentum vbiq; monstrauit, maximè apud subditos Cæsareæ Maiestatis in terra Batauorum, Brabantorum, ac aliarum nationum: vbi dudum cùm in honore esset & sublimi gloria, ante tam immanem stragem in plerosque innocentes commissam, habitus erat gloriosus. Dicat hîc Saxo Danorum historicus libro duodecimo, in omni circũspectione sua, vti superiùs capite trigesimo septimo allegarum est, an hoc spectaculum vt specie triste, ita re ipsa Danis vtile extitit, an crudelium pœnarum, ac torturarũ inflictione, an clementia, modestia, æquitare, & reliquis virtutibus Regijs quætantur regna, & maneant parta: certè per experientiam agnoscet, Danicam seueritatem superioribus libris, & hoc Christierniano facto ad memoriam reuocatam, plus infamiæ, horroris, crudelitatis, & despectionis regno, & Regibus eius parere, quàm si humani, & iusti essent: nisi forsan gloriari velint in malitia, quando adhibitis fraudibus potenres se putent in iniquitate, vt nouacularum more, faciant dolum, quod absit. Quis etenim securè commercium cum his intentare, & firmum manere cogitat? qui (vt Saxo vltimo capite, libro quarto asserit) mentiri & fallere, inter sordes & vitia non ducunt.

Regũ prudẽtia et demẽtia seruantur regna quæ cõtra, tyrãnide dispereunt.

cunt. Sit ergo sermo eorum, Est est, Non non, & omnes credent eis. Nec credant me boni homines hæc supradicta propter odium, aut simultatem in Danicam nationem illam, & vetusta eius gesta, aut Regis Christierni seueritatem, in omnibus ostendisse, sed longè terribiliora ex industria, quæ sine suspirijs & horrore legi nequeunt, & multò minus in libros referri, reliquisse. Danica tamen nobilitas post exactum Regem Christiernum antedictum, quadraginta quatuor articulos in Vrbem, & totum orbem pro sua excusatione, cur ab eodem Rege defecerat, publicè legendos emisit. Ita & Senatores regnorum Suetiæ & Gothiæ, ac Noruegiæ, tam anteà quàm posteà repetitis vicibus, libris & literis sese excusarunt. Quòd autem ego amarius cæteris, verius tamen & partius scribo, audax testimonium facit, quia cum graui meo periculo, & mœrore omnibus ijs tragœdijs inspiciendis interfui, vt dolenter viderem mala gentis meæ, quæ nunc millies aucta videntur, & insuperabiliter, ob impias legum constitutiones, & subditorum oppresiones, deteriora.

[illegible] purgatio.

Articuli sunt. 44. quos Danica nobilitas euulgauit contra Christiernũ R. ne iniuria videatur regno exactus.

LIBRI OCTAVI FINIS.


EPITOME LIBRI NONI.



De gladijs versatilibus in rotis. Cap. 1.

ANtiqui Gothi, similes rotarum machinas & gladios versatiles, aciebus equestrium & pedestriũ sępius infringendis, præcipité structuri accessum vel recessum obiecisse reperiuntur, modernoq; tempore licet rarius solito, vbi locus expostulat, diligéter opponunt: cuius tamé machinæ ratio sic capiatur. Videntur in primis tres rotæ, duę altiores in axe volubiles, & tertia inter has media, quæ vni earum mutuis coniuncta dentibus, motum necessarium sua agilitate in bicipiti gladio anteriori stipiti affixo causat: quo quidem gladio sic versatili lateraliter à peritis motoribus eleuato, & admoto, non parum obiectæ acies lacerantur ac infringuntur. Attamen id caueri solet, vt rotarũ radij sint asserculis, seu planis tabulis in latum cooperti, ne hastis inter eos inimicorum industria proiectis, rotę destituãtur à cursu. Quantò etiam rotæ sunt altiores, ac agiliores, tantò extensior ipsius gladij ampliatur scissura. Suntq; stipites, seu ligna, quibus dirigitur ensis, trium,

fis, trium, aut quatuor pedum longiora, quàm quæuis lancea militaris, vt ab insultu equestrium tutiores eius sint directores, qui à tergo ballistarijs, seu bombardarijs turmatim muniuntur. Axes verò rotarum pro faciliori cursu citando, inungi solent pinguedine phocarum, seu vitulorum marinorum, igne purgata, ac bene defæcata, qualis superabundat apud mercatores Septētrionales: vnde diligentia negotiatorum comparata, per vastum mare in vasis magnis incomparabili quantitate tam ad inferiores, quàm superiores Germanos, quæstus & lucri causa deportatur. Hac igitur machina hostile robur plerunq; veluti vastißimum lignum acuto & robusto cuneo vel infringi solet, vel in ipsa statione turbari. *Axūgiæ phocarum apud Gothos magna mercatio.*



De curribus falcatis. Cap. 2.

HAc similitudine, curribus falcatis & hamatis, inter præcipuos bellorū apparatus olim vsi sunt Sueonum & Gothorū pugnatores, presertim in acrioribus prelijs cōtra validißimos exercitus Teutonū, Danorum, & Ruthenorū, eo videlicet modo, vt exploratis hostium accessibus, quibus videbantur venturi, vacuos currus axibus bene vnctis, in decliuibus mōtium lateribus, firmis trabibus alligarent, saxisq; repletos velut pendulos pōtes in funibus statuerent, folijs virētibus, aut ramis vndiq; cooperientes, donec hostes præcipiti accessu, trepida simulata fuga, ad obducta discrimina

incitarent, atq; curruum dissolutorum celeri cursui, vel lacerandos subijcerent, aut aciales cuneos infringerent dispergendos. Quo facto & qui prius visi sunt fugere, & aliæ sociales turmę, siue equestres, siue pedestres, agminatim irruere solebant in dispersos, aut resistentes. Curribus demum eisdem veluti propugnaculis mobilibus, vbi opus fuerat, in reliquis certaminibus semper vtêtes, eo moderamine inuiolabiliter obseruato, quòd curruum directoribus, seu aurigis duplo magis quàm equitibus stipendium, & spolium redderetur. Itidê & his, qui bigas, siue curricula stipitibus lateraliter antrorsum ferratis cuspidibus, hisque mucronatis inter hostes discurrendo in inuia, ac præcipitia coarctabant.



De æreis equis ignıuomis. Cap. 3.

NEque hoc loco omittêdum est, quod Saxo de Regis Regneri astutia, & stratagematibus eius lib. 9. meminit. Inquit enim, Hellesponti Rege Dian post varia bellorum discrimina occiso, Regnerum à duobus filijs interemptum, Dian videlicet & Daxon, seuera certamina sustinuisse. Ii etenim filij olim Rutheni Regis filias maritali sorte complexi, impetratis à socero copijs, ardentissimo spiritu paternæ vindictæ negotium rapuerunt. Quorum Regnerus immensum animaduertens exercitũ, diffidêtia copiarũ habita, equos æneos igninomos ductilibus rotulis superpositos, ac versatilibus curriculis circunductos, in confertissimos

Dian Rex Hellespon.

Dian & Daxon Regnerum pa trem Regẽ interfecerunt.


hostes

hostes maxima vi exagitari præcepit: quæ res tantum ad relaxandam aduersariorum aciem valuit, vt vincendi spes magis in machinamento, quàm milite reposita videretur: cuius intolerabilis moles, quicquid impulit, obruit.

De Septentrionalium bombardis. Cap. 4.

SVnt bombardæ in plerisque ciuitatibus, ac arcibus Suetię & Gothię, tãtæ magnitudinis, vt vas ligneũ barile Romanũ, latitudine ac lõgitudine superans, ferreo globo, ac ferreis crustis instar pugilli manus, librarum DC. & amplius repletũ puluere, & igne excitatum, vehementissimo impetu, veluti tẽpestuosus turbo vel imber emittitur, vt quodcunq; obstaculum vim eius sufferre non possit: idq; nedum in terrestri, sed nauali, ac glaciali (prout infrà dicetur) certamine, quoties opus fuerit, intentatur. Sunt & mediocres, ac lõgissimæ bombardæ, ferreos globos euomẽtes. Præterea petrariæ, quæ lapides sublimiori ictu casuros emittunt: eoq; formidabilius fit certamen, quo talibus bombardis (quę vastitate & violentia cęteras præcellunt) non vno impetu, atque horribiliori crepitu, sed successiuis ictibus in loca quassanda soluuntur: atq; ad earum impulsum pulueres ex disiectis parietibus, vel alijs obstaculis, turbineos videntur excitare fumos.

Vasa ferrea. 600. librarum plena bombardarũ vi eijciuntur.



De bombardis triangularibus. Cap. 5.

BOmbardarum triangulariũ apud Sueones, & Gothos, maior aliàs in earum inuentione vsus erat,

quàm modo reperitur. Poterat enim hac tripartita machina, immanis hostilitas, acie reparata, sepiusq; admota dispergi, vbi rotarum obiecta volubilitate, quiuis equestrium impetus condensato agmine accelerãs, exigua manu impediretur. Sed fraude doloq; bombardalium magistrorum quandoq; euenit, vt pro ferreis globis stupam vel chartam bombardis imponant, vel hostes audaci aggressu, radios rotarum solius hastæ immissione impediant, ne è loco moueantur.

De organicis bombardis. Cap. 6.

HAbebant etiam inter alias bellorũ machinas populi Septentrionales, hostibus præcipuè equestribus congressuri, bombardas, collaterales, more organorum, aut coniunctarum fistularum colligatas, vt eas vel pariter vel successiuè excitato igne in inimicos relaxatas, citius iterum pulueribus globisq; immissis, opponerent ad omnem motum eisdem inimicis: quibus ersi visi sunt, sereno præsertim tempore, grauia intulisse bella, propriaque perstrenuè defendisse castra: tamen quia frequentiora acerbioraq; prælia (prout infrà dicetur) euenire soleant in Aquilonaribus regnis tempore horribilis brumæ, dum niues excidunt densiores, quibus bombardarum vsus in excitando igne prohibetur: idcirco rarior factus est earum vsus in campis, & nihilominus frequentior in castellis, ad arcendos obsidentes.

De currilibus bombardis. Cap. 7.

IN planis ac campestribus locis, vbi vel ex condicto, vel electione hostium, vel euentu temporum, ac occasionum exoritur præliandi facultas, incolæ terrarum vt fortius inimicum aggrediantur, vel caurius ad tempus declinent, currilibus vtuntur bombardis, quæ & currilia castra vocantur: quorum aurigæ, non minus quàm vexilliferi, vel alij exercitus ductores, sunt armati, imò & ipsi equi indurato boum corio in collo & tergore. Quatuor itaque hac arte periti bellatores, vel plures, exonerandis ex vtroque latere bombardis deputa-

Phaleræ bubulæ.

deputati, impetum, quem sors dederit, aurigæ concurrente ingenio & audacia, exercent in hostem, vt à fronte vel latere discissus, equestribus armatis perfacile non resistat.

De fundamentis arcium comburendis. Cap. 8.

VEteris ruinæ vestigia in Aquilonaribus regnis satis clarè demonstrant, quomodo quàm plurima fortissima loca rupibus ac inuijs accessibus imposita, artificialibus flammis è subterraneis specubus excitatis, velut tonitruis concussa dissolutáq; reperiuntur. Cùm enim fortalitia huiusmodi ob continua latrocinia, ex his limitaneis præcipuè, prouinciarũ locis suscitata deprehenderentur, cõmunibus armis, vnanimi gentis consensu, iudicisq; decreto incolæ tonuocati, ea adorti miris ingenijs demoliebantur, eo scilicet modo, vt loca montium magis ruinosa introeũtes, eadem malleis, dolabris, cuneis, cæterisq; instrumẽtis, ad lapides excidendos, murosq; demoliendos accommodis, validissima manu perfregerint, aut si spelunca fuit naturalem habens concauitatem, vsu similium instrumentorum sensim eius fastigia ex parte præciderint, qua præsidiorum fundamenta denudarentur, erectas trabes ex ordine subijcientes, quibus murorum innixa moles sustineretur, ne statim compages ipsa corrueret, aut dissolueretur. Vt tamen decisorum atque cadentium lapidum fragor haud exaudiretur, ex altera arcium parte armatis turmis, cum clamore & strepitu horridiorem, vel simulatione, vel seriò inferebant insultum. Verùm vbi iam murus eo spatio, quo supra specum porrigebatur, pendulus totus est factus, ita vt lignis duntaxat incumberet, aridiore vndequaq; collecta materia, igneq; iniecto, confestim ipsa sustentacula correpta perfringebantur, & imposito ponderi concessere. Præsidij autem pars omnis, quæ tignis subleuata detinebatur, in vacuum collabendo subsedit, turresque ea è regione, & propugnacula celerrimè à cætera compagine diuulsa, in decliue deferebantur, foribus atque portis arctissimè cohærentibus, simili ruina concussis.

De crudelitate adulatorum, proditorum, & aduenarum, sæpius in regia ciuitate Stocholmensi sæuißime perpetrata. Cap. 9.

Stocholmia. Suetiæ emporium. STocholmia celeberrimũ emporiũ totius regni Suetiæ, imò septentrionis est: in quod ex omni gẽte & natione, maximè autẽ ex Germania inferiore, ciues cõscribi consueuerunt: & inter eos non rarò miscẽtur illi, qui vel ob æs alienũ, vel turpe aliquod facinus in sua patria nequeant commorari: hi crescẽtibus diuitijs solent sæpè naturã quàm paupertas occulerat, aperire, & patriæ, à qua benignã hospitalitate excepti fuerãt, extremam moliri perniciẽ, maximè quando Principẽ talẽ assequuntur, sub quo omne libitũ, licitũ esse putauerint. Tales igitur Teutones in ciuitate Stocholmensi tẽpore Regis Alberti clxx. inuenti fuerunt: qui occulta conspiratione colligati, se Cucullatos fratres appellabant: creuitq; posteà eorũ numerus vltra mille quingentos. *Fratres cucullati 1500.* Horũ studiũ precipuũ erat, cõiectis in Suenones & indigenas cõuitijs, ad rixas & lites prouocare, vt demum apud Regẽ delatos, vita, aut fortunis, vel pariter vtrisq; spoliarent, prout posteà actũ est. Nã vt eos exquisitis tormentorũ generibus crudelissimè dilaniarẽt, aptabant, ex ligno serras, quibus eorũ præstãtiores ita ad mortẽ vsq; tormentabant, vt magis ad horrorẽ tam crudelis facti ingemiscere, quã scribere oporteret. Tandem reliqui ciues Sueci sub mediæ noctis silẽtio ex arce Regia, vbi captiui detinebantur, per naues ad proximã insulam iactu ballistæ distantẽ, Keplinge dictã, exportati viui, in domo quadam inclusi, digitis in perforato pariete cuneorum impressione affixis, superiecto igne cõbusti fuerunt, maiore quidẽ numero, quàm affirmari posit: nam vt oues colligati, plures intrudebantur cõburendi. *Keplingen.* De hac vrbe Albertus Crantzius in hunc modum meminit: Stocholm insigne Suetiæ emporiũ, insigni clade afficiebatur, nam de cœlo fulmine tactũ, penè totũ conflagrauit. *Stocholm.* Perierunt mille sexcẽti homines, Sed miserabilius, quod sequitur: Fœminæ proles, & sine numero puellæ nauibus res suas inuexere cũ paruulis, at ob nimiam confluentiũ pressuram incendium fugientium, in ictu oculi pariter suffocati periere.

De

De origine & situ huius regiæ. Cap. 10.

PRæcipuam hanc Sueonũ ciuitatẽ, Regiam Stocholmiam, à fundamento illustris, & fortissimus vir Regius tutor Birgerus Ierl à fundamentis erexit, murisq;, & mœnibus fortissimis communiuit, in loco adeò opportuno, & necessario, atque inuincibili, vt nihil vnquam commodius per eum excogitari potuisse credatur. Est enim locus torrentibus vndiq; munitus (quondam solis piscatorum vsibus vsurpatus) atq; inter aquam salsam & dulcem ita positus, vt porta totius Suetiæ appellari possit. Prius enim Estones, Moschouitæ, Rusси, Tauesthi, per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandestinis incursionibus Sueones, nullam hostilitatem suspicantes adorti prædabantur: factaq; ingenti hominum strage, liberè & impunè, atq; maximis spolijs onusti, in suas terras euaserunt: quo incursu Ioannem secundum Archiepiscopum Vpsalẽsem in sua propria mansione Almersteck occiderunt, & nonnullos alios clarissimæ stirpis & memoriæ proceres. Sed hac Stocholmia extructa, omnes & singuli diu turnam pacem assecuti fuerunt, hostes verò sempiternam formidinẽ: qui viso tam insuperabili præsidio cõtra quoslibet inimicos in reliquũ tempus erecto à diripiẽda Suetia abstinuerũt. Quam tamẽ Holmiã si quis obsidione cingere, viribusque superare præsumpserit, nunquam proficiet, etiã si pertinax perseuerare posset in omnimoda eius obsidione. Sita enim est in profundissimis aquis, & rapidissimis fluminibus, duas solùm portas longis interpositis põtibus ex Austro, & Aquilone tenens: quæ portæ pontesq; plus Regibus Daniæ constãt in frustrata impugnatione, quàm decem maiores sui regni ciuitates. Nec obsideri poterit, nisi tribus fortissimis exercitibus in insulis solida terra, & aqua distinctis: qui tamen exercitus nullo tẽpore à sagittarijs terrarum subitò congregandis securi videbuntur. Probet qui velit, & inueniet terribiliora.

Birg. Ierl Holmensis Regiæ fundator.

Ioan. Archiep. Vpsalensis occiditur.

Holmiæ descriptio.

De situ montis Bruncaberg extra Regiam Holmensem, & prælijs in eo factis. Cap. 11.

EXtra hanc Regiam vrbẽ versus Aquilonarem plagam, mõs est seu collis eminẽs, & arenosus: super cuius


Bruncab.

cuius verticem & obliqua latera, multorum principũ, nobilium, ciuium, & plebeiorum acerrima certamina tam vetustis, quàm recentioribus seculis, tamque per internos, quàm externos hostes sunt commissa. De quibus quia charissimus frater meus D. Ioannes Archiepiscop. Vpsalensis complura verissimè nominatimque in Sueticis ac Gothicis tangit Historijs, non est quod ijs repetendis fastidio afficiam Lectorem: vno tamen saluo, quòd Christiernus Rex Daniæ eius nominis primus, fugiendo ex hoc monte, vrgentibus Dalacarlis in acerrimo prælio, ad præsidia suæ bellicæ classis, quatuor supremos dentes ictu manualis bombardæ amiserit, prout inde progrediens ætas in cantionibus, & compotationibus meminisse gloriatur. Prætereà Christiernus I I. fame & morbo laborantem exercitum suum, ægerrimè ex hoc monte transferre potuit per aquas, ad classem retro montes ante hanc Holmiam Meridionali situ conseruatam. Sed nec ibi eundem famelicum exercitum reficere potuit, nisi subdolis pactis ipsius vrbis, & regni Principi, & incolis sub fide violanda oblatis, sumptus & escas necessarias, à stultè credulis ciuibus, pro eodem exercitu, imò sua regia mensa, liberalissima donatione recepisset. Quomodo autem honori suo Regib. pro æterno æuo consulens satisfecit, dudum ante hanc relationem per alios relinquo pro parte enarratum, quòd scilicet rupta fide sex nobiliores regni obsides secum in Daniam pertraxit innitos. Hic etiam mons à quodam Brunchone regni proditore, & turpi adultero, nomen ab euentu sortitus est. Erat etiam in hoc monte olim subterranea specus, vbi aliquo tempore victitabant Heremitæ: qui monita salutis præbebant exeuntibus ab ea vrbe, donec superueniente hostilitate (qua freqnentissimè ea ciuitas vexatur) aliorsum emigrarent, & locus ille in speluncam latronum verteretur: quibus iterum purgata, repleta iacet humo, ne cuiquam deseruiat homicidæ, vel scelerata negotia meditanti.

Christier. I. Rex Daniæ ictu bõbardæ amisit anteriores. 4. dentes.

Bruncab. mons à quo sit dictus.


De pascen-



De pascendis pecoribus in tectis obsessorum. Cap. 12.

Accidit prætereà vrbes obsessas, adeò duris & pertinacibus armis terra marique comprimi, vt nihil solatij, aut alimentorum pro restauratione obsessorum inuehi concedatur, sed extremo discrimine, ac armata potentia ab hostibus ipsis violenter eripiuntur, ac exportantur: fitque multoties ea occasione tam atrox prælium, vt pro raptu aliquot paucorum pecorum, plura millia pereant armatorum: dumq; funestius certatur pro bestijs, campi replētur funeribus militum occisorum. Sed nec eo cruore furoreque reprimuntur obsessi. Viribus etenim primis annis, demum (milite stragibus continuis diminuto) artibus, dolis, & insidijs obsidentium surripiunt commeatum, præsertim pecudes, quas secum abductas, in herbosis domorum tectis pascendas imponunt. Quòd autem in tectis cōmodè pascuntur pecora, ritus Gothicarum gentium in primis est attendendus. Aedificant enim domus lapideas, sublimes, ac amplas, ligneasque: quas tignis abietinis, & corticibus arboris betulæ exquisita industria tegunt, terram herbiferam quadrata figura à campis excisam superimponentes: quam submisso auenæ vel hordei semine, firmioribus radicibus nectunt: quo fit, vt tecta huiusmodi pratorum virentium speciem & virtutem emulentur. Sed ne herbę tectorū, priusquàm euellantur, arescāt, vicissim cū pluuijs domestica diligētia aquas aspergūt. Ita necessitas homines fortes instruit, vt supra

vt supra humanas vires obsidentibus resistant, & illudant ac penuriam omni contēpta aduersitate superāt.



De aquarum defectu subleuando. Cap.13.

OCcasione insuper hic orta super defectu recentiū carnium, & forsitan grauiore aquarum, hic ostenditur modus Septentrionalium obsessorum, quomodo inter cætera necessitatis remedia etiam curam ineant de aquis inueniendis. Euenit nanq; obsessis tanto scaturientium, aut putealium aquarum (ob hostile impedimentum) penuria, vt vel se dedere cogantur obsidētibus, vel incurabili morbo, vel ineuitabili nece perire. Quocirca prudentes arcium, aut ciuitatum præfecti, vėlis vel telis, concaua flexura, longaque extensione, è superioribus tectis suspensis ac dilatatis, & funibus cuneato situ versus ima depressis, desuper casuras pluuias, aut rores præstolari disponunt. Nec frustrà: quia imbres frequenti niuium resolutione adeò copiosos torrente sole è montibus descendentes excipiunt, vt cunctis tam hominibus, quàm bestijs sufficiant ad optatum vsum & necessitatē. Demum qui venas salsi maris, arcium fundamenta, vel fontes intrantes habent, per vasa arenis plena pluries distillando purificant, & inueniunt aquam dulcem, & tractabilem ad omnem vsum, & æquè bonam per hanc simplicem artem, prout ante paucos annos quidam patricij Veneti (qui in salsis aquis, & alga habitant) talem distillandi modum à quodam archimista sunt mercati.

De panum

De panum defectu subleuando. Cap. 14.

INgressuri Gothi Sueciq; hostiles terras Moschouitarum sæpe reperiunt eos ob aduētum formidabilis exercitus, nedum ad latebras syluarum ac rupiū repentè fugere, sed & quæcunq; ad vsum humani victus necessaria sunt, domibus incensis secū in vastā solitudinē asportare, nil penitus quod mādi poterit, vēturo hosti relinquentes. Quo casu prouidi exercitus præsides more veterū Gothorū, ne prius fame, quàm ferro numerosus exercitus corruat, bonā siliginee farinæ quātitatem in saxis ad hoc dispositis, retrò sellas equitū vnà cum lamina ferrea alligare solēt, cōfestimq; vbi res postulat, igne strncto, laminę ferreę superpositę pastas imponunt panum tanquā in clibano conficiendorū: qua nihilominus lamina more clypei (in cuius modū formata est) corpora sua protegētes, geminam ac summè necessariā militaris industriæ opē ex vna re prudētissimè mutuare videntur. Faciunt etiā panes subcinericios ex farinæ massa subtilibus arborum populeatū corticibus, & foliis inuoluta, ignitisq; cineribus cooperta: qui etsi viles esse videntur, primū tamen voracitatis ardorem eligibilius tollūt, plusq; durioribus stomachis conueniunt, quam quiuis alter primarius vel secundarius panis. Est prætereà tertius modus facilior supradictis, quo in planis montibus, qui sæpius occurrunt, panificia fiunt. Struunt enim copiosum ignem in vna atq; altera, & tertia montis parte (quia vndiq; gratis habent ligna) donec sufficienter calefacta purgataque eadem parte, pastā rotunda lataq; forma superimpositam citiùs decoquere possunt. Interim tamen, propinquam & continuā montis partē eodē igne auctis combustibilibus succensam, pro noui panis decoctione disponunt, eamq; priori modo purgatā, simili vsui cōmodissimā reddunt, eoq; cōpendio plura milia panū breui cōficiunt: quorū satietate integer exercitus à mortifera fame diebus multis liberatus, terras inimicas ingreditur, & vbilibet easdē (nisi pactis obuiatū fuerit) cædibus ac flāmis euertit: tātisq; onustus rapinis egreditur, vt nulla, vel exigua reputetur perpessa calamitas, quam tātis solatijs & diuitijs viderint cōpensatā.

Moschouit. fugientes à Gothis proprias ædes cōburunt.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De Bellis Nanalibus.


EPITOME LIBRI DECIMI.

De prælijs paluſtribus, & ruptis pontibus. Cap.1.

TOta Septentrionalis regio ferè montoſa, ac nemoroſa eſt, habetque loca plurima naturaliter tam aquis, quàm rupibus ab hoſtiũ incurſibus præmunita, ita vt cõtra equeſtrem, vel pedeſtrem exercitũ paucorũ manu ſecuritatem inueniat ferè vbiq; optatã: imò & plurimè paludes ita inuiæ ac cœnoſæ ſunt, ac profundæ, quòd vix etiam in algidiſsima hyeme congelari videantur, vt peditem ſufferant leuiter gradientem. Taliſque inter cæteras, alioquin valde voraginoſas, locus Rotabro, id eſt, Pons ruptus, appellatus, itinere horarum duarum à Regia ciuitate Stocholmenſi prædicta diſtat: de qua ciuitate cùm remotius prædandi cauſa hoſtilis exercitus ab externis inimicis, Germanis vel Dacis aduectus in terras opulentas exire præſumpſerit, ilicò medijs ſyluis incolarum congregarorum munitionibus & ſagittis retruſus, vnde exierat reuertitur, vel viribus auctis incolas ipſos cedere cogit in alium, quem poterunt locum: ſicq; (quod rarò accidit) ad hunc paluſtrem pontem profugientes, immobiles in quocunque acerrimo certamine perſeuerant. Rupto nanq; longiſsimo ponte ligneo, ac ſtricto vtroq; latere voraginoſo, non eſt quod hoſtis vllã inueniat occaſionem naturæ vim inferendi, fortiſsimis viribus præmunitæ. Habita ſunt hoc in loco ſæpiùs atrociſsima bella diuerſorum Principum tempore, prout cantiones patrio rhytmate paſsim vſque in hunc diem conuiuali more exhilaratis vocibus, & iubilo fieri ſolitæ atteſtãtur, videlicet quòd arte, natura, viribus, & experientia veteranorum militum, præfectorumq; induſtria & fide, parta ſit victoria, & ampliter augmentata.

Rotabro, id eſt, pons ruptus.

De forma



De forma & vsu antiquarum nauium Septentrionalium. Cap.2.

PAlustrium bellorum progressus & exitus in Septẽtrionalibus regnis, hanc sortem & vicissitudinem circa externum hostem retinent, vt rebus infeliciter gestis, (quemadmodum frequentius ob locorum ignorantiam accidit)per inuia,ac deuia , syluarumque compendia ad nauigia certo loco reposita , refugium habeant duces:dumq; ab initio,quoties vnus alterum, aut pariter ambo alterutrum se mutuò, leui forsan ratione,ad prælia prouocabant , continuum iter habuerunt, vtputa propter raptas virgines , aut arripiendas (prout Saxo Danorũ historicus in Aquilonaribus regnis inter potentissimos Principes frequenter meminit,etiã interueniente cruentissimo bello,fuisse factũ) inglorij,& non sine clade redierunt. Forma igitur vetustarum nauium , iuxta fluctuum breuem vel spatiosum cursum,lata vel oblonga fabricatur:veluti in mari Oceano versus Noruegianos,vbi spatiose,sicuti Hispanici maris,vnde longas latasq; recipiũt naues:quẽadmodum in mari Gothorum, Sueonumq; littora alluente,breuia,lataque nauigia,oneraria presertim,obstrictas,sæpiusq; reflexas vndas,adesse oportebit.Antiquitus vnaquæque prouincia,etiam à mari distans,penes littora in aliquo tuto portu,& plerunq; in littore, sub tecto seruabat naues suas, & earum singula ornamenta:quales in littoribus Noruegiæ,& demũ Suetiæ

N vidi.

vidi. Quæ quidem naues ingruente necessitate, subito motu ad vsum impositis instrumentis, commeatu, & hominibus armatis, quantum ea ætas tulit, in aquam & expeditionem in magno vel paruo numero, iuxta Principis edictum emittebātur: quæ tamen ita signis, coloribus, & nominibus distinctę erant, vt quocunque classico surgente cum hostibus congressu, semper sine confusione nutu suorum præfectorum dirigerētur: nisi rapida vertigine vētorum, præsertim Circij, plusquàm aduersa classe disgregentur in mari: is enim ventus quasi exitialis hìc est, vt Hellespònticis Subsolanus.

Circius ventus Septentr. est, quod Hellesponticis Subsolanus.

De alia specie nauium Septentrionalium. Cap. 3.

OMissis pluribus nauium generibus, forma quidē cum aliis quarumlibet aquarum nationibus ferè congruentibus, sed nomine patrio discrepantibus, de his solis hic mētio fiet, quæ communiori vocabulo generali notitia demonstrāntur, vt sunt naues actuariæ, onerariæ, lembi, lintres, &c. Hippagogæ, quæ ob multitudinem Equorum ab Aquilone vltra Mare ad Germanos euehendorum, maximæ ac multæ sunt. Præterea bellicæ naues, quarum vna Gostaui Regis Suetiæ tantæ magnitudinis erat, vt mille armatos, nauclerosque trecētos, qui optimi bellatores sunt, vnà cum aliis ingentissimis nauibus classico certamini deputatis, emittere posset. Præterea idem Rex primus vsum biremium, triremium, ac quadriremium circa annos Domini 1540. in mari Gothico, ac Suetico, manu artificum Venetorum liberali stipendio conductorū, introduxit, maximè vt prędones Moschorum, ac Esthonū pluries violatis induciis terras suas inuadentiū, celerius corripiat vel captiuet. Iamq; gens sua Finnonica lignariæ artis peritissima, ea compagine & robore, vel forsitan meliore, triremes conficere nouit, vti insigni industria apud Venetos fieri vidi: sed nō ea celeritate, vt illi qui omnibus necessariis ad nauigādum velificandumq;, cum armis & bombardis ac cōmeatu 60, vel amplius, ex rudi ligno, spatio vnius mensis vsq; ad bellicum congressum educere possunt. Habebant præ-

Nauium nomina.

Nauis habens 300. naucleros.

Triremium & quadriremium, quis primus inuentor in Gothia.

prætereà lembos, cymbas, parones, celoces, myoparones, ſcaphas, & ſimiles. Lintres prætereà plurimum in vſu apud Septentrionales ſunt, eò quòd facilè è grandibus lignis abietinis, & quercinis cauātur, 20. vel 30. hominum capaces: ſed qui minoris quantitatis ſunt, piſcatorio vſui deputantur.

De mutua ſtrage mercatorum pro portubus Iſlandiæ. Cap. 4.

Miſerabile ſpectaculum negotiatorū mutua ſtrage ſeſe ob quæſtum vſque ad vitæ periculum, & diſcrimen bonorum omnium, etiam vlciſcendæ ſtirpis ſiue domi ſiue foris impetentiū, vt oculis apertis, & clara luce intueri non valeant, quantis deprædationibus vbique ſint ſubiecti, niſi & ipſi arma acuere ſcirent, & in propriam extendere calamitatem. Inter quos Vandalicarum vrbium Bremenſes, Roſtochienſes, Viſmarienſes, ac Lubecenſes principales exiſtimantur: demū Anglorum, Scotorumque mercatores, qui de primatu & priuilegio Iſlandenſiū portuum occupandorū, adeò pertinaciter inſtar naualium bellorum litigant, & mutua ſtrage ob quæſtum lacerant, vt ſiue is, ſiue alter ſe ſtrenuum victorem exiſtimet, ſemper fiſci ſpeculator aſſiſtit, qui vtranque partem tam ordinaria quàm extraordinaria exactione, tam in ære quàm corpore grauiſsimè corripere nouit.

De punitione rebellium nautarum. Cap. 5.

Quemadmodum in cunctis hominum ſtatibus & generibus, conſtitutæ ſunt leges & regulæ, quibus honeſtius, iuſtius, ac cautius viuatur: ita in nauticis officiis rationabiles vſus & cōſuetudines conditæ, ac rigidè obſeruatæ reperiuntur. De quarum ſpeciebus (licet innumeræ ſint) nonnullas ſaltem generaliores oſtēdere exiſtimabitur opportunum. Qui igitur ſeditione mota gladio patronum, aut rectorem nauis inuaſerit, aut inuadere præſumpſerit, ſeu malitioſè nauticum gnomonem, aut compaſſum, & præcipuè portionem magnetis, vnde omnium directio dependet, falſauerit, & ſimilia horroris ſceleta in naui com- *Leges nauticæ.*

 miſerit,

miserit, vt in plurimum (si vitæ parsum fuerit) gladiolo vel cultello firmatam manum (cuius officio frequentius vtitur) ad malum, seu principale lignum nauis, mediam scindendo retrahere oportebit. Qui verò tumultuarius, au iniuriosus fuerit, funiculo ligatus vno latere nauigij subtus immersus, ex altero sub dorso nauigij retrahitur, atque si propter absorptam in gurgite aquā opus fuerit, supinus reponitur, aut pronus, ne intereat suffocatus. Quidam verò enormitate sceleris, aut rebellionis, proditionisúe, præsertim in bello nauali manifestè notati, totaliter viui mittuntur in mare, ne totam classem versuta machinatione disperdant. Reliqui pro minutis facinoribus immunitatem in prora celerrimè petita, repositam habent, vel antequā eam intrauerint, sociorum manu apprehensi, ter natibus ad antennam, vel malum torti, cum impetum sentiunt, vt quasi meridie suspiciant stellas. Hæ & similes pœnæ, imò grauiores, ex constitutionibus vetustissimæ vrbis Visbycensis in insula Gotlandiæ, dominio Regis Suetiæ & Gothiæ perpetuo iure subiecta, quatenus opus fuerit, extensiori modo repetentur. Et licet vrbs illa potentissima ac opulētissima, quondam fuerit, & pro minima occasione, nempe fractione vnius fenestralis vitri, vix valoris obularis, humiliata sit: tamen leges maritimæ, & decisiones omnium cōtrouersiarum singulariter longe lateque, vsque ad columnas Herculis, & vltimū mare Scythicum, ex ea petuntur, & datæ obseruantur, vt cuncta sub debita tranquillitate peragantur, quæ pacificis commerciis valeant, & debeant conuenire.

Nauticæ leges Visbycensium.

De equestrium natatione. Cap. 6.

Quamuis non minus infaustum, quàm temerarium sit, armatum equitem, vel peditem gurgiti natando se committere: attamen quia Gothi omnia tēporum momenta ad excolendam militiam collaturi erant, nullas partes militari exercitio idoneas experiri omiserunt. Quocirca artem & vsum aquis innatandi, adeò perfectè calluerunt, vt plerunq; armis onusti, atq; equis inuecti, magna fluminū spatia inter hostiles exercitus,

citus, ad resistendum vel fugiendum tranatarent. Nec minori equos industria, quàm seipsos, ad natandi consuetudinem instruebant, prout Cornelius Tacitus asserit de Germanis: quorum nobilissimum institutũ erat, equos ad natandi studium informare, audacterque sese fluminibus cum equis natare peritis, immergere. Nec testimonium Saxonis in hoc casu omittendum est. Is enim dicit, Biornonem quendam Noruegianum insignem pugilem, equum habuisse præstantem corpore, præpetẽ velocitate, adeò animosum, vt indefessus obstrepentem vorticem superaret: cuius aquæ lapsus tam cito, ac præcipiti volumine defertur, vt animalia nandi vigore defecta, plerunque pessundare soleat. Eo tamen equo tum Fridleuo pugile fortissimo (de quo superius in 5. lib. dictum est) vrgente, tum scrupeo atque iniquo loco priuatus est, & ad vltimum hostili stratagemate, equi errore captiuatus. Ita nullibi terrarum, species aut natura videtur deficere equi Seiani. Quòd autem Gothorum equi eiusmodi natandi artibus perhibẽtur instructi, necessariam causam, magnitudo, latitudoq; immensorum fluminum vbilibet administrat. Vix enim vlla certamina apud Orientales, Occidentalesque Gothos, aut Finnos, Ruthenos, & Moschos instaurari, vel perfici possunt, nisi aquarum vastitas, & vorax impetus superetur.

Equi ad natandum instructi.

Equus Biornonis pugilis.

De natatione pedestrium armatorum, & præsertim pinguium. Cap. 7.

Libet hic ex Saxone singulare exéplum afferre de quodã Siuardo Noruegiano: qui post multa preclaraq; facinora in bellis edita, ab hostibus interceptus, cùm naui in alto mergendus veheretur, quasi funus suum inferiis præcessurus, empta de industria potione remiges onerauit, quibus exhilaratis, gubernandi potestatem supremi beneficij loco impetrauit: nautasque impensius edere remigium hortatus, cùm vehementissimum nauigij cursum animaduerteret, proiecto gubernaculo præceps in vndas insilijt, priusque littori, quàm concitatæ ratis impetus correxisset, restitutus,

Siuardus Norueg. natator insignis.

Haraldus Rex occiditur. Regem Haraldum improuidum occidit. Deinde naua li prælio dimicans, incredibili & præstantiori fortitudine, solus aliquandiu consumptis sociis, nauigium ab hostibus vindicauit: quorum multitudini tandem cedere coactus, singulari nandi peritia fretus, quanquam hybernum tẽpus instabat, armis militaribus onustus, profundo se credidit, atque sub vndis enatans, dubium effecit, maioris audaciæ specimen in puppi præbuerit, an inter vndas agilitatis ediderit. Siquidem loricam, qua corpus munierat, quò liberius enataret, cum reliquis armaturis sub vndis sibi detraxit, ac demum cùm capessendi spiraculi gratia fluctibus emersisset, à quodam familiari suo per habitum hostibus indicatus, tunicam, qua se prodi suspicabatur, rursum corpus aquis occultando deposuit. Sed cùm ne sic quidem proditoris notitiam fefellisset, ad extremum se veste nudauit. Nec tamen adhuc indice ludificato, cùm solus ex sociis superesset, seq; hæc omnia, quæ & callidè, & animosè tentauerat, frustra expertum animaduerteret, tandem fati simulatione profundo diutius immorans, insidiatoribus, an viueret, dubium reliquit. Ad vltimum cùm humanæ respirationis consuetudine supernè aërem capessere debuisset, cuiusdam fortè nauigij gubernaculum pertinacissimis brachiorum amplexibus apprehendit, eiq; aliquandiu tacitus inhæsit, donec cuiusdam curiosius cultum contemplantis indicio deprehensus intercipitur, & morti adiudicatur.

FINIS LIBRI DECIMI.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de bellis glacialibus.

Epitome Libri vndecimi.

REperiuntur in annalibus Septentrionalium regionum tam vetusto, quàm recenti tempore, inter Ruthenos, seu Russos, aut Moscouitas, & Suecones, siue Finnos, ob diuersas, sed arduas causas, tam in mari quàm in terra, atque plana glacie, & densis altisq; niuibus, sæpius atrocissima fuisse commissa certamina, sorteq; militari, & fortuna variata, nunc vni, nunc alteri parti (vt fieri solet) strenuam victoriam adiecisse: quæ rursus deuicta, in horribilem prolapsa sit calamitatem. Huiusque discriminis causa est loci, temporisque, ac gubernatorum circunstantiæ, quæ in talibus celerrimam accelerant occasionem. Duæ igitur sunt fortissimæ arces: quarum altera interiecto profundo & verticoso gurgite, dominio magni Magistri Liuoniæ (sic enim maximæ prouinciæ Princeps appellatur) subdita est: altera verò magno Principi Moschouitarum pertinet. Vna tamẽ Naruen regimini Christianorum Liuoniẽsium, & altera schismaticorum Moschouitarum subiecta est: quę arx Moschouitis subiecta, tanto naturæ munimine, ob circũcurrentes aquas & armatas vires, se tutam perenniter dudum credidit, vt nullius etiam potentissimi hostis insultum expauescere vellet. Sed hæc insania vti fallax extitit, ita & repentinam & ineuitabilem experta est calamitatem. Nam Suecorum, Gothorumque illustrissimi Principes, Steno, Stur antiquior, & Suanto, multis & grauibus Moschorũ iniuriis, ac perfidiis prouocati, post arduissima bella, ac damna eorũdem Moschorum potentibus prouinciis ac populis illata, exercitũ quinquaginta millium armatorũ, prædictamq; arcem Moschouitarum aggredientes, ferro, flammaque (speculantibus amicis Liuoniensium castris) insuperabili furore expugnarunt, vt Moschi cruciabiliter vulnerati, multis

Arx magni Magistri Liuoniæ.

Arx magni Principis Moschouitarum.

Steno, Stur, & Suanto Principes.

tis interemptis, ac combustis, vix fuga sibi peperere salutem. Hacq; arce superata, inæstimabile spolium argenti, & pretiosarum pellium zebellinarum Principibus Suecis, & Gothis antedictis, & exercitui eorū cessit in prædā, vt inde perpetuò gloriarētur pro grauibus arduorū præliorū molestiis, tam æstu q̃ frigore perpessis, maximis spoliis onustos triūphasse. Sed hec opima spolia, vti superatis hostibus irrecuperabili damno dolori; fuerunt: ita & Principibus prædictis, & amicis, ac terris eorū, ob discordiam ptetiosissimæ prædæ hinc inde vsurpatæ, perniciosum ac inextinguibile odiū (vnde postmodū regnorū ruina orta est) excitarunt. Hanc itaq; arcem ab hostibus militari fortitudine erutam, cùm magnus Magister à Suecis victoribus, gratis & dono oblatam, suo dominio formidaret adiungere, flamma imposita, exportatisq; ingētibus spoliis per Finlandiam in Suetiam, & Gothiā, victor exercitus est reuersus. Tanta tamen copia ceræ (quæ Orientalium negotiatorum immensus quæstus est, & dominorum diues tributum) in eadem arce, ob importabilē grauitatem, relicta est, vt flammis resoluta, nauigabile iter per magna locorum spatia exundatione sua reddere posset.

Magna ceræ copia in cendio colliquata.

De conflictu glaciali. Cap. 2.

Neq; minori bellandi impetu Sueci ac Gothi contra Moschouitas seu Ruthenos, pacta constitutæ pacis ob ardorem rapinarū in finibus Finnonici maris violantes, super aperta glacie, quàm in ipsa solidissima terra confligunt: imò, vt prius dictū est, vbi antea æstiuo tempore acerrima commissa sunt bella naualia, eisdem in locis glacie concreta, aciebus militari modo instructis, bombarbisq; ordinatis, habentur horrendi conflictus. Adeò solida glacies est in equestribus ac pedestribus turmis sufferendis, ampliter vel strictè collocatis. Neq; mirū, aut incredibile cuipiam, Latiali præsertim homini videatur, quomodo equorū vngulę in lubrica glacie firmari poterunt, vt nedum impetuosissimè cursitent, sed & in gyrum versi, atq; ad cursum agitati, armatum sustineāt pugnatorem. Equi etenim adeò

Glaciei soliditas.

adeò firmati sunt in pedibus adunco ferro, & clauis acutis, vt nusquam, quantumcunq; plana sit glacies, sessori de lapsu sit formidandũ: imò talibus equorum ferramentis glacialia frusta impetu fugientis excisa, in faciem immittuntur insequentis, vt ilicò moribundus corruat, vel vulnus recipiat, non facilè curandum.


De irruptionibus Moscouitarum, seu Ruthenorum. *Cap. 3.*

MAgno gentis suæ numero non tantum ad præliandum, quantum prædandum, pro maiori parte exiguo, vel nullo seruato ordine militari, ad bella proficiscũtur Moschouitæ, præcipuè qui limites regni Suetiæ, ac magni ducatus Finlandiæ præliaturi, aut prædaturi accedunt, prout in annalibus eorundem regnorum, præcipuè circa annos Domini M.CD.XCV. viribus sexaginta millium hominum factum fuisse cómemoratur. Causam motæ irruptionis posuere trium parochiarum collimitanearum, scilicet Egrebpe, Lasche, & Saualax, atque de fluminibus earum repetitionem, quasi æquius ad eorum pertinerent ditionem, quã regni Suetiæ iurisdictionẽ. Sed reuera stimulatione Ioannis Danorum Regis tanta colluuies eo ingressa est, vt maxima regni Suetiæ prouincia subiugata, partẽ iuri & dominio Moschorum subiiceret, & partem dominio eiusdem Regis Danorum subiugaret: quemadmodum paucis inde euolutis annis, anno M.D. posteà in Regia ciuitate Holmensi legati Moschouitarum eidẽ Regi Ioanni in quadragesima proposuerunt, afferentes pactum hoc osculo sanctæ Crucis inter vtrosque Principes, pro humilianda ac vsurpanda corona Suetiæ, solenniter fuisse stabilitũ. Sed vtraque pars in meditationibus suis subitò fuit exinanita, vt Rex Ioannes in suam Daniam (relicta Regina Christina, de Ducibus Misniæ, muliere optima) fugere sit coactus, & ipsa Moschorum turma hostiliter humiliata, atq; more prędonum repulsa ad patrias redire habitationes, ea memoria cladis accepta, vt Danorum persuasione nũquam dominia Regis Suetiæ, aliena stimulatione, vel proprio ausu præsumpserit impugnare. Vtcunque se

Ioannes Danorũ Rex.

Christina Regina.

res habet, cùm Daniæ regnum paruulæ telluris angustiis (teste Saxone) clauditur, importunè, & asturè prouidere solet, vt amplissima vicinorum regnorum Suetiæ, Gothiæ, & Finlandiæ dominia multorum Principum confœderationibus & auxiliis vsurpare possit, præcipuè Moschouitarum, seu Ruthenorũ ex Oriente, Scotorum & Gallorum ex Occidente, & Germanorũ ex Meridionali plaga: quæ nationes simul coniunctæ, in Sueriam subiugandam venientes, citius tumulum inueniunt, quàm triumphum.



De specu horrisono, Smellen vulgariter dicto. Cap. 4.

Visum est superiore capite, glaciei tantam inesse fortitudinem, vt equestres, pedestresque bellatrices turmas facillimè sufferre possit. Iamque intuendum erit, specum subterraneam esse prope littoralem vrbem, Viburgum appellatam, eisdem Moschouiticis terris plurimum vicinam: quæ eius secretæ virtutis est, vt animali viuo in ipsam proiecto, tã horribilis sonus excitatur, quòd sua excellentia aures propè positorum suffocat, ne audire, aut loqui, vel stare possint: qua virtute multò plures, quam vehementissima bombarda interimit, vel debilitat in momento. Sed neque hoc naturæ opificium videtur esse ociosum. Ingruente enim hostilitate præfectus terræ iubet omnium aures concludi cera, cellariisque, ac antris abscondi

ſcondi victuros:& demum ſe muniẽs, animal aliquod vel haſta,vel fune præcipitat in os ſpeluncæ: vnde tam horridus excitatur ſonus, vt hoſtes obſidentes in circuitu, quaſi mactanda pecora collabantur, lapſique (ſi incolis viſum eſt) longo interuallo remaneant ſpoliandi. Sed nulla voluptas vltionis ſumendæ victoribus ineſt, quando naturæ potentia tam fortiter opprimi videntur inimici: qui mox vt ſenſum ceperint, non preliandi, ſed fugiendi tempus aſſumunt,ne ſono iterum excitato, tandē moriantur,vel mortifera ægritudine contracta, paululum etiam fugientes ſuperuiuant. Quo caſu euenit, vt qui armis & viribus à bellico furore reprimi non poterunt, ſolo terrore mugientis naturæ tabeſcunt, priſtinum vitæ robur tardè vel nunquam recuperantes.

De eodem. Cap. 5.

MIſerandum & infelix huius calamitatis exemplũ plus cæteris hoſtibus Rutheni ſeu Moſchouitæ multis millibusſuorũ amiſsis,quãdoq; ad poſteros reliquerunt, ne vicinas gentes, maximè Finnos ſuperba multitudine gratis opprimere pergãt. Hi etenim Finni & mutuis præſidijs, & Gothicis ac Sueticis armis, magicisq; artibus, & elementorum ſecretis viribus ſeſe,ſuasq; terras inconcuſſe ſeruare ſolẽt. Huius autem ſpecus ratio vndecunq; conſtat, à prouido ſemper viro dirigi,ac cuſtodiri debet,etiam intra plures, vt hîc cernitur, circũpoſitos muros:quia eius, vt aliarum rerum ſecreta natura in maxima potentia ſita eſt.

De prælijs Finnorum contra Moſcos. Cap. 6.

QVemadmodum ampliſsimus ac potentiſsimus eſt principatus maximi Ducis Moſcouitarũ, ac Ruthenorũ, ita & titulũ ſuæ ditionis amplificat, & extendit,prout literæ eius nouiſsimè per quendam Demetrium Clementi Septimo trãſmiſſæ, atteſtantur in hunc modum:Magnus Dñs Baſilius Dei gratia Imperator,

Titulus hic in chartis maiorem locum occupat, quàm extendatur eius dominatus.

rator, ac dominator totius Russiæ, nec non magnus Dux Volodemariæ, Moschouiæ, Nouogrodiæ, Plescouiæ, Smoleniæ, Isseriæ, Iugoriæ, Permniæ, Vetchæ, Bolgariæ, &c. dominator & magnus princeps Nouogrodiæ inferioris terræ, Cernigoniæ, Razaniæ, Volotchię, Rozeuiæ, Belchiæ, Roschouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæq́;, &c. Datum in ciuitate nostra Moschouia, anno ab initio mundi millesimo tricesimo septimo, tertio Aprilis. Verũ hunc titulum tam magnum & amplum, vicinæ nationes plus mirantur, quàm eius vires formidant, maximè Finni, qui sæpius prouocati, non desinunt tam potentibus eius titulis & populis insidiari. Sed non tam frequenter in cãpis (nisi asperrima hyems fuerit) quam aquis in plurimos amnes lacusq́; diuisis: verùm vt plurimum latrunculi sunt pro vtraque parte ardore (vt supra dictum est) rapiẽdi prælantes. Sed neq; ob hanc minutam rationem principes Aquilonis in apertam hostilitatem ruunt.



De modo latrocinandi Moschorum. Cap. 7.

RVtheni, seu Moschouitæ, quàm perniciosam in piratica, seu latrocinandi studio peritiam, ac astutiam habeant, paululũ suprapofita figura declarat. Dum enim Carelos, siue alias vicinas gentes latronum more inuadere prædisponunt, societate congregata, atque certis legibus & pactis instructa, lembos abietinos lõ-

gos

gos ac leues, 20. aut 25. hominum capaces, in solitudinibus diligentius asseribus planis & subtilibus fabricāt, eo videlicet ordine, vt pars dolabris eos cauet: pars picem in subterraneis specubus (ne fumo prodantur) ex pineis stipitibus, aut scandulis concoquat: pars cuspides iaculorum, vt indurescant, adurat: pars arcus & neruos, sagittasq; adaptet. Pro omnibus enim similibus instrumentis materiam aptissimam habent solitudines illæ. Quibus videlicet lembis paratis, pariter eos in aquas velut classem latrunculi immittunt, & armis instaurant. Deinde vicos, villas, castella, nauesq; onerarias in albo lacu, vel Venedico sinu, vel Liuonico mari sub anchoris stātes, spolia rapturi aggrediūtur. Nec bona spoliasse, aut diripuisse contenti, sed etiam innata crudelitate, sine quocunque discrimine & discretione, homines talibus ingeniis superatos, in gurgitē mittere suffocandos satagunt.

De eodem. Cap. 8.

TAliq; prosperitate freti adeò insolentes euadunt, vt naues maiores marina trāquillitate retardatas, circa tabulas aquis viciniores, obterebraturi, aggredi et molestare nō formidāt: sagittis enim, ne supernè à propriis defendantur, nauigia satis acriter auertere contēdunt. Attamen rarissimā pro tantæ præsumptionis audacia victoriam consequūtur, quia tormentis, ballistis, & iactilibus saxis frequentius repellūtur. Deinde dum consyderant se non satis diu post illatam violentiā, & rapinā inter homines afflictos permanere securos, aut vlteriori omnium dispēdio publicam exercere piraticam, lembos humeris impositos, in abdita syluarum referunt, quorum secretiora loca intimius cognoscūt: vt rursus eisdē pro similibus latrociniis exercendis, opportuniore tempore vti possint, interim præsidia in nemoribus firmantes, vt in his tanquā secretioribus heremi locis, spoliorū abundantia se nutriant, ac armis tueantur. Verum vti facinus eorum horridū est & perniciosum, ita promptissimos vindices illicò inueniūt in sui vltionem. Venatorum nanq; diligentia & sagacitate primùm

Lembi portantur humeris.

mùm latronum ſylueſtria preſidia explorantur: deinde turmatim exeunt populi furiis armis induti, hoſtium vires vſq; ad extremam internecionem deleturi. Neq; tamen id ſine cruenta victoria venit, dum latrones ſceleris conſcij, pro vita tuenda quaſi agonizantes decertant. Ad extremum tamen viribus fracti, partim ad montium antra, partim ad terrarum cauernas, partim ad denſos arborum ramos ſcandendo ſe recipiunt, eò ſecuriores ſe putantes, quo ſecretiora hęc loca anteà ad tantum facinus perpetrandum prælegerant in ea ſolitudine vaſta. Sed Dei vindicta exigente, neque eo modo aut loco vitam aut immunitatem merentur, qui tam diris cruciatibus innocentes opprimere conſueuerunt. Omnes enim ſine vlla clementia lembis & præſidiarijs ædibus impoſiti, comburũtur. In cauernis verò & antris laritantes, grandibus admotis ſaxis & palis, vim prolixiori fame relinquũtur interimendi. Qui denſis arborum frondibus ſe tutos opinantur, latratu canum proditi, niſi de vita redimenda paciſcantur, mox ſagittis opplentur, vt decidãt in terram morituri. Nec alia apud eos efficacior vis eſt inueſtigandi ſylueſtres graſſatores & fures, quàm odoratu & latratu canum venaticorum.

Piratarum pœna.

De modo recipiendorum Oratorum apud Moſchouitas. Cap. 9.

PErhibent nonnullæ Septentrionalium regnorum veteres hiſtoriæ, quoſdam Principes Moſcouitarum miris præſtigijs Regum & Principum legatos excepiſſe, atque adhuc excipere ſolere. Siquidem elegerunt, nuncque pro tempore ex plebeia multitudine quàm plurimos proceriorìs ſtaturæ viros, inſigni canitie, & prolixioris barbę forma ſpectabiles, elegantiſſimo cultu, veſtitu ſcilicet Principis, eos exornãtes, eligunt, vt in ampliſſimo nobilium cœtu hinc inde cum ſilentio ſedentes, ſui ornatus ſplendore, & multitudine oculos perſtringant ingredientium oratorum: qui tanto apparatu faſcinati, aut territi, nihil auſterum proponant, vel propoſitum communibus eorum ſententijs

Mentita nobilitas.

tentijs annuant concludendum. Sed is apparatus, vti mentitam magnificentiam cõtinet, ita & frequentius in suo exitu vilescere iudicatur. Longè etenim ab ea æstimatione aberrant, quam se putauerant consecuturos. Nam expeditioribus legatis, qui latius arduis deductis negotijs penetrauerant orbem, totus ille splendor præstigiosusque cultus, contemptibilis apparet, & pudendus. Præterea mos est apud Tartaros, vt legati, antequam eorum Imperatori commissa proponant, inter duos ignes ire cogantur, ea potissimum causa, vt si venenum portauerint pro intoxicando Principe, ardore ignis in portatorum necem prius dissoluantur. Noluntque aliter eosdem legatos audire, nisi munera ferant, flexisque genibus commissa loquantur, cætera que cælicolis debita, homini mortali impendant: & hæc facere recusantes, vix sine vitæ periculo absoluuntur. Vt autem hic ritus recipiẽdorum legatorum apud Moscouitas, clarioribus ostendatur exemplis, inserendam esse volui Serenissimi Regis Poloniæ legationẽ, anno Domini M. D. L I. ad Ducem Moschorum, ordine quo sequitur, institutam. Orator Regis Poloniæ Matthæus Barthlomieuicza Kneze Gedtoitzki, vir nobilitate insignis, per milliaria Germanica cc. à Vilna ciuitate celebriori Lithuaniæ, ad Mosquam Moschouiæ metropolim perueniens, ingressurus consummato prædicto itinere, aliquot equitibus ad hoc à magno Duce destinatis susceptus est: ac posteà paucis diebus elapsis, ad tradendum Regias literas solenni pompa (vti Moscouitis visum est) in arcem per duo atria, quæ homines proceræ staturæ, ac prælongam barbam nutrientes, & plerunque seruilis conditionis, in subsellijs orbiculatim sedentes, splendidisque satis amictos vestibus, ad magnum ducem pertinentibus, vt posit solummodo ex longinquis oris venientibus ostentare suæ aulæ magnificentiam, continebant: ad palatium tandem, in quo magnus Dux vnà cum suis principibus, etiam eiusdẽ formæ indutis vestimentis, morabatur, introductus est. Magnus autẽ dux in sella aliqua, ab alijs principibus multum separata, longa talari tunica ex serico villoso, cuius extremæ oræ margaritis vnioni-

Moneat cornicula risum.

Legati Tartarorum.

Legatio Regis Polon. 1551. ad Ducem Moscho:

Mosqua.

vnionibusq; prætextæ, indutus sedebat, ac scipionem, siue baculum, superiori ex parte inauratū, inferiori verò, argento inductum, cui innitebatur, manu tenebat: deniq; capiti suo mitra (quod illi sua lingua Kalpack appellant) de præstantissimis subnigris vulpinis pellibus (quæ istis in terris maximo in pretio sunt, longeq; superant zebellinas pelles, quoad æstimationem) imposita erat. Quando autem legatus palatiū ingressus est, illicò qui eum addnxerant, ac magno duci præsentabant, in pauimentum coram eo se prosternebant, ac capite terram terque quaterque (quemadmodum Moschouitis moris est, hoc modo reuerentiam supremam suo Domino exhibere) quatiebant. Verùm oratori ad fores distantia L. pedum à magno Duce, vnà cū famulis suis, quorum 12. cum illo aduenerant, consistere, per procuratorem sibi (quem illi Prziſtavv vocant) constitutum, iussu magni Ducis iniunctum est, nec propius ad eum progredi permissum: ibique, donec ad magnū Ducem orationem haberet, ac Regias literas secretario ad hoc destinato traderet, perstitit: cuius quidē Regis literas, Orator magni Ducis, aliàs dū in Polonia esset, quòd suum dominum Czar Ruski (hoc sonat Cæsarē Rusiæ) à Metropolitano istius terræ sic creatum, minimè compellarent, atque hanc ob causam idem dux proprinm oratorem postmodum misisset, recipere recusarat. Posteà dictus Regis Poloniæ Orator à procuratore iterū in hospitium satis magna pompa, ostentandi gratia deductus est. Hæcque de modo recipiēdi oratores apud Moschouitas, sufficiant.

Moschorum Dux appellari vult Cæsar Rusiæ.

De Italico Oratore crudeliter occiso. *Cap. 10.*

INsuper Albertus Crantzius Historicus Germanorū insignis, in sua Vandalia asserit, Oratorē Italum, eò quòd caput suū totaliter coram Principe Moschouitarum verba facturus nō nudaret, crudeliter fuisse interemptum. Cum enim orator patriæ suæ cōsuetudinem (qua nullius dignitas vel maiestas tecto capite orātis offendi putaretur) allegaret, efferus Princeps ferreo clauo te-

Scomma crudele.

uo tegumentum cerebro coniungi iussit, irrisoriè afferens, se ritum huiusmodi tali memoria non violaturũ, sed confirmaturum.

De ingenio negotiatorum Moschouiæ.

Cap. 11.

NEgotiatorum Moschouitarũ mos est, nouas scilicet diuersis occurrentibus stagnis, & fluminibus fabricare naues, & merces eisdem immittere comportandas. Iter enim quæstus causa in Septentrionalibus terris institutum, ad ccc. vel cccc. leucas se extendit: in cuius spatio cùm syluæ atq; longi amnes, vel lacus frequenter occurrũt, comportatis rebus, nauibus iam fabricatis aut fabricandis vtuntur. Nec est qui de iniuria, aut incisione syluarum, vel piscatione talium mercatorum querulatur, modò vltra hæc naturæ dona alia non vsurpauerint, pattonis ignorantibus aut inuitis, veluti iumentis pro eorum nauibus pertrahendis, aut edendis pecoribus: loco quorum carnibus ferinis inter itinerandum sagitta quæsitis, abundè vtuntur. Merces autem eorum sunt pelles pretiosæ, & omnigenæ sortis apud eos in pretio, videlicet zebellinæ, mardurinæ, & varolinæ, aliàs vulgari Italico Dossi dicti: de quibus superius ac inferius nonnihil est annotatum, & annotandum. *Pelliũ pretiosarum magna mercatura in Moscho.*



De diuersis modis præliandi Finnorum. *Cap. 12.*

CVm apud Finnos, seu Finlandos populos Septentrionales, ob eorũ nimiã ferociã grauibus pœnis

O seu

Arma bellica domi Finnis interdicta sunt. Seu cēsura Regia edictum sit, ne domi in mutuā perniciem bellicis armis vtantur, videlicet lanceis, telis, iaculis, gladijs, aut pugionibus oblongis: attamen securium, dolabrorumque vsum pro domestica necessitate leuanda omnimodè permissum habent: quibus etiam conficiunt structuras admirandas. Verùm ne defensoris armis, quibus sese à Moschouitis latrocinantibus nimium vicinis, opportuno tempore defendant, carere videantur, hastatis fundis primos insultus sufferunt, aut repellunt. Deinde cominus certaturi, iactilibus saxis cingulis eorum alligatis se tuētur. Fortissimi enim sunt brachiorum, atq; plurimum iaciendo experti, ita vt nullus frustra pereat iactus. Habent etiam longissimas hastas abietinas, sole arefactas: quarum cuspides clanis, vel sudibus acuunt. Hique velitum, seu leuium eqnorum impetum primi repellunt. Quidam restibus instar retium ferinorum ductilibus sublimi iactatione vtuntur. Vbi enim cum hoste congressi sunt, inijciunt eos restes quasi laqueos in caput resistentis, vt equum, aut hominem ad se trahant. Quidam etiam lapide pugillaris quantitatis funiculo quatuor palmorum longitudinis (quibus ferrei, vel plombei globi, vel catennlæ ferreæ non sunt) baculo alligato equitum brachia, vel equorum pedes inuolunnt, trahendoque in casum repentinum retorquent. *Canes Finnorum in bellis.* Nec minus eisdem Finnis adiutorio sunt maximi, ac mordacissimi canes: quos non minus equi Moschouitarum horrent, & fugiunt, quàm Persici equi camelos. Hi etenim canes saltu, & morsu (prout disciplinati sunt) naribus equorum insidiātur: quo euenit, vt ea formidine subitò se in posteriores pedes erigant, equitem abijcientes, ilicò interimendum vel captiuandum.

Adhuc de eorundem armis, & munimentis. Cap. 13.

Thoraces Finnorum. VTuntur & ijdem Finni pro corporum munitione, partim thoracibus è corio phocarum calce macerato, partim corio alcium iubato: quod superfusa aqua (si hyeme bellandum sit) congelari permittūt, nec glacies pilis forinsecus adhærens, sudoribus portantis

tantis à concepta duritia relaxatur. Galeis quidam eorum instar squamarum piscium, ex vngulis alcium siue rangiferorum, aut boum ingeniosè connexis vtuntur: quidam verò certarum volucrum exuuijs intrinsecus filis ferreis diligenter contextis: quidam coriarijs galeis ex spissa, humidaq; cute calce decocta, super ligno ad formam capitis contracta, eaq; aëre sensim siccata, tutissimè muniunt caput. Verùm galeas huiusmodi, ne capite incalescente flaccescant, subtili cortice arboris populeæ intus piscium visco (qui liquoribus resistit) confirmant. Finnorum.

De præfectis Septentrionalibus Regis Suetiæ. Cap. 14.

QVemadmodum superiùs dictum est de præfectis Islandiæ, id est, terræ glacialis, qualiter edicto Regis Noruegiæ iura reddendo, lites pro portubus illius terræ motas auerterent, aut inter mercatores Germaniæ flagrantes, iusta pœna corriperent eò nauigantes, ne vel ipsi negotiatores legitimo quæstu, vel ipsi incolæ suo commodo, vel ipse fiscus debito tributo, & omnes amœna commutationis pacificæ societate priuarentur: Ita & in his Finnonicis terris populosissimis & opulentis, Regis Suetiæ præfecti, viri sagaces & prudentes, strenui, & māsueti, vt iurgia tā indigenarū, quàm alienigenarū recto iustitiæ tramite auferant, & pacem vnicuiq; adiudicent, cōstituuntur. Quātò enim ferociores, austerioresq;, eo sub climate reperiuntur populi (prout reuerà sunt) tātò prudētioribus viris opus est, qui magis suadeant (salua iustitia) quàm rigidè cogant, spolient, vel tormentent: eoque casu nedum præscripta tributa alacriter exhibent, sed ad quæuis imperata, etiam si periculis mortiferis annexa sint, vt eis obediant, sese prōptissimos reddūt. Talibus præfectis prudentibus, iustis & moderatis, semper floruerant Aquilonaria regna cū Regibus & principib' suis, vt suauiter recordari congruit antiqui Stenonis Sture, xxiiij. annis durissimū populū spatio bis mille Italicorū miliarium strenuè & pacificè moderantis, & rursus Regis Caroli ob auaros, contumeliosos, ac violētos omnium suarum prouinciarum præfectos, vij. annis exulantis. Sten. Stu.

De arcibus violentorum præsidum comburendis. Cap. 15.

RVricolæ seu communitates, sentiẽtes se quandoq; incessabili violentia ab iniquis præsidibus præter omnem æquitatem vexari, ad amaritudinem prouocari, fortissimas artes ampla glacie circũdatas, cohortibus ac turmis, quasi vir vnus, modo quo sequitur, aggrediuntur debellandas. Quoties enim in Septentrionalibus regnis intolerabilia vulgi onera (nulla exigente necessitate) vel aliæ crudelissimæ oppressiones inducuntur, toties vi publica armorum grauaminibus tam atrocibus perpetuè infringendis obuiatur, ita videlicet quòd incolæ, seu rustici (qui semper potentes, & vniti ibidem sunt) huiusmodi fortalitia demoliturí, condicto tempore plura millia eiusdem territorij in sylua, ac glacie arcibus viciniore conueniunt, communi ferocia repentè quid faciendum sit consulentes, & concludẽtes. Inter quos viri acrioris ingenij, breui exhortatione ad multitudinem furentem super passis ac patiendis grauaminibus exposita, vnicuiq; agmini subductoribus seuerioribus officia distribuunt opportuniora: alijs, vt machinas fortissimas ac altas, subitò è lignis super glaciem construant: alijs, vt multa millia fasciculorum penes eos è sylua excisa comportẽt: alijs, vt magistros operis, ballistis & armis per excubias à tyrannicis incursibus tueantur, donec omnibus paratis, vnanimiter institutum negocium aggrediãtur, quo fit, vt primum machinas, siue propugnacula, cõtra hostium tormenta, vel sagittas securissimè antrorsum in lubrica glacie trudant, manipulatimq; fasciculos infinita multitudine & humeris & vehiculis congestos, super muros & mœnia iactent, donec eorum altitudine vel superata, vel æquata, ignibus immissis flamma, & fumo absumantur inclusi: qui neque periculum hoc auertere, neque sese ob immensam combustibilis materiæ molem defendere possunt, aut æquis conditionibus apud inexorabiles, & furiosissimos hostes inuenire: neq; fugere cõceditu, ob multitudinem ad omnem cędem, & truculentiam excitatam. Nec aliter quã stupa exardescens, comburũtur hæc fortalitia: quæ incendijs

cendijs obnoxia sunt. Maiori enim parte non laterè co-ꝑcto, aut campestribus saxis, sed ex densis syluis (ob arcendum frigus) coagmentatis lignis concamerata ædificia constituuntur, prout infrà dicetur de domibus Aquilonarium regionum.

...runque ligneæ sunt Septent.

De machinis glacialibus. Cap. 16.


Vtuntur etiam Gothi ac Sueci in aggrediendis diripiendísve fortissimis arcibus, castellis & vrbibus, machinis seu propugnaculis obliquis, è trabibus abietinis validissimè fabricatis: quas quidem machinas facillimo compendio super ipsam glaciem impetuosa manu admotas, mœnibus opponunt, earumque præsidio muniti, omnem saxorum, trabiumq́; iactum, directè vel supernè emissum, ne noceat auertunt. Nihil enim vel altitudinis impetu, vel grauitatis impulsu, quantumcunq; violenter demissum fuerit, machinas ipsas propter earum obliquitatem infringere vel dissoluere potest, imò nec ignibus immissis ab obsidione clausis comburi: quia continuè aquam in vehementi frigore desuper effusam, spissius congelari procurant, paulatimq́; propinquius ad portas & mœnia, vi armata protrudunt, ac turmis militaribus firmant, eadem ferè sub machinis & castrensibus præsidijs vtentes cōmoditate, qua perfrui solent viatores in glacialibus casis, vbi pro frigoribus arcendis copiosa suppetunt ligna, itidem & commeatus sufficientes ac stipendia liberaliter distribuenda: & ob id atrociorem obsessis inferunt difficultatem. Quo viso trepidum militare agmen obsidione clausum, intra muros & mœnia acrius se tueri compellitur, dum nullus insidiarum locus, prō conficiendo vel abigendo hoste, vndiq; attentatus occurrit. Non enim combustibilibus fomentis hostiles machinas propter circundantem glaciem comburere possunt, nec dolosis cuniculis ob terram saxea duritie congelatam erumpere, nec bombardis, aut tormentis minimo saltem loco hostes conficere, vel sagittis aut fundis deturbare, nec aperto cōgressu eisdem tutè resistere, nec arcibus relictis syluarū latebras ob asperrimū

gelu fugiendo recipere. Constantibus tamen armis, & animis ijdem inclusi sese defendunt, donec obsidentes formidine glaciei resoluendæ, machinas ipsas aut spõte combnrant, aut longè remotius in littora fugientes secum abducant. Neq; sic ab eorũ atroci impugnatione securi reddũtur obsessi. Machinas enim easdẽ subitò in latissimas rates conuersas, eodem loco super apertas aquas, quo aliàs in solida glacie steterunt, facillimè reponunt, aut finunt eas maiori super inducta amplitudine in ipso gurgite liquefacta glacie firmiter permanere, additis lembis, seu lyntribus, alioque nauigiorum genere, quo peritissimi sagittarij rates huiusmodi valeant defensare, & nocturnas vigilias, ne quisquam obsessorum euadat, diligenter obseruãte. Idemque faciunt campestribus propugnaculis vbiq; præsidentes. Pari enim atrocitate persequuntur obsessos, quorum impia crudelitate ad tantnm vindictæ ardorem diutius fuerant prouocati. Quo fit, vt pro maiori parte tam duris custodijs cõstricti, sæpe imaginentur an gladio, an laqueo, an aqua, an igne, an præcipitio, an veneno, an mutuo iugulo seipsos occidant.

De vehiculis igniferis. Cap. 17.

CVM Gothis ac Sueonibus glacialis pugna per equestres, vel pedestres turmas à Moschouitis, Danis, Germanis, vel internis hostibus intẽtatur, ijdemq; hostes diutius ad vim inferendam suas munitiones in faucibus montium, vel vallium collocare disponunt, vnde irruptiones faciant in regnicolas, qui pro sua defensione simili proposito in armis cõgregati, ne eisdem hostibus, tãtillulnm digrassandi spatium temporis, vel locum concedant, ingenijs & viribus vtuntur opportunis: tunc vehicula oblonga aridis sarmentis, & cæteris combustilibus materijs replent, vt aterrimum fumum, intolerabilemq; fœtorem igne, directorum audacia accenso, attractuq; equorum syluestrium, & furiosorum inimicis opponant: idque celerius committitur: quò collateraliter equi ligati ardore ignis retropositi stimulantur ad cursum, nec currere desinunt, donec hostilem

hostilem acie turbauerint, vt vel eo loco, vel alibi à latere armatis incolis imperuosissimè insultantibus cedant, vel eosdem fugam simulantes, quasi certi victores insequanrur, vt sic educti dispersiq;, potius secretis glacierum voraginibus, quàm armatorum insidijs interimantur. Hisq; ex alijs syluarum angustijs (si opus fuerit) agminatim populus erumpens, ballistis, & relis armato hostium certamini sese immittit, & opponit, nec persequi cessat, donec hostem abegerit seuerissima vltione. Glaciales verò hæ pugnæ, vbi fieri soleant, aut in quibus lacubus, aut locis, sequentibus capitulis diffusiùs ostendetur.



De bombardis, ac globis euehendis, & modo sagittandi. Cap. 18.

HAc imagine satis apertè ostenditur, quibus ingenijs & artibus Septentrionales populi in promouendis prælijs, siue super campos, siue super glaciem, intrepidè aduersus inimicos iniuria vexati vti consueuerunt. Cernuntur hîc vehicula (sic enim hyemalia, seu glacialia plaustra vocantur) oblonga antrorsum ob maiorem flexibilitatem & agilitatem cuneata, seu incuruata: quorum ranta commoditas, & firmitas est, vr obiectos viarum gibbos, siue tumentes glacierum, aut niuiũ colliculos, vno vel pluribus equis trahentibus, plus oneris ponderisve sustineanr, quàm 5. vel 6. rotati currus in itineribus complanatis & cõmunitis. Tamen vno potius vtuntur equo in lubrica


glacie, tritaq; niue, quàm duobus, vt occurrétibus plaſtris in vijs ſtrictis, parumper declinando cedere poſſint, imò propter altitudinem niuium totum vehiculum (lege pœnali conſtituta) & grauiora plauſtra, euertere teneantur. In glaciali autem itinere ob infinitam latitudinem nulla difficultas occurrit, niſi in certis rupturis glacierum, vehementia inferioris exhalationis, quaſi vi tonitruorum, ob pinguedinem fundi cauſatis. Dico quaſi vi tonitruorum, quia tãtus ſonus, tamq; horrendus mugitus ſubtus glaciem longo tractu veluti in lateribus denſarum nubium hincinde auditur, vt neceſſarium ſit quaſi fulgurum vehementia generari ſciſſuram vnius pedis, duorum, trium, vel ſex, in amplitudine exhalationis impellentis, & ſpiritus à fundo excitati.

Horrendus ſub glacie mugitus.

Adhuc de eodem, & modo penetrandi rupturas glacierum. Cap. 19.

QVas quidem rupturas vt pertranſeant viatores, ſubitò ex obliquo latere integras partes glacierũ repertas, dolabris & ſecuribus adaptant, & reponunt, quaſi pettas redactas in pontes. Si verò iumẽtum non præuiſa ruptura in vaſtis tenebris immerſum fuerit, tunc ilicò chordis & lignis ſubtilibus, ſemper comportatis, aſſueta agilitate extrahitur viatoris. Si verò homines inter glacies (vt ſæpius accidit) inciderint, mox eruti iucunda memoria proſequuntur adiutores. Nec terrorem exinde concipiunt, quòd ilicò circunſtante frigore glaciantur in veſte: motu enim, curſuq; continuo cauſante, celerius reſtituitur calor. Igitur in his vehiculis rempore glacialis prælij commeatus, globi, pulueres, ac alia ad vſum præliorum neceſſaria, conſtituto laboris pretio ab incolis facillimè comportantur, quemadmodum æſtate vſu nauigiorum in eodem maris, vel aquarum ſinu, vel curribus rotatis, induſtria aurigarum, vel nautarum fieri ſolet, imò vehicula hæc in maximo numero multiplicata, veluti propugnacula, aut aggeres ipſis hoſtibus opponuntur (velut carri in Cimbricis bellis) ſagittæq; arcuales, vel bombardales,

bardales, ex ijs in hostem facillimè excutiuntur, donec vel interposita pace, mutua concordia abeant, vel timore glaciei resoluendæ præproperè cedãt, aut in pertinacia perseuerantes, velut plumbum in aquis vehementibus demergantur.




De impedienda aquarum congelatione. Cap. 20.

MVnitissimæ ciuitates, & arces hyberno tempore dum omnia loca inuia ac peruia glacie constricta sunt, arcta obsidione premũtur, quæ aliàs æstiuo tempore quasi insuperabiles & inaccessæ videntur. Quocirca monstratur hac tabula, quomodo se muniunt, qui talibus angustijs & periculis sunt subiecti. Imminente igitur publica vel priuata hostilitate, si loca sita sunt in medijs aquis fluuialibus, vel stagnatis, valde solicitè sunt inclusi, vt dolabris, ac ligonibus in modum circundantium fossarum aperiant glaciem, ad minus spatio xxiiij. vel xxx. pedum glacialia fragmenta introrsum trahentes, vt super glaciem relicta, aucto gelu & frigore, in modum aggeris congelentur: eaq; aper tura confecta, mox pinguedinem balenarum, phocarum, vel vitulorum marinorum infundunt, hastisque sufficienti, & magna quantitate infusum commouent & dilatant. Quò fit, vt aquæ sic congelatæ, hostibus spem adimant, ne propius accedentes diu cupita victoria patiantur: imò sæpius euenire consueuit, vt prius glacierum voragine, temerario ausu & accessu suffocati in-

Pinguedo vitularum marinorũ prohibet aquarũ constrictionẽ.

ti intereant, quàm conſpiciant vel accedant obſeſſos vel obſidione claudendos; nō quòd glacies ipſa in profundo lacu, vel flumine debilis ſit, ſed eo forſan loco audax & minax inimicus agreditur, vbi labentibus è littore paludinoſo riuulis, glacies ipſa ſubtus exciſa ſit, & debilitata.



De mœnibus glacialibus. Cap.21.

EST preterea alius in obſidione glaciali ſeruatus vel ſeruādus muniēdi modus, is videlicet, vt cùm pertinax hoſtis, equis dimiſsis, vel voragine aquarū perditis, aperturam aquę foſſę pinguedine prædicta (ne congeletur) impletam, trāſire velit, trabes longiſsimas ſuprapoſitis tabulis, ſeu aſſeribus in modū ampliatæ ſcalæ connexas, nocturno preſertim tempore, impetuoſius quàm poterit per aquas, verſus obſeſſos vel obſidēdos, vt marginem glacialem penetret, præcipiti ſeruato curſu inruudit, quaſi ſolido ponte vſurus. Contra quę impetum, vbi ſagittarum, bombardarumq́; reſiſtentia, prę nimia hoſtium feſtinatione ac ferocia non attenditur, tūc incluſi, aquas ſuper mœnia atq; ad latus infundūt, quę ſubitò magis magisq́; adaucta, aſperrimo gelu cooperante, longiſsimo vrbium tractu veluti ſpecula cōſpiciūtur: quæ mœnia vti ab imbellibus fœminis, pueris, iuuenibusq́;, multiplicatis & apportatis aquarum vrnis, hyeme & glacie cōſtricta ſunt: ita & frigore durante

rante quemcunq; globorum iactum infracta fortitudine sustinere non horrent. Mulieres etiam subductis supra genua vestibus, inter glaciatas aquas porrigunt vrnas aquarum plenas. Ita in angustia inuentionis necessitas cogit omnia audere, & attentare. Sed dum homines huiusmodi stratagematibus inter se dimicant, finē tandem, quem Deus voluerit, vel vna, vel altera pars, etiam noua suborta difficultate, consequetur, licet non incruenta victoria, quæ tot trophæis quot funeribus, inuicta cohorte bellicis cincta legionibus conquiri solet. Itaque suspensis super glaciem machinis, tam foris quàm intus constituti, ad complusculos dies, septimanas, vel menses mutuò conflictu sese molestant, donec resoluenda glacies indomitos obsidentes (si propriam vitam seruate voluerint) celerius abire, quàm aliàs aduolanere, compellat. Dignum risu spectaculum (si cui in tali casu ridere vacaret, & alienū periculum, & turpitudinem spectare voluptati foret) præsertim vbi maius certamen contra aquas, quàm arma subeūdum erit: quòd etiam eò terribilius adesse, & vrgere dignoscitur, quò repētina suborta tempestate, & rupta glacie, quasi in abyssum dimergi videntur, vbi paucis anteà diebus instar triumphantium victorum aggredi & ingredi continuò credebantur.

De glacialibus excubijs, & nocturnis. Cap. 22.

ARcium & ciuitatum, castrorumque obsidionem Aquilonares armati milites, tam equestres, quàm pedestres, in campis, vel aquis solidissima glacie rigentibus seruaturi, vigilias longissimæ noctis, viginti ferè horarum, in medium diuisæ, diligenter attendunt, atque custodes mutant, non cornibus, aut campanulis, quasi dormitare videantur personantes, sed signis secretis retentis, vt nocte aliunde accedentes ex verbo responsionis vnde, & qui sint, intelligere queāt: quo verborum signo forsitan per obliuionem amisso, non secus ac proditor à Principe (si ius militare extendi debeat) in vita, vel bonis omnibus condemnari meretur: quod adeò rarissimè euenit, vt pro portento reputandum veniat, si quispiā ea negligentia inculpetur.

Noctes viginti horarum.

Sed

Sed maior vis est in equorum impatientia, propter frigus, quo stridor pedum in collisione glacierum, vnde sonus excitur altior, continuè causatur: vbi sessores armatos, etiam pellibus indutos, in frigore portant, licet hi peruigiles, exsomnesq; custodiunt commissam stationem: eoq; diligentius & cautius, quò nox progreditur ad auroram circa quam violentiores cōmitti solent insidiæ, dum humanæ vires stupore, somnoq; grauiore ligantur: tuncq; insidiatores omnium temporum quasi ex constitutis articulis sunt attentiores.

De fortunatioribus prælijs matutinis. Cap. 23.

Mos igitur fortissimorum militum est in diluculo obequitare, aut in classe naualiter pugnare, nec grandinum, nebularum, pruinarum, niuium, frigorum, nec hostium expauescere iniuriam: & hoc non tantùm Principis charitate, sed æmulatione fortium virorum dura quæque pati, & iureiurando statuere ac firmare, sese nullo terrore locum deserturos, pœna addita. Si eques discesserit, nedū armis, & equo exuitur, sed & legali fama, honore, ac fideli existimatione priuatur, imò & circunstantijs ponderatis, grauissima pœna multatur. Si pedes, certo plagarum numero cunctis aspicientibus castigatur, pœna nihilominus perpetuæ infamiæ penes vtrosque, quasi cicatrice indelebili, remanente. Si verò fortissimè pugnando, vel constantissimè stationem seruando, adustione frigoris perpetuò debilitatus fuerit, tunc vnicuique iuxta qualitatem honoris, & generis, liberale subsidium, quo in reliquum tempus commodissimè viuat, more veteris militiæ deputatur à fisco: quod & Principis munificentia fauorabiliter ampliatur. Pro remedio tamen adusti corporis in frigore, vtuntur medicina speciali, cinere scilicet combustæ pellis leporinæ, quo applicato optimè linitur infirmitas pedum: de quo etiam aliquid de medicinis simplicioribus Aquilonarium gentium infrà dicetur.

Pœna excedentium prælijs.

Præmia fortium.

De op-

De oppugnatione arcium in glacie munitarum. Cap. 24.

EST & alius pugnandi modus super glaciem valdè tritus & vsitatus in Septentrione. Vbi æstatis tempore ob aquarum voragines, accessus hostilis intentari non posit, orto demum immenso frigore, glacieq; concreta, vltionem contra arces immanium præfectorum assumere volentibus, in glacie lubricissima, castra seu munitiones imponere, facilimus offertur accessus: in quo non segnius in arcem & hostem emittuntur sagittæ, quàm si in campo fortissimo firmata præsidia forent. Vbi verò arx est insularis, admotis machinis, quadrato agmine sine intermissione oppugnari videtur: eoque acriùs proficiunt obsidentes, quò magis vniti fuerit & concordes, vnius scilicet gentis ritus, & mutuæ confortationis: quòd exercitus ex diuersis hominum generibus collectus, sibi inuicem nōdum vel lingua, vel vsu viuendi notus, alter alteri diffidens, efficere fit ineptus: quoniam exinde discordia nascens, fictum aggressum, vel fugam apertam, aut proditionem ostendit, maximè quia tales extranei milites frigoris impatientes, ita assueti non sunt, vt incedere vel accurrere valeant, eminus aut cominus pugnaturi. Longè etenim alia ratio est in glacie, vel niuibus (vt alibi etiam ostendetur) quàm montibus, campis, syluis, vallibus vel arena præliandi. Glacialis congressus fit in laneis calcibus, non pellibus, aut corijs vnctis. Vis etenim frigoris, quodcunq; fit vnctuosum, conuertit in lubricitatem glacialem. Vsus tamen armatorum est, vt tribulis, siue triangularibus ferreis, seu triplicato stylo pro firmiori cursu, vel statione muniantur. Quidam verò præmeditato congressu, vel insultu, in medio noctis silentio cineres super glaciem latè dispergentes, securissimam efficiunt præliandi stationem, aut cursum.

Quæ in primis tenere debeat Imperator.

De oppugnandis nauibus inimicorum congelatis. Cap. 25.

Accidit plerunq; in littoribus Gothici maris, vt inimicæ naues, tam rostratas falces, quàm harpagines aliasq; terribiles munitiones, & noxia instrumenta habentes, contrario flatu diutius vexatæ, repentino gelu superueniente, quasi in muris intra angustias glaciales fortissimè concretæ perstringantur, nec se eruere, neq; transmarina auxilia petere, aut expectare, aut assequi, neq; sociales naues eadem causa tempestatibus interclusas, commeatum ferentes accipere possint. Quare difficultatibus his, vel similibus, præcipuè caristia lignorum in asperrima hyeme constricti, necessitate mortifera vrgente, se dedunt, vel præsentissimam mortem incurrēt. Porrò verò sceleris immanitate (qua inter circumpositas gentes in cædibus, spoliis, & crudelitatibus vltra morem humanum sæuierant) obstante, multoties ad extrema vitæ remedia concurrentes, infatigabili labore in mediis tenebris glaciem confringere studēt, quo fortè succisa glacie interstitio quatuor vel decem miliarium, vel plurium Germanicorū, ad apertum mare euadere possint. Intereà tamen incolarū (ad debellandum, spoliandumq; eos) accedentium sagittis quasi imbribus per aëra sublimius ad eorum nauigia directis & cadentibus, in periculo occisionis velut desolati consistunt: imò frigoris horrore plerunq; mortui, sociorum manu (dum terra sepeliri nequeunt) vrna inclusi, perforata glacie demerguntur in aquas. Vel si nobiles, aut alterius reputationis insignes viri sunt, sine horrore fœtoris quasi ligna virentia, saxea duricie congelari, sociis à periculo euadentibus, ad honestiorē tumulum, ne in hostili terra permaneant, reseruantur. Attamen petitis, & obtentis induciis, si cadauera sua humo sacra recondere poscunt, nunquā eis denegatur, imò nobiles & præstantiores terrarum incolæ adsunt in eorum honorabili sepultura: quod & in campestribus præliis hostilis terræ satis ceremoniosè seruatur. Veluti recentius exemplum est, de quodam potentissimo equite aurato D. Achone Hanson Vestrogotho, anno

Quanta sit Gothis in sepeliendis corporibus religio.

anno M. D. X. in Schoningia haud satis feliciter pugnante, ac lancea veteris sui familiaris Dani transfosso: qui totius terræ nobilibus accurrentibus, honestissimæ traditus est sepulturæ. *Hacho Hanson eques auratus.*

De pœna infidelium seruorum per aquam gelatam inflicta.
Cap.26.

PVtabat Paulus Ionius Episcopus Nucerinus externarum regionum curiosus scrutator & scriptor, furum latronumque, & similium malefactorum grauissimam fore pœnam, quòd frigidis aquis guttatim super colla eorum dimissis, tanquam durioribus tormentis, commissa flagitia confiterentur. Ita enim in Sarmatia sua testatur: Fures, sicarios, latrones, per quæstionem examinant Moschouitæ eo modo, quòd aquam gelidam super caput ex alto paulatim dimittant: hocque habent pro intolerabili tormento. Hæc ille. Sed reuera vel ludibriosè bonus præsul à vetsuto Moschouitici principis nuntio, Demetrio dicto, tempore Clementis vij. informatus est Romæ, vel alijs rebus curiosioribus intentus, non integrè referentem patrios mores intellexit, hoc scilicet pro terribili tormento in ea durissima gente reputari, quæ flammis & eculeis adhibitis, vix vt acta reuelet, tantillulum commouetur. Hos tamen Moschouitas robore exuperāt Sueones & Gothi, qui Calendis Ianuarij solùm in rebelles, discolos, & insolentes has pœnas infligunt, ea præsertim causa, quòd principes & dominos suos ad sacra Christi natalitia primùm nocte, demum die accedentes, sequuti nō fuerint ac permanserint, imò etiam quicunque in aliqua priuata æde vel familia idem non fecerint, aut turpia verba, scandalosaque facta commiserint, hos socij, testes, accusatores, & iudices sonoro æris tympanorumque strepitu, longo ordine ad congelatas aquas eductos, genibusque innixos, nudato collo, & prono vultu in genua pressos, guttatim gelida aqua omnium applausu perfundunt. Quibus tamen compen- *Carpitur hic Paul. Iouius.* *Sueones & Gothi quā religiosè seruent diem Christi natalitium.*

compédiariam pœnam (promissa erratorum emenda) celeriter infligere decreuerint, ea gratia conceditur, vt simul & semel toto nudato capite, iustæ quantitatis & mensuræ vrna totaliter perfundantur. Soli Aethiopes ob verticis nimiam nuditatem, hanc pœnam horrescunt, qui licet rarò perueniant ad Aquilonares regiones, veniunt tamen inter subsidiarios milites à Rege Galliarum, Regi Danorum ad impugnandum Suetiam & Gothiá missos. Plerunq; ergo his Aethiopibus, pariter & Danis infeliciter pugnantibus, non frigida aqua infligitur, sed dura captiuitas, & ineuitabilis sepultura.

Aethiop.

De eisdem pœnis. Cap. 27.

EST & alius modus omni alio tempore hyberno contumacibus & obstinatis à maioribus decretus, scilicet vt perforatis glacierum foraminibus xx. vel xxx. pedum ab inuicem distantibus, chorda sub brachijs ligati, per vnum foramen subtus glaciem immissi, fune altero prætenso ad aliam pertrahūtur glacialem aperturam. Si celeriter id factū fuerit, gratiam referunt amicis, quòd festinanter, & fideliter expedierint eorum causam: sin autē protractius (sic forte exigentibus demeritis animi pertinacioris) tunc extractus experitur se habuisse censores & fautores rigorosos, quia in graui periculo fuit suffocationis. Quòd super glaciem instar speculi lubricam agiliter hæc fieri videntur, mirandum non est, quia triangularibus, vncis ferreis solutaribus aut calceis affixis, non tantum ad hunc, sed quemlibet actum in glacie perficiendum, securè (vt infrà de piscatoris glacialibus dicēdum erit) vtuntur. Moschouitis tamen schismaticis hæc aquarum submersio pro religionis cultu deputatur, quia sub glaciem perforatam infantulos suos immergentes, ritu suo baptizant: qui si rapido fluminis impetu sub glacie deferuntur in longum, arbitrantur eos ad superos ilicò euolaturos.

Moschouitarum baptismus.

De cursu equorum pro pallio vel brauio. Cap. 28.

Repletis vehiculis (sic enim gens hyemales rhedas, aut currus appellat) pluribus hominibus, vno tan tùm præmisso equo, cursum impetuosissimum ad quinque vel sex miliaria Italica intendunt homines, vt non currere, sed velocissimè volare videantur, maxi mè quia vncis acutissimis, & ferreis clauis in vngulis firmati sunt equi. Brauium vero (vt primo libro in simi li cursu hominum monstratū est) vestis, siue equus vi-ctus, aut certa mensura salis, aut annona seminanda, illicò soluenda taxatur ad certum tempus: quo nun-quam (nisi soluerit obligatus) habebitur liber.



De onagris seu alcibus, in niuosa glacie currentibus. Cap. 29.

Onagrorum, siue alcium vehementissimus etiam cursus in niuosa glacie est apud Sueones Septen-trionales, maximè vltra regiā Holmensem versus supe riores partes Aquilonis. Inferiùs verò ad plagam Meri dionalem, etsi in magna multitudine vastorum nemo-rum sunt, ob Regium tamen edictum in vsu nō haben tur, ne scilicet eorum currendi celeritate (quæ longè su perat omnium equorum velocitatem (proditores vtan tur, ad secreta regni inimicis quàm ocyssimè reuelāda. Famis etenim ac sitis, laborisque patientissima est hec

P bestia,

bestia, vt diem noctemque immensa spatia ducentorũ miliarium Italicorum currendo valeat perficere: priuata cibo. Cæteras eius animalis virtutes, infrà de animalibus liber hic monstrabit.



De rangiferis in niue currentibus. Cap.30.

MAgna etiam multitudo alterius generis rangiferorum est in Septẽtrionalib. locis: quorũ vsus est nedum pro curribus trahendis (vt infrà de animalibus ostendetur) sed etiam in onerariis vehiculis super cacumina niuium pertrahendis. Et hi quoque rangiferi (à tractoriis instrumẽtis ita appellati) edicto regni prohibetur à ministerio meridionales partes inhabitãtibus quouis modo exhibendo. Miræ etenim velocitatis, vt onagri sunt, in absoluendo breui tempore longum ac difficile iter. Vehicula autem eorum ab aliorum formis differunt, quia antrorsum instar calceorũ sunt cuneata ad penetrandum niues, veluti marina nauigia ad diuidendum fluctus & vndas.

Vehiculorum forma quædam vt calceorum.

De suffocatione hostium in vallibus niuosis. Cap.31.

DVm Sueci & Gothi hyemale certamen aduersus Teutones, Danos, aut Moschouitas, grauib⁹ prouocati iniuriis instaurare cogũtur, modis omnibus hostilem exercitum, quanta equestri vel pedestri potentia præditus sit, explorant: compertoque quòd egregiis, ac gran-

grandibus equis, maiori parte cataphractis, numero & apparatu quasi inuincibili accedunt, quæcunque resistentia suis viribus prostraturi, in eorum occursum nõ tam armati, quàm animati viritim incolæ exeunt, maximè vt hostes tam atroces, virium atq; locorum congressibus attritos, iugulent, ac prædentur. Certa enim experientia norunt, talem hostem haud difficulter superandum fore, qui pluribus grauis armaturæ impedimentis inter altas niues, opacas syluas, abdita præcipitia, & niuales glacialesq; voragines irretitus & illusus, etiam si aduersarius aliquis patriæ defensor nõ obstaret, necessariò corruet vrgente natura: eoq; celerius idipsum eisdem inimicis euenit, quò delicatius enutriti sunt, & locorum ac periculorum ignari, dum ipsi Aquilonares populi, cœli terræq; iniuriæ assueti, per montes & deuia, in ipsa sæua hyeme niuibus dẽsatis, vel occurrentibus inimicis congredi non formidant: vnde & bello imminente, superbos hostes simulata fuga, vel in loca niuosa, vbi grauitate armorum velnt in limosa voragine immersi, more ferarum retibus constrictarũ, ab inermibus ruricolis interimuntur, vel in paludes, stagna, lacus, & amnes, propter latentem sub niuibus aquam, educunt, vt casu continuo ruant submergendi. Apparet quidem nix solida in superficie, sed subtus secreto fluminum esu adeò infirma, vt vix lupum, minus hominem, & maximè armatum, sufferre possit.

De globis niualibus, equorum vngulis impressis. Cap. 32.

EST prætereà equestribus inimicis aliud spectaculũ seu periculũ, ineuitabiliter formidandũ, quòd vngulæ equorum serratæ, ob frigiditatem niui cõnexam, accedente inferius aqua, vel desuper pruina, citò generantur niuei globi in formã pilarũ, vsq; ad magnitudinem capitis puerilis, & ita rotũdati, ac congelati adhærent, vt impossibile sit quin eques à iumento, vel cum eo concidat occidendus, vel captiuandus. Non enim quartum aut sextum saltum, ob globos niueos pedibus adhærẽtes, in rectum vel obliquum efficere potest, quin illicò cadat: quantoq; magis calcaribus equũ stimu-

mulauerit, vt currat, aut faltet, tātò velocius fatum accelerat, vt fubitò lapfus, corporeque fractus expiret, vel in aliam emigret miferiam, nece forfitan deteriorem. Qui verò pro defenfione patriæ militant, in ipfo certaminis aggreffu equos ferramentis fub pedibus totaliter denudant, vt niueis globis non adhærentibus expeditius irruant in hoftem: qui hac commoditate ac fecuritate non audet vti, quia refugium non habet, quemadmodum incolæ regni locum habent, & amicos. Neque minus periculum hoftibus eifdem imminet, quando vallium montiumque latera, lubricis glaciebus veluti fpeculum micantibus circumfufa afcēdere, aut defcendere conftringuntur, quin adhuc maiorem collifionem incurrent, quādo præcipuè glacies huiufmodi coo peritur tenuiffima niue, vel ipfa vi ventorum coacta, fauces & præcipitia claudit, voraginefque & fpecus profundas veluti campeftrem planitiem coæquat: in quā Teutones & Dani, vel Mofchouitæ locorū ignari præcipiti curfu illapfi, pari calamitate ac nobilitate confodiebantur: imò & quàm plurimi milites bellicofiffimi, qui cædibus & flammis alibi concufferunt orbem, ibidem in niuibus facilimè conficiuntur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de structuris aquilonaribus.

Epitome Libri duodecimi.



De varietate & forma Saxorum. Cap. 1.


PRæter manualem artem, reperiuntur in plerisque montibus Septent. prouinciarum lapideæ moles, ita à natura in diuersitate figurarum, præcipuè quadratarum, & oblongarum formatæ, vt vix aliquid præter politũ splendorem, ad ornatum pulchriorem eisdem superaddi posſit, prout apparet in vasto quodam monte Amaberg dicto, non procul ab insigni monasterio Vastenensi per illustrisſimã mulierem S. Brigittam (cuius corpus in celeberrima memoria, & filiæ eius beatæ Catharinæ primæ Abbatisſæ, ibidem requiescentis, habetur) ædificato, imò & alio quodã cœnobio diui Benedicti, Aluastra appellato: vbi lapides varij coloris, præsertim atri, ad quæuis ædificia incolarum gratis extrahuntur, ac ratibus, seu dromonibus deportati, in pulcherrimũ & cõmodisſimum vsum, à fundamentis, fenestrarũ interpositione, ad culmina tectorũ rediguntur, hoc opinabili relicto iudicio, quòd vel natura artem, vel ars ipsa naturam superare videatur. Dixi gra-

Lapidariæ latumiæ montis Amaberg & Aluastra.

tis, quia nec pretio, nec precib⁹ emitur à possessoribus loci, ob inexhaustam huiusmodi saxorū abundātiam, vt deputentur ad publicam & priuatā vtilitatem. Nec mons ille omni amœnitate plenissimus, latus & sublimis, à longè nauigātibus aliter, q̄ ciuitas aliqua turrita mœnibusq́ue cincta, apparet. Extant hodie plura ædificia prædicti cœnobij Aluastra, atque ciuitatis Lincopensis, eius generis saxorum vetusto tempore, quadrato opere satis polita, sicut & alibi fabricata. Sunt præterea alij montes Ostrogothorum, versus Orientaliora littora maris Gothici, lucidos lapides adamātinæ speciei, forma hexagoni, instar crystallorū, lōgo ordine hinc inde producētes: è quibus (si superuacaneus luxus æstimatorē haberet) splēdidi parietes, admiratione pleni, formari possent. Præterea apud Vestrogothos mōs est eminentissimus Kindaberg dictus, in circuitu marmorea saxa adeò pulchro colore naturaliter variata habens, vt cuiuis structuræ applicata, plurimū decoris afferāt & vtilitatis. Demū in suppolarib⁹ insulis magne tū mōtes reperiūtur, quorū fragmētis ligna fagina certo tēpore applicata, in saxcā duriciē, & vim attractiuā cōuertuntur. Deinde tam viui cāpestres lapides diuersarū formarū, quàm cocti, in maxima quantitate, nedum pro tectis, sed & muris, vbiq; applicabiles reperiūtur.

Lapidaria Kindaberg.

Montes magnetum qui bus apposita ligna fagina fiunt velut magnetica.



De domibus fabricandis, & eorum varia forma. Cap. 2.

DIuersitates ædificiorū miræ multæq; sunt in Septētrionalib. regnis, videlicet pyramidales, cuneatæ,

atæ, arcuales, rotundæ, & quadratæ. Pyramidales scilicet ex solis hastis sursum connexis, deorsumq; ampliatis, idq; pro tempore æstiuo, ne fumo & flamma pariter cũ solis ardore molestentur operarij manuales. Cuneatæ ædes ferè omnes in altum porrectæ sunt, vt densæ, onerosæq; niues citius vento arceãtur, ne deprimãt tecta: quę corticib⁹ betulę, vel tegulis, vel fissilibus scãdulis è pino, ob innatam picem, vel abiete, vel quercu, vel fago confectis, diuitum verò tecta vel cupreis, vel æreis, aut plumbeis laminis, quemadmodum templorum sunt cooperta. Arcuales structuræ satis artificiosè contra vim ventorum, casumq; niuiũ, tam muro quàm lignis, ad varium & valde necessarium vsum fabricantur. Talesque reperiuntur in ædibus magnatũ pro supellectilibus domesticis, aut rusticanis conseruandis. Rotundæ, & hæ plurimum raræ, vt diuersi artifices pari luce è culmine reflexa, in exercitiis suis potiantur. Quadratæ autem domus frequentiores sunt, sed lignis grossissimis mira cõbinatione in angularibus iuncturis (quibus magistrale artificium oftenditur) coaptatę: & hæ quoque fenestras habent plurimum in tectis eleuatas, vnde lux introrsum super quemlibet descendere possit. Muratæ autem autem ædes portas habent proportionatas, sed strictas fenestras, ob intensissimũ frigus, & pruinosas niues, Nam si maiores, amplioresque more Italico essent, cõfestim minutissimis niuibus vẽto valido (veluti pulueribus) turbine agitatis, ædes ipsę importabili mole ilico casuræ replerentur.

Ædes cuneatæ.

Quadratæ structuræ.

De eodem. *Cap.* 3.

FEnestræ communiores Aquilonarium ædificiorum, præsertim in vaporariis, sunt in obliquis firmatæ tectis, per quæ purior lux è cœlo descendit. E vitro antem, vel tela picata, pro pluuia arcenda ponuntur. A latere verò in vrbibus, propter vicos angustiores, ferreas habentes craticulas, & clausuras, portæ incolarum extremos limites regnorum inhabitantium, ex industria strictæ, depressæque sunt, ne prædonibus pateant, & inimicis. Imò vt eisdem & apertis

hostibus sagittando resistant, parietibus vtūtur perforatis. Similiter & egestę terrę secretis fosis, culmo, vel stipitibus frondosis seu aridis cōtectis, ne fortè eo modo conficiant hostem. Tecta verò trabibus, & tabulis abietinis, corticibus populeis, & germinantibus terreis glebis, gemino ordine, interiecto pauco auenæ, vel hordei semine combinantur: & hoc ne fulgure comburantur, imò verius vt supereffusa aqua tempore hostili pascua præbeant ouibus & agnellis, prout superius reperitur ostensum. Quidam etiam in vrbibus eò constringunt loca ædium struendarum, vt mutuo sumptu, & consensu, coniunctis quinque vel sex lateralibus ædificiis, constituant vnum castellū, vnicuique portam ferream fortissimam præfigentes, vt etiam si hostis muros & mœnia superarit (quemadmodum in regia Suetiæ Holmensi a culmine domorum vbique arcetur) resiliat ab incepto. Materiem autem ædificiis aptam & fidelem, ad vetustatem inducendam & conseruandam, periti architecti nouerunt inuenire, imò ab arboribus abstinere, quæ ædificiis impositæ, difficultatem parietibus ingerunt, & miseras mortes.

Holmia.

Aedificia nociua.

De maxima multitudine & magnitudine arborum in Septentrionalibus terris. Cap. 4.

Pinus nautica.

ABietum & Pinorum, ac Iuniperi, Laricisque maxima abundātia est in Aquilonaribus syluis, tantæque proceritatis, vt altis turribus æquari possint: & ob id quæ mari sunt propinquiores, ad antennas, malosque magnarum nauium adaptantur, & præcipuè pineæ arbores: quæ ob cognatam resinam & picem, sui natura imbribus, ne citò putrescant, sed diutius durēt, resistere solent. Abietum tamen fructus, vel pinorum, in nullo vsu sunt, quemadmodum in Italicis oris, vnde voluptuosa medicina conflatur. Arbores pineæ nauigiorum tabulatis operiendis, serrarum sectione, dolabrisque aptantur. Harum etiām dulcibus medullis in cacumine (quæ cerebrum vocantur) regnicolæ, præsertim Lappones, in principio æstatis recollectis, loco panis, vt Parthi palmis, vtuntur. Rami abietum

Panis pineus.

pro

pro vaſorum circulis, imò & ſepibus agrorum, ac arcu- *Abietum*
bus balliſtarum, ſicuti & larices, quaſi flexibiliores, co- *vſus.*
aptantur. Trabibus verò abietinis perpetuus honos at
tribuitur, quia tecta templorum durabili earum firmi-
tate & leuitate teguntur, eoque proceriores ſunt, quò
locus natiuus ſabuloſior inueniatur: macro tamen cor
pote, quia arenoſis fomentis haud nutriũtur, vnde pin
guiſsimus ſuccus teſinam, ſeu picem emittens, cõnaſci
videtur. Prætereà betulæ arboris copia maxima eſt in *Betulæ ar-*
toto Septentrione: cuius hæc eſt virtus, vt inciſa infra *boris la-*
corticem & librum, lachrymas potabiles emittat, vti *chrymæ po*
fructus eius tempore famis habetur pro pane, cortex- *tabiles.*
que tegumento. Similiter & iuniperi legumina, imò *Radices iu*
& radices eius, loco panis habentur, licet anxium ac- *niperi.*
ceſſum ob aculeos præbeant: in quibus aculeis, ſeu ſpi *Ignis qui*
nis, prnnę viuaces, igniſq; per annum durat: quem niſi *ſeruari poſ-*
reſtinguant incolæ, ſuborto cæli turbine, ac tempeſta- *ſit toto an-*
te, ſylueſtre incendium exciratnm, quaſi vagabundum, *no.*
circumiacentes agros depopulatur.

Adhuc de arboribus Septentrionis. Cap. 5.

QVercus incorrupta ſub aquis durat, & ob id vtiliſ ſima nauiũ coſtis. Corticibus verò eius coria pręparantur, & perficiũtur, vt infra de glacialibus ſtructuris oſtendetur. Sunt & aliæ arbores durioris na turæ, è quibus detornantur annuli pro vſu antennarũ, ac vtres, & amphoræ, reſina, ne intus putreſcant, liniẽ dæ. Prætereà aliæ ignoto nomine ſponte naſcentes: quæ tamen ob effectum in pondere, colore, duritia, ro tunditate, proceritate, & fructibus vtiles æſtimantur. Cotoneæ autem, & ſambuci cum iuiubis dulciſsimis, ibidem reperiuntur. Itidem & ſalices duplici genere annotatæ: quibus ad ptæmendam famem lepores v- tuntur. Et hæ licet ſteriles ſint, denſiſsima tamen ſo bole exciſis ramis, & plantatis renaſcuntur, vt reliquæ lignorum cæduæ ſyluæ germinantes, rurſus à radice ſuccisæ. Multæ etiam arbores inueniuntur, quæ quia altas multaſque radices habent inextricabiles, niſi tur bine, vel fulmine tangantur, continuè perſeuerant:

quarum facilis ratio non datur, dum aliæ, alibíque nascantur. Hedera præterea veluti adulatrix, adeò communis est & onerosa, vt niuium fomēto paulatim muros & mœnia, nisi extirpetur, absumat.

De diuersitate arborum. Cap. 6.

SVnt præterea multiplicis generis arbores in eisdem frigidis locis, & hæ præcipuæ, præter superius dictas, vt populeæ, fraxineæ, & aliarum iuniperorū, quæ ob proceritatem commodè propter annexū odorem quasi cupressinum, aprantur ad electas mansiones, & ignea fomenta, tam tempore pestis, quàm alio quotidiano vsu. Sponte enim huiusmodi arbores genitæ, perpetuitate stirpis indesinenter accrescunt, & inextirpabiles coalescunt, ita vt productæ ad robustam ætatem (vt iam dictum erat) sublimibus & imis structuris, tanquam fortiores trabes, coaptentur. Quercus verò, & fagi, vltra septuagesimum eleuationis poli Arctici gradum, versus zonam frigidam nō reperiuntur: imò paucæ reliqui generis, nisi betuleæ, veluti incuruati frutices in extremis Oceani Scythici littoribus, ob frequentes tempestates. Verùm in terris versus meridionalem plagam, maximus est prouentus arborū fructiferarum: quarum fructu, glandium scilicet, & corylorum nucum, ac fagorum, tempore sterilitatis incolæ loco panis panis pariter cū cæteris animantibus vtuntur: quæ tamen animantia, vt mures, glires, & aues, futuræ famis arcendæ vltra humanam sagacitatem hoc habent, vt hos fructus ad antra, cauernasque comportent, vnde & prouidi terrarū incolæ imminere famem futuram cognoscentes, diligentius solito prospiciunt euentibus suis. Fagorum nuces triangulæ sunt rubeo cortice munitæ, subintrà barbatum calicem habentes: quarum esu, ficuti glandium, mirè impinguantur porci, sola inspecta differentia, quòd laridum his durius, illis verò mollius, seu fluidius reperiatur.

Aedes & ignes odoriferi.

De fru-

De fructuum qualitate.
Cap. 7.

NVces corylinæ adeò abundanter ibidem crescunt, vt indigenis & aduenis sufficiant ad omnē optabilem vsum: quo fit, vt quæstus causa ac mercatorum lucro, aliquot millia vasorum è Septentrione in Germaniam exportentur: etiam stipites corylini, quorum tortuosa flexibilitate ferè omnia vasa commodissimè colligantur. Poma verò, ac pyra diuersorum generum ibidem, vel seminata, vel transplantata, satis abundè crescunt: quorum etiam aliquod genus generosissimū est, vt instar oliuæ (quæ nusquam in Aquilone crescit) in summo frigore maturescat: etiam syluestria poma, quæ sibi ætatem à natura retinent propagatam, vt in Decembri primùm maturescant: & hæc vinosum saporem habent, ideoque in potum, musti nomine torcularium pressura disponuntur. Aliqua etiam tantæ acerbitatis reperiuntur, vt aciem gladij succo suo perstringant, iisque loco aceti vtuntur. Quædam rotūditatem habent mali, quedam turbinationem pyri, quædam figuram ouatam, quibus natura honorem tribuit peculiarem. Sed quæ exotica sunt, & vltra marina, quia car nosiora, dulcioraque iudicantur, pretio maiori æstimantur. Similiter & pyra, ac pruna siccata: non enim nisi duo genera in Aquilone nascuntur, alba scilicet & nigra. Cerasa etiam in duplici genere, syluestria scilicet, & hortensia: quę tamen nimia acerbitate edentibus generant stuporē, aceti loco deputata: & hoc, quia in opacis, vmbrosisque locis sine solis attactu enascuntur. Quæ verò sole tanguntur satis grato sapore placere solent. Sunt prætereà quędam arbores ignotæ virtutis, quę sine floribus producunt niuales fructus. Fructiferę tamen arbores gaudent mutatione, & dulcescunt. Syluestres verò ferinum habent saporem, fortè propter canos arborum villos, solis ardorem excludentes: alioquin aliqua possent blandiri suauitate vescentibus. *Cerasa acerba.*

Nota. villos arborum fructum [illegible] impedire



De Gummi abietino, siue Resina, & origine Ambræ, seu Succini. Cap. 8.

Perottus. QVia maxima varietas in scriptoribus de origine, & natura, ac qualitate succini, seu ambræ reperitur, præcipuè Perotto referente, qui insigni diligente, concordare nisus est multorum opinionem singularem, vnde, & quomodo nascatur hic liquor gracilis & mirandus: idcirco quid verisimilius est ex Aquilonarium sententia, hîc veniet attendendū. Abietes, seu pineæ arbores, natura sua resinosæ, excelsa proceritate siue super littora maris, siue super riuos, vel alias syluarum decliuitates crescentes, succinū sudant, maximè dum maturis frugibus solis feruor (vt infrà latius dicetur) torrentibus ipsis Iunio Iulioq; mensibus incendiosior, Cancri atq; Leonis tetigerit metas, tum istæ arbores æstu valido fissis corticibus, succinum sui liquoris in subiectos latices, seu fluuios, indurandum emittunt, sicq; stillando, quodcunq; obiectū corpus sui tenacitate tanquam glutinum inuoluit: quò fit, vt ranæ, mures, culices, araneæ, muscæ, aristæ, legumina, & his similia, in resinoso hoc visco rapta inuoluantur, ac indurentur, etiam si in arenam ceciderint continuatæ guttæ, quia imbre supereffuso ad riuos, inde flumina, & tandem in mare deferuntur: vbi instar aliarū arborum tantùm certo tempore indurantur, vt saxosa duritie coctū, dira tempestate per mare Gothicum, seu Finno-

Finnonicum, ac Liuonicum, euomatur in Prutenicum littus, ſcilicet Meridionale, directè oppoſitum Septentrioni: & hoc omni tempore, quo flatibus vnde voluantur ad Prutenicam terram: in qua ob Principis edictũ, nulli niſi deputati & iurati laboratores, ſuccinum huiuſmodi colligere poſſunt.

Libri duodecimi finis.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS

de agricultura & humano victu.

Epitome libri Decimitertij.

De diuerſitate meßium colligendarum.

NATVRAE admiranda diſpenſatio eſt, vt aliter, alioque tempore, modo & induſtria colatur terra Septentrionalis, vt dictum eſt: aliter Aethiopica, vel Afrorum: aliter etiam nouarum inſularum. Quoad Aquilonares, hoc certum eſt, in plerisque agris Veſtrogothorum parte obiecta meridionali plagæ, hordeum ſpatio 36. dierum à ſemine proiecto maturum colligi, hoc eſt, à fine Iunij vſque medium Augusti, & aliquando celerius. Ea nanque maturitas ex ſoli natura, aëriſque clementia, ac humore lapillorum fouente radices, ſoleque torrente, neceſſariò prouenir, vt ita naſcatur, ac maturetur: taleſque ſpicæ ſex ordines in numero ariſtæ habent, aliis ramen communibus minores: quæ ceruiſiæ coquendæ ſatis commodè adaptantur. Reliqua verò ſemina in principio Maij proiecta, circa medium Augusti mutua operuriculorum, non tam labore, quàm alacritate, & voluntario impetu colliguntur, ne ſuperueniens frigidus flatus meſſem exurat. Nec aliam diurni laboris mercedem deſiderant

Fruges 6. hebdomadis maturescunt.

Ariſtæ hexagonæ.

quàm

quàm iucundam conuiuationem vespertinam: in qua iuuenes vtriusque sexus, ob fideles agrorum labores, prouidorum parentum iudicio & assensu, ac promissione eligũtur futuro coniugio copulandi: non tamen ad delitiosa connubia, etiam si illustres sint, sed ad solicitudinem domesticæ honestatis & vtilitatis pro familia sagaciter & suauiter dirigenda.



De pistrinis, & coctione panum. Cap. 2.

Ceres dea frugum. Panis à Pan.

QVia receptum est apud veteres, quomodo Ceres frumenta inuenerit, & Pan conspersas fruges coxisse perhibetur (vnde & nomine eius panis est appellatus) ita & illa prædicata est quòd reperit, & iste laudatus, qui decenter humanis vsibus applicauit. Ideoque videndum hic erit, quę frugum genera ad hũc necessarium vsum afferuntur, & quibus hoc officium competit apud homines Septentrionales: qui vt in regiones multiplices tam situ quã moribus distincti differunt, & separati sunt: ita etiam terræ nascentia, pro qualitate regionum & climatum, variata videntur.

Triticum apud Aquilonares ferè nullum.

Quantò igitur magis ad Aquilonem acceditur, tantò minor tritici vbertas, & maior ad Austrũ vbilibet inuenitur. Sueonibus tamen, siue Suecis, immẽsa vis tritici, sed maior siliginis est concessa. Gothis verò tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, vtentibus hordeo & auena, indeficiens abundantia pro cibo & potu propitio

tio numine est largita. Omnium tamē harum frugum vtrobique vsus est. Sed diligentior siliginis pręparatio apud Sueones: quorum fœminę ita nouerunt purgare siliginem, vt colore, sapore, ac sanitate exuperet frumenti bonitatem.

De torrendis frugibus duraturis. Cap.3.

DIebus calidissimis feruente sole, pannos instar velorum naualium, siue ipsa vela, latè super faciem terræ, vel planos ac nudos montes extendunt, ac desuper torrendam frugē diebus sex, vel pluribus, aut paucioribus, iuxta solis ardorem imponunt: deinde eā purgatam, in quercinis repositoriis collocant, vel in farinam redactam simili custodia seruant: multosq; in annos sic torrefacta, integritate salua perdurat. Attamen si molita farina non sit, sed fruges, expedit vt interim soli obiiciatur semel in anno retorrenda: eoque modo noua fruges tosta, poterit illi, ne deficiat, quoties opus fuerit, sagaciter commisceri. Farina autem in quercinis vasis, aut cupis forti ligneorum malleorum impulsu intrusa, locoq; sicco reposita, sine quacunq; vermium corrosione pluribus annis durare solet.



De ritu bibendi Septentrionalium populorum. Cap.4.

NEc displicet curiosis inspectorib⁹ interpretationē admittere, qualis sit modus Septentrionaliū gentiū in bibendo. In primis, quòd religiosum sit stando

pro

pro reuerentia numinum ac Principum, bibere, & quasi in agone per sudorem cõtendere, quis vno, vel altero, vel multiplicato haustu amphoram euacuet capitolinam. Videntur itaque in mensa suprapositæ imaginis quasi coronati sedere, ac tali forma vasis portare: quod forsan inexpertis generare posset admirationem. Sed mirabilius esset longo ordine intueri ministros, quasi cornutorum ceruorum pastores gregatim incedere, vt ea vasa cereali liquore repleta, propinent conuiuis. Sed neque his contenti cæremonijs, etiã contendunt monstrare sobrietatem, vt vase tam alto repletoq;, nudo capiti superposito, choream gyrando reducant: similiter & alia vasa manibus vtrisq; allata, vino, ceruisia, medone, aut mulso, vel musto repleta, conuiuantibus ad æquales haustus exhibeant epotanda.

De diuersis modis coquendi salis. Cap. 5.

APud Sueones siue Suecos & Gothos nulla fit decoctio salis: non quia è fundo maris extrahi non possit aqua salsa, sed quia gens alijs rebus abundans, facilius exoticum sal comparat, quàm superfluis expensis id decoquat in littore suo. Aduentu enim grãdium nauigiorum Hollandiæ ac Germaniæ, ab Hispanicis & Gallicis ac Britannicis portubus, Vlysbonico præsertim & Brouaso portu, sal acceptum iusto precio venundatur. In Polonia verò montes profundissimi salis sunt, præsertim in Vielisca & Bochna: vbi videndi causa M. D. xxviij. quinta Ianuarij, transcensis L. scalis fui, & vidi in profundioribus locis laboratores nudos ob calorem, ferreis instrumentis eruere opulentissimum thesaurum salis, veluti aurum & argentum ex mineris inexhaustis.

Vielisce & Bochnæ salinæ sunt opulentæ.

De difficultate aduehendi salis in Aquilonaria regna. Cap. 6.

AT vbi inciderint maritima bella in Balthico mari, vt defectu salis videatur ab hostibus premi post se Septentrionalia regna, tunc arte quæsita domesticũ

sal

ſal conficiunt, ne ea penuria ſuam libertatem ſubijciat inimicis. Vt tamen id expeditius, etiam ad perpetuum lucrum, continuè efficerent incolæ Nortlandiæ, id eſt, Septentrionales, R. D. Io. Magnus Gothus Archiepiſcopus Vpſalenſis, chariſsimus frater & anteceſſor meus, aliàs 1523. Hadriani vj. Pontificis legatus, & demum electus, euolutis duobus inde annis, Vpſalenſem diœceſim viſitans, proprijs ſuis ſumptibus, emptis ſcilicet & datis inſtrumentis vbiq; ſufficiẽtibus, modum & artem ab expertis acceptã, præcipuis in locis aptioribus incolis communicauit: quibus ex tunc, & in perpetuum neceſſario ſalis beneficio, quacunque imminente hoſtilitate, liberè & facili labore vti poſſent.

De maxima copia butyri. Cap. 7.

TRanſcurrendo ſingulas prouincias Septentrionalis plagæ à 52. vſque ad 84. gradum eleuationis poli Arctici, vbique propter fertiliſsima terrarum paſcua, & armentorum abundantiſsimos greges, maximam butyri copiam reperire licebit: non tamen æquali virtute, tum propter ſalis varietatem, tum etiam propter floridiores ac tenuiores herbas, longè à ſe inuicem diſtantium prouinciarum nutritiuas. Vbi enim paſcua ſunt groſsiora, ſaleq; butyrum conditum groſſiore, eius efficaciæ non eſt, vt alterius cõditi in paſcuis herbarum minutarum. Modus tamen conformis eſt omnium regionum, vel ſale groſſo, vel tenerrimo & candido, multa magnorum vaſorum millia negociatoribus vltramarinis vel precio, vel rerum commutationibus (niſi Regio edicto, inſtante vel flagrante bello, prohibitum fuerit) diſtrahendi vel venundandi, quemadmodum in annona, lardo, atque alijs neceſſarijs nutrimentis, ne hoſtibus afferantur, caueri ſolet. Inſula præterea eſt Meridionalis Gothiæ, Oelandia appellata, vbi aëris ſalubritas cum piguis arui fœcunditate conſentiens, herbas producit dulciſsima qualitate conditas: quarum paſtu vaccarum turba ſaginata, lac tanta ſalubritate cõficit, vt quibus multa medicorũ auxilia vel cõſilia prodeſſe neſciunt, ſolus videatur potus

tus ille è butyro expressus, optabilem afferre sanitatem hocq; butyrum tanquam aromaticum, & cæteris omnibus salubrius, appretiatur.

De magnitudine & bonitate caseorum. Cap. 8.

SI Parmensis aut Placentina, vel aliæ terræ, ac villæ Longobardorum, de magnitudine, multitudine, ac vtilitate caseorum vbiq; commendari poterunt, profectò origini suę natiuæ, scilicet Scandianæ peninsulę, & præcipuè regioni Vestrogothorum in regnis Septētrionalibus, gratias sunt acturę. Hi enim Vestrogothi super omnes incolas Aquilonares, maximam commendationem obtinent, quòd nulla gens illis similis est in confectione caseorum: quod prouenire videtur ex vberrimis pascuis: in quibus & militares equi, fortes, alti & robusti, bouesque proceri innumerabili multitudine procreantur. Caseos itaq; tam magnos plerunq; conficiunt, vt duo valētes viri vix vnum ad breue spatium deferre posfint. Virorum tamē manu & arte nunquam fiunt, sed mulierum: quæ vicatim ex pagis viciniori-bus, adducta lactis multitudine, æstatis tempore in domo volentis caseos coagulare, confluētes, magnis caldaribus lac calefactum, adhibito coagulo, ligneæ formæ quadrangulari præcipuè imprimunt, caseolosque aliàs sole aëreque siccatos, in particulas comminutos, eidem lacti quasi feruenti imponunt, veluti fit in gradibus muris, qui lapillorum & cementi infusione com pactiores exurgunt. Nec vir quispiam huic operi fœminarum interesse meretur, etiam si precibus hoc impetrare conaretur. Habent enim fortissimæ mulieres illæ diuisa exercitia domestica seorsum à maritis, in quibus illi sese nunquam intromittunt, vt nere, texere, panes & ceruisiam coquere, cibos parare, & proles ornare, ac vestire, lectosque & tegmina aptare, & agnellis, vitulis, alijsque minutulis animalibus prouidere: vbi viris grauiores incumbunt labores, vt agros colere, messes triturare, equos domare (quod & fœminæ plerunque faciunt) arma acuere, atque sepes agrorum, aratraq; & agros disponere. Ostrogothorum verò casei

Vestrogothia caseorum, equorum & boum prædives.

lacte

lacte pecorino in maxima multitudine formati, miræ commendantur bonitate: ita & superioris Sueciæ, præterquam apud Helsingos & Naruegianos: qui caseos quasi putres habentes, vermium scaturigine, & repletione visa, lætantur in eorum bonitate: imò exesa interiori substantia, eorum corticibus loco clypei, instar indurati corij, vtuntur in bellis. Estque caseorum laudatissimus sapor apud Finningos, qui conspicuos eos multorum millium pondo faciunt è lacte caprino: quibus laudem augent, & saporem, submisso paululum myrtyno fumo, vt sine vermibus seruari valeant ad plures annos, præsertim in obsidionibus castrensibus tolerandis. Apud Septentrionales scilicet Vestrogothos, naturę beneficio ita temperati sunt, vt aromaticis specieb. ad fenium vergentes, redoleãt, cum gratissimo sapore. Talibus etiam vtuntur nautæ, dum tempestatibus, ne alia coquant, arceantur ab igne.

Casei Ostrogothici.

Clypei ex caseorum crustis.

Casei caprini bumnorũ myrtati.

De textoribus. Cap. 9.

TExturis lineis laneisq;, Aquilonares fœminę miro ingenio callentes, incumbũt, exceptis Lapponum mulieribus: quę ex neruis animalium (vt alibi dictum est) conficiunt telas, & de pellibus diuersarũ bestiarum accõmodas vestes: quia in ea regione extrema, linum non crescit, neq; oues gignũtur. Vbi verò in calidioribus locis Septentrionis linum habetur, talia fila ex eo confecta colorant, & texunt, vt opus in medio Latio ingeniosè contextum iudicaretur. Vidi olim apud eas gentes textile opus lineum, varietate linearum cœlestini coloris pulcherrimè elaboratum: quale demum Italiam & Romam ingrediẽs, quasi vna manu reperi ad similitudinem illius omnimodè per texturã factum & ordinatum, hoc solo discrimine viso, quòd vti Romanæ fœminæ, vel potiùs viri, textores sunt ingenio viuaciores: ita & in opere manuum reperiuntur subtiliores: & fortè quia exemplaribus insignium pictorũ vtũtur, vbi mulieres Aquilonares ex floribus, iride, aut frõdium vmbris super aquas sole splendẽte reflexis, excipiunt formas. Retiaria tamen intexta florũ

Apud Lappones neq; linum est, neq; oues.

opera, qualia videntur in domibus Principum Romæ, facilimè reliquos orbis artifices vidētur excellere mulieres Aquilonares, dum huic exercitio, etiam illustres personæ ad euitandum otium, quasi hæreditario domorum ornatui præcipua subtilitate intendunt. Aedes enim diutno vsui deputatas, candidissimo illo opere retiario, quod Sptaangning vocant, totaliter, etiā sub tectis, perpetua communiq; consuetudine exornant, exceptis proceribus, sericeis pannis otnantibus palatia sua: & hoc quoad thalamos, & ornatū illustrium fœminarum, ac nuptialium festiuitatum.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De varijs conditionibus Aquilonarium populorum.

EPITOME LIBRI XIIII.

PRAEFATIO.

MIRARI quispiam nō debet, in amplissimis Septentrionaliū terris, præsertim peninsulæ Scandianæ (quam Plinius ob incompettā magnitudinem, alterū orbē, & Iornādes, ac Paulus Diaconus, vaginā, siue officinam gentium appellant) diuersitatem fore habituum, ac vestimentorū, paritet & morum ac conditionum, circa incolarum conuictū, & cohabitationē aduentantium alienigenarum, ac iudicia vtriusque, & quàm syncera tranquillitate veteribus institutis olim adhætentes, singuli concorditer viuere dicebantur, vbi nunc ctescente discotdia, paucissimi sua sorte contenti videntur: in quo rursus mirandum nō est, dum eò processit astuta hominum pernicies, vt quisq; suæ destructionis factus sit artifex ingeniosus, foris scilicet habitu discissus, & intus in mente corruptus: foris legibus patére simulans, & vbique disseminans dolos: quorum tandem effectu, & exitu, ad vltimum infamia plenus, & omnibus odiosus è vita discedet.

Scandiana peninsula alter orbis.

De diuer-



De diuersitate habituum. Cap. 1.

LOngè aliter olim vestitus in Septentrionalibus regnis & populis, quàm nunc est, formatus erat, præsertim in exteriori, interiorique ornatu mulierum. Exteriori inquam, quia vetusto tempore illustres fœminæ tunicis vtebantur, ad pectus & brachia strictissimis: sed in extensione fimbriarum mōstrosa videbatur lōgitudo, adeò vt vix vna sufficeret ancilla in fimbrijs huiusmodi comportandis: quæ etiam in hoc abusu aliqualiter dominæ suæ conformabatur. In capitibus verò subtilissimis pannis lineis, negociatorū quæstu ab exteris regionibus longo maris circuitu importatis, sub his tamen tegumentis, aureas coronas lapidibus pretiosis intextas, secundum qualitates stirpis & opulentiæ portabant: ad vmbilicum verò pro cingulo, vel zona, aureis filis contexta vel fusa, extensaq; in lōgum aurea, aut argētea lamina, latitudine duorum digitorum, vtebantur. Reliquæ mulieres latissimas habebant manicas, sed has in medio cuneatas, ac argēteis vel deauratis nodis quasi tenaculis clausas. Præterea capitis ornamentum erat è panno rubro superius strictum ac cuneatum, similiter argenteis nodis claudendum vel aperiendum: & hæ quoque coronis deauratis sub lineis pannis, valde subtilibus, ornabantur: & vti earum togæ, præsertim nobilium, pariter & plebeiarū (excepto valore panni) erāt strictissimæ ac breuissime: ita vrbanarū lōgissimæ, deauratas & quadratas in an-

 teriori

teriori parte laminas, à collo vsq; pedes super fimbriis ex vtroq; latere depẽdentibus, habẽtes. Scapulari autẽ virgines vtũtur, quo pudicitię obseruantia designatur.



De pudico virginum ornatu, & rigore pudicitiæ. Cap. 2.

VIrginum ergo ornatus in pretiosis & amplißimis aureis, vel deauratis coronis, in capitibus erat: & pro pudicitiæ custodia, à collo antrorsum retrorsumq; dependebat sericeum, vel lineum candidi coloris pallium: quale nunc religiosi Scapulare, vel Patientiam nuncupant: quo habitu vel pallio, omnia corporis membra, tanquam freni moderamine, incendendo vel conuersando, cum admirabili modestia & verecundia (visu vel colloquio virorum nusquam, nisi parentum licentia permisso, vtentes) dirigebant. Tantaque inerat eis pudicitia, vt vix rogatæ virũ publico in cœtu, donec coniugali vinculo stringerentur, raroq; tunc, inspicere vellent. Adeò casta celebritate oculos vbiq; etiam à licitis, refrenabãt. Mira etiã & pertinax Aquilonarium fœminarũ suæ pudicitiæ custodia, vt etiam admisso honesto cõiugio, certis tẽporib. refrenent amplexus, ea scilicet constántia, vt in toto interpositione districti gladij mutuũ sibi coarctent cõgressum, veluti Saxo de quadã Thira regis Anglię filia meminit, & insuper de singulari castitate multarũ virginũ illius æuĩ.

Frenũ virginale.

Cõtinentia coniugalis.

De benedictione Catholicorum Regum. Cap. 3.

CAtholico ritu in populo fideli regnaturus, multis & magnis benedictionibus, vt Deo acceptior, & populo vtilior, ac sibijpsi securior fiat, repleri solet. Sed in pri-

in primis sponte per sancta Dei Euãgelia iurat, & corã Deo, & angelis eius promittit, vt legem, iustitiã & pacem Ecclesiæ Dei, populoq; sibi subiecto cum obseruatione iurium & priuilegiorum, ac omniũ bonorum custodiat: & hinc benedictionẽ Ecclesię postulat, & illi tribuitur, vt in donis gratiarũ multiplicetur, dextera potentiæ Dei vbiq; circũdetur & protegatur: vt Abrahæ fidelitate, Mosis mansuetudine, Dauid humilitate, Solomonis sapiẽtia decoratus, Deo in omnibus complaceat, iustè incedat, in hostes crucis Christi fideliter triumphet, & optabilem pacẽ in omnibus seruet. Deinde visibili oleo, sanctissimis verbis benedicto, inũgitur, vt dona inuisibilia percipere, & tẽporali regno iustis moderationibus executo, æternaliter cũ Deo, Regum omniũ Rege, glorietur. Insuper orat Ecclesia, vt efficacia illius sacræ vnctionis principatus sit super humerũ eius, atq; vt sit iustus, fortis, fidelis pro viduis, & indefessus regni & populi gubernator, infideliũ expugnator, iustitię cultor, Ecclesię sanctę, & fidei Christianæ defensor, ad dec⁹ & laudẽ gloriosi noĩs Dei. Demũ virtute Dei dato gladio ad vindictã malorum, & laudem bonorum, vt in hoc æquitatẽ exerceat, iniquitatẽ destruat, & sanctam Dei Ecclesiam, eiusq; fideles propugnet ac protegat, atq; falsos Christianos disperdat, viduas & pupillos clemẽter adiuuet & defendat, desolata restauret, & ea conseruet, quatenus in hoc virtutũ triũpho cũ mundi saluatore, cuius typũ gerit, sine fine regnare mereatur. Insuper corona capiti ei⁹ imposita: qua gloria & honor, ac op⁹ fortitudinis intelligitur, vt participatione ministrorũ ecclesię Christi in omni aduersitate defensor adsistat, regniq; à Deo dati, & Põtificalis benedictionis vice Apostolorũ, qui p fidẽ vicerũt regna, omniũq; Sanctorũ eius regimini cõmissi, vtilis executor, perspicuusque regnator semper appareat: vt inter gloriosos athletas virtutũ gẽmis ornatus, & præmio æternæ felicitatis coronatus, cũ Christo sine fine glorietur. Deinde accepta virga, seu sceptro, intelliget se obnoxiũ mulcere pios, terrere probos, errãtes, reducere, lapsis manũ porrigere, superbos disperdere, & releuare humiles. Posteà intronizato Regi in solio sedẽti, dicet

Gothorum Regũ consititutio.

cet

cet Archiepiſcopus, qui eum aſsiſtentia Coëpiſcoporum introduxit: Sta, & retine amodo locum tibi à Deo delegatum, per autoritatem omnipotentis Dei, & traditionem noſtram, omnium ſcilicet Epiſcoporum, cæterorumque Dei ſeruorum: & quantò clerum ſacris altaribus propinquiorem proſpicis, tantò ei potentiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem cleri & plebis in hoc regni ſolio confirmet, & ſecum regnare faciat Ieſus Chriſtus. Vltimò Metropolitanus inter alia orationem ſuper Regem ad Deum facit: Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduerſis galea, in proſperis ſapientia, in protectione clypeus ſempiternus: & præſta, vt gentes teneant illi fidem, proceres habeant pacem, diligant charitatem, fugiant cupiditatem, loquantur iuſtitiam, cuſtodiant veritatem, vt ſemper maneant tripudiantes, & in pace victores. Reginæ etiam mutatis mutandis, quę ſexui fœmineo cōgruunt, plurima ex ſupradictis à Deo reuerenter optantur, &c.

De equitibus auratis, & eorum iuramento. Cap. 4.

FActa igitur iuxta premiſſas cerimonias (apud Deū & homines, omni æuo commēdabiles) coronatione, ipſe Rex ſecundum formam antiquarum legum regnorum ſuorum, noua priuilegia diuerſo hominum ſtatui, quatenus, & quibus opus ſit, liberaliter concedit, vel pridem ab anteceſſoribus ſuis cōceſſa reſtaurat, & auget. Demum milites auratos, feudis abundanter diſtributis, cingulo, & enſe, ac clypeo præſtitis, tali tamen interueniente iuramēto, in manibus alicuius Prælati aſsiſtentis facto, creat: Ego N. opto mihi ita Deum propitium, & beatam Virginem, ac ſanctum Ericum, quòd volo iuxta extremum meum poſſe per vitam & bona mea, defendere fidem Catholicam, & ſanctum Euangelium, & tenere ac protegere Eccleſiam, & eius miniſtros in ſua libertate & immunitate, & ſtare contra omne quod iniquum eſt, & confortare pacem & iuſtitiam, & defendere pupillos & orphanos, virgines, viduas,

Donatiuū Regium Gothorum.

Iuſiurandū Equitum auratorū.

viduas, & pauperes, & fore fidelem meo Regi, & regnō seu patrię meæ, & iustè exhibere & exercere meum militarem statum ad honorem Dei; secundùm vltimum posse meū. Sic me Deus adiuuet, & omnes sancti eius. Amen. Hocq; iuramentum adeò fideliter & strictè obseruare solebant, vt audita proclamatione belli contra hostes fidei, maximè schismaticos Moschouitas in Orientali limite regni Suetiæ, & Finlandiæ, imò & à summis Pontificibus prædicata Cruciata contra Turcas, ilicò proprijs expensis, armata, & valida manu alacriter prelia Domini bellaturi sese in expeditionē contulerunt, vel ad terram sanctam peregrinantes, accepto ad sepulchrum Christi militiæ cingulo, se in numerum fidelium armatorum contra eosdem Turcas pro religione præliaturi, voluntariè immiscuere: quò plerunque euenit, vt gloriosi victores redirent in terrenam patriam, & tandem coronam suscepturi, in patriam cœlestem ac sempiternam.



De nuptijs plebeiorum. Cap. 5.

MOs est plebeiæ multitudinis apud Gothos, & Sueones, sponsalia cōtrahere cupientis, pluribus vti ceremonijs, diuerso tempore, modo, ordine, ac testimonio repetitis, præsertim hac ratione, vt stabiliores permaneant in mutua cohabitatione, vt nullo sit opus diuortio, etiam à lege permisso. Parentes nanq; puellæ ad coniugium petendæ; cuius stirpis, honoris, famæ, vel

 infamiæ,

infamię, probitatis aut improbitatis, morum & industriæ fit procus, imò an legitimo toro procreatus, diligenter inquiritur: compertaque virtute viri, præsentibus duobus ex paterna maternaque linea testibus, pater præsentat filiam sub his verbis astanti proco: Do tibi meá filiá ad honorẽ, & vxorẽ ad medium lectũ, ad ianuas, & claues, & ad omnẽ tertiam pecuniá possidédam in mobilibus bonis ac immobilibus, & ad omne eius, quod superior Suetia à S. Erico habet, & ipse S. Ericus dedit. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Eoq; casu spõsalitia pacta vigorẽ suscipiunt, & accelerata maturitate, melioribus superadditis solennitatibus absoluunt, talibus præsertim, vt affines, agnati & consanguinei, sub prudenti virorum ductore, ac honesta mulierum ductrice, statuta die in equestri pompa vndequaque ornatius ad Ecclesiam confluant parochialem: vbi ardentibus faculis mirificè factis & incensis, sacerdotali benedictione coronata sponsa producitur, atque ante summum altare lateraliter cum sponso collocata, vtriusq; solenniter requisito cohabitationis in prosperis & aduersis consensu, per annuli impositionem, & nuptialem benedictionem, omnes præmissæ cæremoniæ ratificantur. Nec silendum est, quòd sub ipsa annuli impositione, dorso tenus pugno sese astantes impetunt, vt eadem ratione actum corroborent, vti in Aurati militis creatione, vt memor sit, seruari solet. Qui talibus adsunt nuptijs, vt agnati, cognati, affines & amici, dona plurima, videlicet equos, boues, pecora, lectos, pannos, & fruges liberaliter offerunt: vt ijs felicibus auspicijs incipiant, & perficiant lætiorem cohabitationem. Specialibus tamen ceremonijs equus ac bos, & securis traditur: vt sciant se venire ad eum laborem, periculorumque societatem, qua idem nolle & velle permanere debeat, donec vel diuortio, si lex vrserit, vel morte soluatur. Sunt & multæ ceremoniæ circa tori introitum, vt parochialis sacerdos, si adsit, vel clericus, canat hymnum: Veni creator Spiritus, cum inuocatione diuini auxilij, vt nouis coniugibus prospera cuncta desuper elargiantur. Præterea mos est, vt aliquot delicatoria fercula

cula in lecto sedentibus nuptis exhibeatur, vt ijs cum astantibus breui mora vescantur: tandemque valedicentibus amicis, sua pace fruuntur. Sequenti tamen die noua nupta crinibus absconsis, affabili incessu conuiuis argenteos scyphos electiore liquore repletos, in signum quòd materfamiliâs effecta sit, liberaliter propinat.

De adulteris, & eorum pœna. Cap. 6.

MVlier adulterans, testimonio sex virorum deprehensa, perdit dotem, & quicquid secum tulit in cohabitationem viri: qui ea suspiciet: imò vitæ vtriusque potestatem habet & hæreditatis eorundem, vigore municipalium legũ patriæ Gothorũ & Sueonum. Si verò mulcta contentari velit, etiam eam ex municipalibus præscriptam habet: quam & volens hic pertranseo, licet Regi, Episcopo, & Fisco ciuitatis pars eius debeatur, cuilibet separatim. Si pœnam pecuniariam dare nequierit adulter, tũc duo saxa mulieri humero tenus imponi debent, & ipsa virilibus adulteri funiculo ligatis, ipsum per plateas ciuitatis aspicientibus cunctis pertrahere, ac demum abiurare ciuitatem, deinceps non ingrediendam, cogetur. Si vnus coniugum simile scelus commiserit, eadem pœna partialiter fiat, altero innocuo declarato. Verum ministro ciuitatis in talibus seruienti, speciale pecuniarum munus siue præmium deputatur.

LIBRI DECIMIQVARTI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
De diuersis hominum exercitijs.

EPITOME LIBRI XV.

De puerorum exercitijs. Cap. 1.

NE autem Gothorum pueri, & adolescentes ignauia, & otio torpescere permittantur, aut damnatis artibus primos annos transigant iuuẽtutis, pro consuetudine semper seruatum est, vt diuersis exercitijs instruatur exilis ætas, præcipuè militaribus exercitijs reseruanda, in sagittatoria arte, iuxta vniuscuiusque ætatis capacitatem, vt se diligenter exerceãt: eo videlicet modo, vt non panis quidem pueris exhibeatur, nisi sagitta prius tetigerint metam, instructorum industria collocatam. Reperiuntur itaq; pueri vix 12. annos egressi, tanta peritia sagittandi instructi, vt iussi telo traijcere caput, pectus, pedesq; minimarum auium à longè positarum, infallibiter tangant: nec minus senes oculorum aciem adhuc retinentes. Huius rei mõstruosum exemplum Saxo Danorum historicus de quodam sene adducit: cuius ballista tam portentoso cornu protendebatur, vt denos neruo calamos adaptaret: hi vegetiore iactu pariter in hostem detorti, totidẽ numero vulnera confecerunt.

De ritu fugandæ hyemis, & receptione æstatis. Cap. 2.

SVecis Meridionalibus & Gothis, longissimo prouinciarum spatio à polo remotis, alius ritus est, vt primo die Maij, sole per Taurum agente cursum, duplices à magistratibus vrbium constituantur robustorum iuuenum, & virorum equestres turmæ, seu cohortes, tanquam ad durum aliquem conflictum progressuræ,

Dux hyemalis.

furæ, quarum altera, forte depurato duce dirigitur: qui hyemis ritulo & habitu, varijs indutus pellibus, hastisque focalibus armatus, globatas niues, & crustatas glacies spargēs, vt frigora prolonget, obequitat victoriosus: eoque duriorem se simulat, & efficit, quò ab vaporarijs stiriæ glaciales dependere videntur. Rursumq; alterius equestris cohortis præfectus æstatis, Comes Florialis appellatus, virentibus arborum frondibus, folijsq; & floribus (difficulter repertis) vestitus, æstiualibus indumentis parum securis, ex campo cum duce hyemali, licet separato loco & ordine, ciuitates ingrediuntur, hastisque edito spectaculo publico, quòd æstas hyemem exuperet, experiuntur.

Dux æstiualis, seu Comes floridus.

Adidem. Caput. 3.

VNde & acriter vtraque parte triumphate cupiente, illa vehementius alteram vrget, quæ eo die ex aëris clementia vel austeritate videtur mutuare vigorem. Si hyemis asperitas adhuc suum gelu spirat, depositis hastis cineres viuis ignium scintillis comixtos, vrnis vel saccis extractos, obequirādo hyemis persona, super aspicientes effundit. Similiter & hi, qui eodem cultu & habitu, quasi auxiliares turmæ adiuncti sunt, in equis igniuomos globos eijciunt in aspiciētes. Ne autem æstatis persona ob defectum ramorum virentium florúmve, cum sua equestri cohorte priuetur honore cupito, longè antea betuleas frondes, seu tiliæ virgas, vaporarij calore & irrigatione artificiosè virentes, quasi è sylua productas, clāculò elatas, sed aperte reductas ostendit: quo casu ob defraudatam naturā, hyemis propugnatores infestius instant, ne dolo quæsita victoria emergat, aut sistatur in placida pompa: quæ tamen fauorabili astantis populi asperrimum hyemis dominium peramplius sufferre negātis, iudicio, digna iustaque sententia conuincitur, vt æstati pro publica lætitia victoria cædat, victoriamque partam splendido instructo conuiuio æqualibus perficiat, & corroboret haustibus: quam assequi vix potuit hastis.

De Maialibus festis. Cap. 4.

DEmum omnibus tam ſyluis, quàm pratis, & campis vireſcentibus, & floreſcentibus, ſole per Cancrum tranſeunte, hoc eſt, in Vigilia Natalitij ortus D. Ioannis Baptiſtę (quem diem miris feſtiuitatibus ſeruabat antiquitas, celebrique cultu poſteris ſeruandum docuit, & præcepit) populus omnis vtriuſque ſexus & ætatis, turmatim in publicis plateis vrbium, aut planicie camporum, vbique copioſis accenſis ignibus, pro choreis tripudijsque exercendis, concurrere ſolitus, vetuſtorum heroum domi foriſque magnifica geſta vbilibet in orbe peracta, ſaltando decantat: etiam quid illuſtriores fœminæ pro æternis aſſequendis laudibus, amore ſeruandæ pudicitiæ perfecerunt. Præterea quid degeneres ignauiq́ne nobiles, crudeles tyranni, & turpes fœminæ excluſa honeſtate fecerunt, patrijs cantionibus & rhytmis ſonantibus citharis, ac tibijs alternatim adductis, exoluunt. Inſuper puellæ matrum doctrina præmonitæ, quot quantaque mariti vitia, in luſibus alearum, rixa tabernarum, luxu veſtium, societate ſcurrarum, & continua ebrietate & crapula exerceant, pſallendo reſoluunt. Sed rurſus ingenioſiores adoleſcentuli concinere norunt, quàm pigerrimæ, fallaces, indomitæ, rixoſæ, garrulæ, furaces, nugaces & infidę ſunt mulieres, ne ſola querela maritos ſuggillēt. Deinde quid perfidi ciues, verſuti artifices, vagi negociatores, ſtertentes nautæ, ruſticique infideles, & aſtutiſsimi proditores, ac blandiloqui adulatores, & auari crudeleſque terrarum præfecti efficiunt, varietate cantionum, & muſicis inſtrumentis exponunt: ea potiſsimum ratione permoti, vt tenera iuuentus agnoſcat, quàm excelſa ac ſplendida virtus ſit, æterniſque laudibus digna, bonorum inhærere veſtigijs, & à peſsimis reſilire, ac præcauere exemplis.

De luſu

De lusu aleæ & Schacorum. Cap.5.

MOs est apud illustriores Gothos & Sueones, filias suas honesto coniugio collocaturos, procorum animos miris ingenijs & passionibus examinare, præsertim in ludo Latrunculorum, seu Schacorum. Eo enim ludo ira, amor, petulantia, auaritia, socordia, ignauia, aliæque plures dementiæ passiones, & animi motus, fortunæque vires & proprietates demonstrari solent: scilicet an procus agrestis animi sit: quòd subitò triumphando indiscretè exultet, aut iniurias illatas cautius pati, vel modestius auertere norit.

Procorum ingenium in ludo latrunculorū probatur.



De chorea gladiatoria, vel armifera saltatione. Cap.6.

HAbent præterea Septentrionales Gothi & Sueci, pro exercenda iuuentute aliū ludū, quòd inter nudos enses, & infestos gladios, seu frameas, sese exerceāt saltu: idq; quodā gymnastico ritu & disciplina, ætate successiua à peritis, & præsultore, sub cātu addiscunt: & ostendunt hunc ludū, præcipuè tempore carnisprivij, Mascharatum Italico verbo dicto. Ante etenim tempus eiusdem carnisprivij, octo diebus cōtinua saltatione sese adolescentes numerosè exercent, eleuatis scilicet gladijs, sed vagina reclusis ad triplicem gyrum, Deinde euaginatis, itidemque eleuatis ensibus, postmo-

postmodum manuatim extensis, modestius gyrando alterius cuspidem capulumq; receptantes, sese mutato ordine in modum figuræ hexagonæ subijciunt: quam Rosam dicunt: & ilicò eam gladios retrahendo eleuandoq; resoluunt, vt super vniuscuiusque caput quadrata rosa resultet: & tandem vehementissima gladiorum laterali collisione, celerrimè retrograda saltatione determinant ludum: quem tibijs, vel cantilenis, aut vtrisque simul, primùm per grauiorem, demum vehementiorem saltum, & vltimò impetuosissimum moderantur. Sed hæc speculatio sine oculari inspectione vix apprehenditur, quam pulchra honestaque sit, dum vnius parcissimo præcepto, etiam armata multitudo quadã alacritate dirigitur ad certamen: eoq; ludo clericis sese exercere, & immiscere licet, quia totus deducitur honestissima ratione.

Rosa gladiatoria.

De arcuali chorea. Cap. 7.

Alia etiam iuuenum exercitatio est, vt certa lege arcualem choream ducant, atque reducant, alijs quidem instrumentis, sed eadem vt gladiatorum saltantium disciplina reducta. Arcubus enim, seu circulis inclusis, primùm modesto cantu, heroũm gesta referente, vel tibijs, aut tympanis excitati, gyrando incedunt, seq; dirigentes (qui Rex dicitur) sola voce reducunt: tandem solutis arcubus aliquantulum celerius properãtes, mutua inclinatione cõficiunt (veluti aliàs per gladios) rosam, vt formam sexangularem efficere videantur. Vtq; id festiuius sonoriusque fiat, tintinnabula, seu æreas campanulas genu tenus ligant. Est & alia quædã choreæ, seu ludi species, qua machina quãdam lignea homines per aëra, rotarum more & impulsu iactantur: vel alio modo agilitate corporum insignes ludunt: vt hastis, circa quas se voluunt: funibus etiam, supra quos reciproci ambulant: item circulis, per quos se more piscium transmittunt: item tabulis, è quibus in aëra pendent, vno brachio se sustinentes: hicque ludus Petauristicus appellatur, quòd iuuenes leuioribus saltibus mouentur. Pilarum etiam proiectilium, atque fustium impulsu, aliarumque infinitarum specie-

Ludi petauristici.

ſpecierum ludi, ſecundum varietatem temporum ibidem currendo, luctando, ſaltando, pedibuſque ſurſum erectis ſuper manus ambulando, fiunt. Sunt etiam bellicrepæ armorum ſaltationes, quæ clypeis ac enſibus, tibicinis moderatione tardius vel celerius variantur ad ſaltum.



De Pyrrhica ſaltatione. Cap. 7.

MOS eſt ante aulas Septentrionalium Regum & Principũ, tempore frigoris copioſos ignes, ex arboribus abietinis præcipuè, quarum ibidem copia eſt, inſtruere: quia ex earum combuſtione tantus enaſcitur ſonus & ſtridor, vt à longè non videntes ſed audiẽtes, exiſtiment corruere trabes, & tecta. Ne autẽ fragor ille naturæ videatur ocioſus, quaſi tympanis excitati circũ ſedentes ignibus fortiſsimi quiq; viri, in gyrũ ſaltumq; conuertunt, tantoq; impetu ſaltando conſtringunt, vt neceſſum ſit poſtremum quenque, quaſi rupta fortiſsima catena, in ignem illabi: moxq; exiliens ſaltantium applauſu in ſublimiori ſede reponitur, vt ilicò pro Regij ignis violatione, amphoram vnam atq; alterã, bene magnam, fortioris ceruiſiæ epotet. Eo enim potu ſaniſſimo, ſobriè tamen exhauſto, animá vireſq; reſumens, celerrimè reuertitur ad ſuos congyrantes, & ſaltatores qui ſimiliter motu, igne, ſitiq; agitati, non inuiti retra hũtut ad pœnas affixas, exceptis his, qui aliàs flãmarũ

Stridor ignis abietini.

R ſaltibus

saltibus fuerant exercitati: quibus ars & robur inest, vt amplius haud possint in ignē intrudi. Fortius nanq; tenēdo, per experientiā didicere in tali spectaculo subsistere cautiores. Ideoq; maiori mēsura bibendi hono rantur, licet minimè deliquerint in Regium ignē. Reli qui verò successiua alacritate etiam in profundam no ctem saltū continuantes, quasi omnes alternatim præcipitantur in flammam: taliq; modo roboris firmitatē, varioq; agitationis genere tyrones militiæ plurimum consequuntur, vt constantissimos mores in igne, saltu, & duro tactu firment, quatenus seriosis instātibus bel lorum congressibus, æquanimiter sufferre valeāt turba tiones vehementiores. Sortiuntur etiā taxillis adhibitis, quis ignem vestitus transiliat. Si verò quis ianuā Prin cipis malitiosa præsumptione iocum excedens offende rit, vix ignem, quòd in eo non comburatur, euadet.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de Ecclesiasticis disciplinis.

Epitome Libri decimisexti.

De ritu orandi in Ecclesijs. Cap. 1.

GEntes Septentrionales ex pagis remotissimis ad Parochias baptismales profecturæ, aliud genus armorum, præter ballistam, gladium, & securim, nō ferunt. Ballistas inquam, propter feroces bestias, vrsos præcipuè immanes & insatiabiles lupos, qui tribus mensibus, Ianuario, Februario, & Martio plus solito ferociunt, quàm reliquo anni tempore: quòd interimantur eo apud Deum præmisso voto, atque seruata fide, vt pelles feræ percussæ, quasi pro sacrificio scabellis sacrorum altarium sub pedibus celebrantis offerātur. Et hinc est ortum, quòd maximo ac horrendo vt gente frigore, super vrsinam pellem stant sacerdotes celebratur. Si verò lupina pel lis,

lis, aut lyncea, vel vulpina, aut alterius generis retibus excepta fuerit, pretium eius procereis Ecclesiæ fideliter adaptatur. Dixi prætereà gladios, vt vim vi, si in insidiis occurrerit, repellant. Deinde secures, propter arbores diris tempestatibus per trāsuersam viam eiectas, vt liberè transeant, excidendas & amouendas, vel pontes subita inundatione perfractos celerius restaurent. Ferunt etiā lanceas loco baculi, ob aqueas fossas transiliendas. Habent nihilominus baculos annales, seu Calendarios (de quibus libro primo dictum est) pro gestamine manuū: quibus docent, disputant, interrogāt, & concludunt lunares cōiunctiones, & oppositiones, ac cursus, festa mobilia, ac fixa: pariter & signa dierum, infallibili experientia, quasi è libro declarata legerent, exponuntur & interpretanrur.



De Principum funeribus & sepulturis.
Cap. 2.

MOs antiquorum erat, cadauera Principū in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquam sacris locis numinibus consecratis, suspendere, aut flammis iunipcrini ligni comburere, vel certis monticulis grandibus saxis, vcl quadrato, vel rotundo ordine circunseptis, humi cū gladio & claua recludere, queādmodū Saxo l. 8. de victo & mortuo Danorū Rege Haraldo meminit: cui victor Rex Suetię Ringo fastuosissimum

adhibuit funeris cultum. Hæc etenim pietatis conditio est, vt victum victor inferiis prosequatur: & qui defuncto hosti (teste eodem Saxone lib.3.) iusta persoluerit, superstitis sibi fauorem adsciscit: viuumque beneficio vincit, quisquis extincto studium humanitatis impendit.

De varietate ægrotantium, morborum, & medicinarum. Cap.3.

MOrbi Aquilonarium peculiares hi sunt, Tussis, calculus, dentium oculorumque dolor, tormina intestinorum, febris, pituita, scabies, & Gallicus morbus, ac puerorum morbilli: pestis etiam quò rarius venit, eò serius interimit homines, in crapula præsertim infatuatos. Est & alius morbus castrensis, qui vexat obsessos & inclusos: talis scilicet, vt membra carnosa stupiditate quadam densata, & subcutaneo tabo, quasi cera liquescens digitorum impressioni cedant: dentesque veluti casuros obstupefacit: colores cutium candidos, ac ceruleos reddit: torporemque inducit cũ nausea capiendarum medicinarum: vocaturq; vulgari lingua gentis *Schoerburch*, Græcè Cachexia, forsitan à subcutanea mollitie putrescente: quæ videtur esu salsorum ciborum, nec digestorum nasci, & frigida murorum exhalatione foueri. Sed vim tantam non habebit, vbi muri interius tabulis quorumcunque lignorum sunt cooperti. Insuper si diutius grassatur iste morbus, absynthiaco potu continuato illum arcere, sicuti & calculi radices, per decoctionem veteris ceruisiæ cum butyro epotæ, tollere solent: quæ passiones huiusmodi calculi & renum, totaliter auferre, vel in magna parte alleuiare solent.

Morbus castrensis, qui videtur dici cachexia

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de animalibus domesticis.

Epitome libri Decimiseptimi.

PRAEFATIO.

ANimalium genera vti multa, variaq; sunt in toto terrarum orbe, suis prouinciis & naturis appropriata, ac distributa, vt elephantes, cameli, leopardi, leones, struthiones, tigrides, simię, & id genus reliqua, sine pilorum densitate in calidis terris numero incomparabili multiplicata: Ita & in frigidis regionibus cōplures reperiuntur bestię, sed valde pilosæ, propter asperrimas hyemes exuperandas: vt sunt vrsi albi, vri nigri, alces alti, rangiferi proceri, lupi feroces, gulones voraces, lynces perspicaces, lutræ fallaces, castores medicinales, damulæ pauidæ, vulpeculæ astutæ, nigrę & albæ, atque aliæ alibi insitatæ naturæ & nominis bestiæ, succesiuis capitibus inferius per ordinem diligentius insinuandę: ea potisimum causa, vt pius inspector agnoscat, quàm admirabilis excelsi creatoris affectus & amor est in omnibus creaturis suis, vbique terrarum suæ dispositioni subiectis, maximè in frigidisimo climate Septentrionalis plagæ (concessa naturali sagacitate) conseruandis: scilicet vt vndique conclusa niuibus & gelu tellure pastum prohibente, nedum viuere, sed & genus producere atque alere posint, & inter asperrima elementa illæsæ manere.

De Arietibus & Agnis. Cap.1.

INsula est in Gothico mari, regno Gothorū, seu Sue tiæ subiecta, Gotlādia, id est, bona terra, ab omnibus eam frequētantibus sic nominata, eò quòd inter Aquilonares insulas meritò felix & abundans, ob plurimas naturæ dotes, computari debeat, & magnificari. Hæc *Gotlandia insula.*



arietes, siue verueces, cæteris robustiores, & proceriores producit: quibus quaterna, vel octona cornua crescũt: tantumque ferociæ à cornibus mutuant, vt tempore coitus, nisi serra vel lima demantur, cæteris animantibus sint nocumento, ipsique pastori rebelles. Lanã habent longam, & mollem: quam aliquando Romæ exigua veste resolutam, artifices birreta facientes, mirè cõmendarunt. Habet etiam tota Septentrionalis regio magnorum arietum & ouium multitudines: in quibus & fœminæ cornua gerunt arcuata. Sunt & multa loca versus polum Arcticum, vbi nec arietes, nec oues cornua habent, neque tauri, aut vaccæ.

De bobus & Vaccis. *Cap. 2.*

REgna Aquilonaria, præsertim Vermelandia ac Dalia, propter pascua vberrima, boues habẽt electissimos, etiam prouinciæ Vestrogothorum: hiq; boues singulis annis non tam proceritate corporis, quàm numero magno multiplicantur. Habet & Noruegia, Suetia, & Finlãdia similes, ad æstiualia, seu hyemalia plaustra, seu etiam agrorum vsum aptissimè dispositos: quibus, sicuti & equis, ad vomeres voluendos vtuntur. Sed nũquam vaccæ plaustris trahendis, aut agris preparandis aptantur: imò nec vlli oneri, ob spem vitulorũ gignendorum, subduntur. Sed hi adhuc tenerrimi à matribus segregati, seuiente frigoris horrore, in æstuariis ad hoc spe-

ſpecialiter ordinatis, nutriri ſolent: hyemeque productiore, aſperiorique inualeſcente, putaminibus quercinis, loco fœni vel culmi, iumenta veſcuntur. Aeſtate verò, in lucidiſsimis noctibus paſcua ſumunt ſub cura paſtorū, propter improbos vermes, & bruchos: quos ipſi cuſtodes piceis fumis, vbique pinorum combuſtione flammantibus, exurunt, aut arcent. Sed nō ex integro: quia ingruente autumnali tempore, bruchi ingrediuntur cutes macrorum boum, ibique hybernant, vt tempore vernali cutem exeant, ac hoſpitem vexent: veluti erucæ folia arborum depaſcentes, quarum ſeminario folliculo inhærentes, hyemem tranſigant quietiorem. Boues tamen, quibus vermes huiuſmodi ſunt infeſti, è cœtu aliorum, quantum induſtria permittit, ſeorſum impinguandi mactandique ſegregantur: tuncque dorſotenus velut cribrum cutis perforata apparet, pretium ſui diminuens aliena labe. In iis autem locis ſanius conſeruantur, celeriuſque impinguantur, vbi nec muſcarum aculeis, nec bruchorum ſtimulis agitantur & fatigantur, & herbarum virētium ſatietate non priuantur.

De Equis Septentrionalibus.
Cap. 3.

Noruagici equi ſtatura mediocres, admirandæ fortitudinis & pernicitatis ſunt, in montibus ac viis ſaxoſis penetrandis. Suetici verò ac Gothici, paludes & colles altos, profundoſque ſaltus indifferenter longiore dieta, magnaque celeritate abſoluūt. Oelandici, quia paruuli ſunt, ludicro magis ſpectaculo, quàm labori deputantur: licet & in illis egregij laborioſique, diſtincto genere reperiantur. Equi etiam Finnonici bonæ qualitatis ſunt.

De Equis præliaribus. Cap. 4.

Maximi verò equi quos Septētrio producit, præſertim in regno Veſtrogothorū, non ſolùm publico edicto hippagogis educi prohibētur, ſed vt militaribus exercitiis, & diſciplinis ad omnem armorū vſum pro patriæ defenſione enutriri, cuſtodiri, & adaptari de-

beant, satis strictè iubetur. Tales etenim equi hyemalibus bellis, quæ in Aquilonaribus regnis fiunt, ob cō natum frigus assueti, hyemis patientes, animositate ac fortitudine armatum sessorem, quocunque direxerit, inoffenso accessu, ac valido cursu intrepidè cōportant: & ob id omnibus generosis equis, quos Hispania, Neapolis, Gallia vel Germania gignit, assimilari possunt, si præferri non merentur. Licet Africis, Numidicis, aut Turcicis equis in celeritate cursus non comparantur: hanc tamen velocitatem mira audacia & fortitudine recompensantes, pro natura populi, loci, & temporis qualitate, maximis bellis satisfacere deprehenduntur.

De Felibus seu Cattis. Cap. 5.

Feles candidæ. FEles seu catti, Græco vocabulo Aeluri nuncupati, satis magni, frequentesque, candidi præsertim coloris, in Septentrionalibus terris reperiuntur: qui nedum domos, humanasque habitationes, horrea, atque granaria, sed & agros ædibus viciniores, mira sagacitate murium gliriumque præda compurgant. Qui verò syluestres sunt, auibus, & minutulis animalibus insidiantes, vescūtur. *Feles syluestres.* Harumq; feliū pelles vestibus subductæ, mirè prosunt aduersus hyemales asperitates.

De Hircis & Capris. Cap. 6.

Hircorum in Aquil. numerosus grex. HIrcorum & caprarum in Aquilonaribus terris lōgè maior est abundantia, quàm in reliquis Europæ locis, ob montana pascua, & pastorum caprariorū diligentissimam curam. Hirci itaque ibidem sunt magno corpore, crassis cruribus, breui & plena ceruice, auribus flexis & depressis, paruo capite, longo, spisso ac nitido collo, cornibus altis & latis, animosi, bellicosi, & robusti, ita vt lupis mediocribus, canum tamē auxilio, congredi non formident. Ferè omnes colore albi sunt: ita & capræ. Hyeme pascuntur pinearum arborum corticibus, atque musco, & populeis virgis. Pelles eorum maximis nauigiis, quæstus & lucri causa, decadumque numero exportātur ad Germanicas oras: *Hirci & capræ ferè omnes albi.*

vbi

vbi rursus amplius disperguntur in orbem. Similiter & casei, propter efficaciam nutrimēti, ac medicinæ, scilicet stupidę ac ingrossatæ carnis, vel turgentis. Carnibus caprinis crudis, sole, sale, ventóque siccatis, inco læ auidius vescuntur, quàm ilicò mactatis: idque tempore æstatis, & agriculturæ.

Carnes crudæ caprarū eduntur.

Quæ munera dentur nouis nuptis. Cap. 7.

POpulis Aquilonaribus mos est, nouæ nuptæ plebeiæ conditionis, pro initiandis augendisque armentis, & domestica supellectile, liberaliter donare porcam, ouem, & vaccam, atque marito equinos pullos, canem, felem, & anserem.



De Rangiferis. Cap. 8.

IN partibus Septentrionis vtriusque Bothniæ (sic enim extremi Aquilonis terræ, quasi à fundo vasis, vocantur) & magnæ Lapponiæ, bestia tricornis est, de genere ceruorum, sed longè procerior, robustior, ac velocior, Rangifer duplici ratione dicta: vna, quòd in capite ferat alta cornua, velut quercinarum arborum ramos: alia, quòd instrumēta cornibus, pectorique, quibus hyemalia plaustra trahit, imposita, Rancha & Locha patrio sermone vocantur: quorum cornuum duo cæteris maiora, eo loco, quo ceruus habet: sed ramosiora

Rancha. Locha.

ſiora ac extenſiora, ad ramos quindecim aucta. Aliud verò in medio capitis, ramuſculis circunſtantibus cæteris breuioribus, ſitum eſt, caput vndique contra inimicas beſtias, præcipuè lupos, armatum reddens, imò admirationis decus inter cætera monſtra præſentans. Cibus huius beſtiæ eſt, muſcus montanus, candidus, præſertim in hyeme, niuibus in ſuperficie ſoli coopertus: quas niues, licet denſas, naturæ inſtinctu (quaſi ſylueſter equus) perforat, cibū quæſiturus. In æſtate verò foliis ac frondibus arborum, ſtando eundoque melius, quàm ſe inclinando floribus ac herbis, propter cornua nimis antrorſum incuruata, veſcitur: idque laterali & obliqua capitis inclinatione. Iubatum habet collum, veluti equus: vngulas biſulcas, & ferè rotundas, à natura tributas, eò quòd eius tranſitus, aut curſus etiam admiſſo ſeſſore, fit ſuper altas niues, in vallibus, campis, aut montibus condenſatas.

De vtilitate huius animalis.

Cap. 9.

Manſuefacta hæc animalia, veluti armentarij greges, maximam præſtant dominis ſuis vtilitatem, videlicet in lacte, pelle, neruis, oſsibus, vngulis, cornibus, pilis, ac carnibus ad victū delicariorem. Quidam terrarum incolæ poſsident 10.15.30.70.100.300. vel 500. qui paſtorum cura ad paſcua ducuntur, & reducuntur, ſtabuliſque, ob agmina montanorum luporum (cæteris ferociorum) graſſantia, clauduntur. Educti in terras alienas, præſertim vltramarinas, ob cæli ſolique mutationem, aut inſolitam eſcam (niſi paſtore conſueto cibentur) nō diu ſuper ſunt: quemadmodum olim Illuſtriſsimum Principem Suetiæ Stenonem Sture iuniorem, Duci Holſatiæ Friderico ſex huiuſmodi animalia miſiſſe, notatum eſt, duoſq; maſculum & fœminam, Lapponicæ gentis coniuges, eiſdem animalibus adiunxiſſe cuſtodes: quibus è ſua natiua terra trāſlaris, atque alienæ directioni ſubiectis, quia optata quies, viuendique ratio ſubtracta erat, nec ipſi, nec beſtiæ ſingulari cura deſtitutæ, diutius in vita manſere. Similiter & à Rege Suetiæ Goſtauo circa annos Domini

Rangiferi 6. vna cum paſtoribus duci Holſatiæ miſsi moriuntur.

mini 1533. postquã aliquot illustribus viris terræ Prussiæ, cùm ad spectaculum, tum ad generis propagationem, decem similes vtriusque sexus rangiferi emissi essent, syluestri libertate donati sunt: at nihil inde compertum erat, an ipsa mutatio loci profuerit stirpis propagationi.




De curulibus plaustris Rangiferorum. Cap. 10.

VIdendum est, duo esse genera Rangiferorum, syluestrium videlicet, & domesticorum: qui vsibus humanis subdita mansuetudine fideliter inseruiunt, vbi feræ naturæ reliqui in solitudine relicti, augmento generis se sociant, vt interim venatione premãtur. Qui domestici sunt, curulibus plaustris aptantur, optimeque grauissima plaustra per rura campósque deducunt, res scilicet pretiosarum pellium, pannorum, piscesque diuersæ speciei continentia: eò quòd pro maiori parte Lappones ichthyophagi sunt, inexhausta fertilium aquarum piscatura viuentes, vt & infra de eorum diuersis exercitiis erit aperiendum. Iter itaque eorum est in vallibus planis, Noruegiam (ad quam frequentius proficiscuntur) respiciens, tanquam in rerum commutatione locum viciniorem, ac populum fidelioris amicitiæ seruandæ commodiorem. Qui verò his curribus præfecti sunt, vulgari gentis nomine Quenar appellantur, singulis diebus, si ita beneplacitum est, *Lappones Ichthyophagi.*

aut

30. miliaria Gothica vno die excurrunt curules rangiferi. aut exegit necessitas, centum, & quinquaginta millia passuum, id est, triginta miliaria Gothica, siue Germanica conficientes: cursusque eorum animalium non minoris grauitatis, quàm equorum reputantur.



De vehiculis hyemalibus Rangiferorum.
Cap. 11.

HYemalium vehiculorum vsu miram commoditatem assequuntur prædicti Lappones, maximè quòd lubricitate huiusmodi vehiculorum cum niue conformi, longa peragunt itinera, ad loca rerum commutationibus deputata, prout superius Lib. 11. de forma eorum extitit declaratum: & edicto, ne externis hominibus ob maximam celeritatem accommodentur. Hic verò ostenditur, quòd ea velocitas causatur ex pellibus tenerrimorum Rangiferorum, vehiculis his hyemalibus subductis, hac præcipuè arte, vt anterior pars pellis, antrorsum consuatur sub rheda: quo fit, vt pili foras euersi, nedum lubricitatem generent progrediendi, sed & resistendi firmitatem, ne retro labatur auriga: alioquin in collibus altis nunquam haberetur, aut perficeretur optatum iter. Imò eo compendio viatores arcubus sagittisque extensis, syluestres rangiferos venatu acquirere solent.

Decem-

De commoditate partium huius animalis. Cap. 12.

Lac deputatur ad vsum domestici nutrimenti, ac serum illius, ad potum conuenientem. Pellis pro tegumento humano, tam corporis, quàm lectorũ: imò equestrium sellis, culleis, & follibus artificum diuersorũ aptatur: valde enim tenax & fortis est, ac durans. Nerui loco lini (ibidem ob frigora non crescentis) ad indumentorum vsum, instar fili præparati, deputantur, prout superius lib. 4. de colligatione nauium, ferro deficiente, fuerat interpretatum. Ossa atque cornua, arcuum & ballistarum artificibus, auidè ea pro rerũ com mutatione quærentibus, applicantur. Similiter & vngulæ spasmaticis prosunt. Pili pro farciendis mollificandisque sellis equestribus, atque puluinaribus pro hospitibus honorandis, & hyeme reprimenda. Carnes eius animalis optimæ & salubres sunt, sale ventoque siccatæ, durabiles ad plures annos: licet interim mos genti sit, ex venatione veteribus adiungere recẽtiores.

LIBRI DECIMI SEPTIMI.
finis.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS
de animalibus syluestribus.

Epitome Libri decimioctaui.

De Alcibus seu Onagris, & captura earum.

Cap. 1.

Vagantur Alces instar ceruorum gregatim in vasta solitudine, insidiisq; extensorum telorũ, industria venatorum sæpisimè capiuntur, vel maximorum canũ insultu retruduntur in antra rupium, vt inde rarò viuæ euadant: imò quiescentes



quiescentes humi, vel erecti stantes onagri maximi, à minima quandoque mustela gutur insiliente mordétur, vt sanguine decurrente illicò deficiant morituri. Adeò insatiabilis est hæc bestiola in cruore sugendo, vt vix similem suæ quantitatis habear in omnibus creaturis. Hacq; bestia cannis imposita, chordaq; directa, quidam prædantur nidos hyrundinum, columbarum, & gallinarum, vt eorum extrahant pullos: quibus mirè insidiatur, hoc solo instinctu, vt sanguinem sugat, quasi ventrem haberet elephante maiorem.

De pugna Alcium, seu Onagrorum contra lupos.
Cap. 2.

SEd nec sufficit commodo atque vtili animali, homines sustinere venatores telis asperis, sagirtisq; laris, millenis insidiis sese in vasta solitudine impetẽtes: imò & bestiolas contemptibiles, mustelas scilicet præmissas, respectu tam proceræ altitudinis suę: nisi & ferocissimos lupos, montanos præsertim, sufferat insidiatores: eo videlicet modo, vt quũ asperrimę hyemes sint, denseque niues, ipsi lupi fame pressi, heremi latebras vasto agmine circumeuntes, expostulent prędam: laeubusque congelatis onagros inesse speculantur: in quos irruentes, & vngulis & cornibus vel interimuntur, vel effugantur. Tanta enim vis est in ictu vngulæ, vt illicò tactum lupũ interimat, aut fodiat: quod sæpius, in canibus robustissimis venatores experiuntur,

tur, imò elabente cane opposita arbor eliditur, quasi fungus adesset. Onagri naturæ instinctu, norunt apta certamini loca, scilicet in lubrica glacie, in qua mucronatis vngulis sunt solidiores, vbi lupi quasi in vaginis vngulas retinent viribus vacuatas: atque ita in conflictu manentes, non procul absunt venatores, qui fatigatam partem prelio excedentem, ad interitum vsq; subsequi solent, alieno periculo prædas opulentiores conquisituri. Fit enim atrox certamen, vt pauci onagrorũ, at multi luporum lacerati linquãtur: quos ob pellium valorem venatores acceptant, atque interim onagri seu alces in tuta recedunt. Lupi procul dubio super congelatum niuium cacumen, tanquam leuius insultantes, exciperent victoriam, vbi alces graui pondere niuibus immersæ, lupis fierent esca. Ita prouidens natura vnicuique animanti, idoneum campum pro sui defensione distribuisse videtur.

De Ceruis & Damulis. Cap. 3.

Licet in Septentrionalibus terris, plus quàm in alia orbis vlla regione, videãtur asperrima frigora prædominari, tamen innumerabilis ibidem etiam ignoti generis animaliũ multitudo reperitur, vt partim dictum est, atque peramplius ostendetur. Inter quæ ad esum humanum prædicti onagri, & hîc dicendi cerui, damulæ, atque capreoli, nobiliorem sortiti sunt æstimationem: & ob id eorum venatio solis nobilibus, atque eorum officialibus, & priuilegiatis regnicolis, vt sunt hospitum receptores, & Ecclesiarum præsides, antiqua lege reperitur admissa: atque etiam ne auiditate venatorum (quorum maximus ibi numerus est) solitudines euacuentur in sobolis propagatione. Cornibus tamen in nemoribus, tanquam pignore futuræ prædæ relictis, vtuntur occupatores: licet non facilius sit ea inuenire, quàm ceruas prospicere parturientes, aut onagrum liberum in terra salsuginis rugientem.



De Castoribus. *Cap.* 4.

MAxima horum animalium abundantia est in Septentrionalibus aquis, eò quòd quietiores sunt, quàm Rheni, vel Danubij: vbi strepitus est, & incessabilis nauigantium labor. In Aquilone infiniti fluuij sunt, & arbores aptissimæ, pro domibus ædificandis: quas & mira fabricant arte, docente magistra natura. Gregatim etenim ad cædenda ligna incedunt, dentibusque ligna præscindunt, & præscissa ad sua laribula miro modo comportant. Nam vnum ex suo grege laboribus inutilem, desidem aut ignauum, vel senio con fectum, sed maximè alienæ societatis & gregis profugum, pro vehiculo pedibus eleuatis supinum in terram dorsotenus sternunt: inter coxas & crura, ligna ordinant, & cõponunt: & eum trahentes ad suas mansiunculas, à lignis exonerant: iterumque exeunt & redeũt, donec institutæ domunculæ fuerint elaboratæ, situ scilicet bicamerali vel tricamerali, vt corpus ab aquis emineat. atque cauda in eis quiescat, quæ, vt pedes posteriores, pro piscibus in escis habetur. Est enim cauda instar piscium squamosa, coriaria, tum densitate sufful ta, atque nodis larentibus mirè distincta, delicatissimam præbens escam, atque medicinam iis, qui sauciis intestinis elanguent. Nec periti coci eius præparationem ignorant, siue pro cibo, siue pro medica refocillatione sit præparanda. Dentes habet acutissimos, vt arbores iuxta flumina, quasi ferrea nouacula cędat: quin

& ho-

& hominis, venatoris præsertim, parte comprehensa, non antè quàm fracta concrepuerint ossa, morsu resoluit.

De Gulonibus. Cap. 5.

INter omnia animalia, quæ immani voracitate creduntur insatiabilia, Gulo in partibus Suetiæ Septẽtentrionalis præcipuum suscepit nomen, vbi patrio sermone Ierff dicitur, & lingua Germanica Vielefraſs, Sclauonicè Roſsomaka à multa comeſtione: Latino verò non niſi fictitio, Gulo, videlicet à gulositate appellatur. Grosſities eius, vt magni canis: aures & facies, velut catti: pedes & vnguę aſperrimæ: corpus villoſum, & prolixorum pilorum ſubfuſcorum: cauda vt vulpis, licet breuior, ſed crinium denſiorum: vnde optima conficiuntur hyemalia capitum tegumenta. Hoc igitur animal voraciſsimum eſt. Reperto nanq; cadauere, tantum vorat, vt violẽto cibo corpus inſtar tympani extendatur: inuentaq; anguſtia inter arbores, ſe ſtringit, vt violentius egerat: ſicq; extenuatum, reuertitur ad cadauer, & ad ſummum vſq; repletur: iterumq; ſe ſtringit anguſtia priore, repetitq; cadauer, donec eo conſumpto, aliud ſolicita venatione inquirat. Creditur à natura creatum ad ruborem hominum, qui vorãdo, bibendoq; vomunt, redeuntq; ad menſam, noctes & dies continuaturi, prout Mechouita in ſua Sarmatia opinatur. Caro huius animalis omnino inutilis eſt ad humanam eſcam: ſed pellis multum commoda, atque pretioſa. Candet enim fuſcata nigredine, inſtar panni Damaſceni, diuerſis ornata figuris: atque pulchrior in aſpectu redditur, quò artificum diligẽtia & induſtria, colorum conformitate, in quocunque veſtium genere fuerit coadunata: ſoli Principes & magnates eo indumento tunicatum more confecto, hyemis tẽpore vtuntur: quia calorem adducit citius, & eum diutius ſeruat inductum: idq; non ſolùm in Suetia & Gothia, ſed & in Germania, vbi raritas harum pellium maiorem ſortitur æſtimationem, quando nauigijs vnà cum cæteris mercibus fuerit appretiata.

De honestandis hospitibus in harum pellium tegumentis. Cap. 6.

NEque incolæ terrarum quæstus causa permittunt has pelles educi in alienas regiones, cùm & earum tegumentis tractent in hyeme hospites honorabiliores: argumentum ostendentes sufficiens, sese nihil amœnius, clariusq; ducere, quàm bonos hospites quouis tempore & ordine magnificare, etiam in vehementi frigore, quando inter alia beneficia lectos tam pretiosis pellibus stratos, eisdem exhibent præparatos. Sed neque silendum existimo, quòd dormientibus sub harum pellium tegumentis, euenire solent somnia, quasi eius animalis vitæ, naturæque conformia, in insatiabilitate deuorandi, & bestijs insidijs faciendis & præcauendis: quod forsan sub ratione fit, vt qui species calidas, zinziber, aut piper comedunt, comburi videantur: & saccharum manducantes, aquis suffocari credantur. Videtur & aliud subesse naturę secretum, vt ijs pellibus induti, bibendo & comedendo nullum saturitatis vestigium relinquant. Intestina huius animalis, citharœdorum opera ad vsum chordarum (voluptate gentium) formata, seu extensa, raucum generant sonum: qui temperamento chordarum dulcium citò resoluitur in amœnitatem. Vngulæ in modum circuli vertiginosis capitibus, actinnientibus auriculis appēsæ, celeriter recuperandę sanitati prosunt. Sanguis eius aquæ calidæ admixtus, venatoribus est pro potu: imò etiam melle rarissimo conditus, in nuptialibus triumphis propinatur. Aruina seu pinguedo eius, putridis vlceribus per modum vnctionis adhibita, celerrimè sanitati confert. Dentium vsus incantatoribus patrocinatur. Vngulæ prædictæ recenter extractæ, cattos, canesq; fugant, si monstrentur, quemadmodum auiculæ viso vulture, vel erythrotaone.

Gulonis pellis, sanguis, aruina, dentes: quid valeant.

De modo venandi Gulones. Cap. 7.

VEnatorum arte varia acquiritur hoc animal insidiosum solo respectu pretiosæ pellis, hoc modo:

Portatur

Portatur in syluam cadauer recens, vbi frequentius hæ bestiæ vagari videtur, præsertim in niuibus altis (æstate enim nil valent pelles) quo cognito per odorem, & apprehenso, vescitur, donec ventrem instar tympani extensum, inter arbores angustas, nō sine cruciatu cogatur exonerare: sicque occupatum, lata dimissa sagitta venator occidit. Est & alius modus huius bestiæ capiendæ, per trabes tenuissima chorda distinctas, vt eius leui motu, cadauer edendo stranguletur: vel etiam in effosas scrobes, seu cauernas obliquas incidens, capitur si cadauere immisso fames vrgeat vt vescatur. Aliaque via vix conceditur, vt à canibus apprehendatur, cùm vngulas, dentesq; adeò acutos habeat, vt eius congressum formident canes, qui in ferocissimos lupos vires suas extendere solent. *Gulonina pelles æstate nil valent.*

De Leporibus. Cap. 8.

QVia in frigidis nationibus Septentrionis maxima est leporum multitudo, volui paucis eorum naturam saltem in mira colorum mutatione declarare. Est igitur certissimum, omnes lepores Aquilonares post æquinoctium autumnale, primo præsertim niuium casu, candidum (dimisso griseo) induere pilū. Vidi & ego mures candidum saccharum continuè comedentes, album induisse colorem, atque itidem eundem exuisse, sacchari comestione subtracta. Quarum ergo ad escam leporum Septentrionalium regionum, certum est, eos (frigore, ac niuibus conclusa terra) vesci corticibus arborum pinei, quercini, tremulei, ac populei generis, & alijs sagacitate naturæ conquisitis, non autem niuibus, vt Plinius opinatur lib. vij. in mēsibus hybernis. Somnumq; capiunt sub densis abietū ramis, altitudine niuium (fouea relicta) condensatis. Habec nanq; hoc genus arborum maius frigoris temperamētum, propter densitatē ramorū, & latebras secretas in animalibus conseruandis, quàm quoduis aliud fruticū genus. Aestate verò in rupibus, & petris domiciliū elegit securū, cùm se nouit naturali cooperare timiditate, omnibus animantibus datū in prædā: quā sola veloci- *Lepores æstate lenicopæati, hyeme verò albi. Mures cādidi.*

tate, & fuga vbi poterit, euadere meditatur. nō autem quando ludit cum mustela: quia hæc etsi lusum ostendit, tamen collo eius in tantum premẽdo se astringit, vt ilicò guttur leporis quantumcunque validè currentis, dentibus vt sanguinem eliciat, confringat, & manducet. Ita dolo, non viribus bestiolæ superantur: etiam accipitris velocitate: cōtra quem, vt flexuoso cursu aduersus canem, vix, aut raró se reseruat immunem. Leporum cibus valde cōmunis est, & vsitatus in Septentrione, maximè elixus cum iusculo atro pro more gentis, satis salubri, atq; eius generis carnibus assis. Vnam tamen infelicitatem plereque mulieres vterum gerendo incurrunt, vt vel esu, vel saltu super caput leporis facto, generent infantulos oris leporini, inter os & nares diuisa labia perpetuò retinentes: nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerrimi pulli, ilicò occisi, & sanguinolenti. Qui podagram patiuntur, pedes imponunt iusculo leporis cocti, temperato colore relicto. Renes etiam leporini inueterati, pedibus alligati, podagram leuant. Cōtra dolorem pedum frigore adustorũ (vt plerunq; ibidem accidit) cineres pili combusti apponuntur, & prosunt. Pellium leporinarum, candidarum præsertim, maximus questus, & vsus est apud institores Moschouitarum: qui plura millia uestium vel vendunt, vel pendunt Tartaris, vt redimāt quietem, pace securiore fruituri.

Mustelæ dolus.

Esus leporinæ graui dis noxius.

Remediũ contra podagram.

Remediũ pro adustione frigoris.

De Lyncibus & pellibus eorundem. Cap. 9.



Lynces

LYnces in Septentrionalibus sylnis non adeò frequentes generãtur, vt lupi, licet impares haud sint in auiditate prędarum. Natura igitur lyncis est, vt non respiciat retrò, sed continuo progressu & saltu præcipitet cursum. Cibus illi syluestrium cattorum frequentior, aut suauior est: quia sicut illis libentius vescitur, ita & eorum laribulis, vt rapiat, insidiatur. Pelles eius mollioribus plumis, & pulchrioribus maculis præditæ, satis carè venduntur, presertim in asperrima hyeme prædatæ: tunc enim in virtute, & colore sunt aptiores, vti æstate viliores, imò deteriores.

De lupis & sæuitia eorundem. Cap. 10.

SIcut Africa & Aegyptus inertes, paruosque lupos gignunt: ita frigidus orbis Septentrionis hos asperos & truces emittit. Et verè sic esse, sæuitia & malitia eorum ostendit, præsertim tempore coitus & frigoris immensi, quando viatores armatos incedere oportebit, vt se, iumentaq; sua illæsos conseruent, præcipuè mulieres partui viciniores: quibus lupi capto odore magis insidiantur. Ideoque nulla fœmina sola permittitur itinerari, quin armatus custos illi assistat. Euenit enim plerunque mense Ianuario, vt hyemalibus vehiculis homines itinerantes, agminatim ab vtroque latere accurrentes lupos, si viuere velint, arceant sagittis & bombardis: vnde fit, vt non secus viatores ad priuata negotia, etiam Ecclesias rurales transituri, armis prædictis sint prouisi, quàm ad publica certamina forent profecturi: imò in tantam sæpissimè ferociam, & rabiem vrgente fame, frigore, & naturali congressu incidunt, vt humanas habitationes intrantes, rapta iumenta ibidem celerius deuorent, vel secum in syluas lacerata deportent. Sed neque impunè hoc faciunt: habent etenim & in his malis remedia ruricolæ, quòd falces ferreas alligato cadauere ponant in niuibus: vt lupi prædam voraturi, pedibus amputatis pœnas luant, vel sagittis impetiti, ilicò moriantur, vel subterraneis specubus auiditate prædæ immersi, fame macerentur.

Lupi insidiãtur auidius mulieribus prægnantibus.

De multiplici genere Luporum. Cap. 11.

SVnt in montibus Doffrinis, Suetica ac Noruegiana dominia diuidentibus, lupi albicantis coloris, gregatim, vt pecora, partim in vallibus, partim in montibus euagantes: quorum esca sunt animalia imbecilla, vt mures, talpæ, &c. Syluestres & communes lupi sunt, qui armentis incolarum mira importunitate insidiantur, vt vaccis, vitulis, capris, ouibus, &c. Contra quos, pauperiem incolis facientes, venatio publica, loco, die, & hora instituitur, vt retibus, canibus, ac reliquis insidijs interimantur. Non enim tantam curam habent pro veteribus lupis intercipiendis, quàm catulis, ne coalescant, interficiendis. Quidam etiam ex catulis sic interceptis, etsi domestici fieri videantur in vinculis clausi, tamen sæuissimi generis non obliti, quibusuis alijs etiam volatilibus insidiantur. Fœtus tamen ex ijs, & cane domestica procreatus, valdè inimicus efficitur in omne aliud luporum genus, quod gregibus insidiatur. Est & genus luporum Thoës dictum, cæteris longitudine procerius, sed breuitate crurum dissimile, velox saltu, venatu viuens, innocuum homini: habitum, non colorem mutat: per hyemes hirtum, æstate nudum.

Thoës.

De Lutris & earum diuersitate, ac pellium falsitate.
Cap. 12.

LVtræ quadrato ore mordaces, vt castores: quibus similes in pellibus, triplo tamen longiores, & in Septentrionalibus aquis, præsertim superioris Suetiæ, Helsingiæ, Medelpadiæ, Angermanniæ, Iempthiæ, & Bothniæ vtriusque reperiuntur: quarum pelles, sicut castorum, atq; aliorum animalium, mira multitudine versus Moschouitas, & exinde versus Tartaros exportantur: quia in ijs locis frigidioribus, pro humanis tegumentis, rerum commutationibus potiùs, quàm nūmis auidissimè comparantur. In Suetia autem apud quosdam magnates adeò cicurantur, seu domesticantur

Lutræ cicuratæ seruiunt cocis.



tur lutre, vt signo dato per cocum, vadant in piscinam, piscem magnitudine ab eo designata suscipientes, rursumque alium & alium, donec sufficit imperatis satisfecisse. Caro eius solummodo valet pro bestijs venatione apprehendendis. In magno etiam vsu gentium Aquilonarium pelles earum sunt, ad fimbrias (propter corij tenacitatem) vestium ampliandas. Numero decadum, vt castorinæ, atque vulpinæ, seu mardurinæ, &c. diuenduntur: carbonibusque, & piceo fumo falsificantur, vt appareant nigredinem tenere resplendentem: sed mox linteo albo attritæ, colore relicto, sophisticationem ostendunt. Ita & luporum pelles, carbone ac creta puluerisatæ, linteo confricatæ, demonstrant falsificationem. Ita & sciurinæ (Dosse Italicè dictæ) pelles, creta resperſæ, seipsas panno adhibito atro ostendunt, quis naturæ vel artis color sit inueniendus & æstimandus. *Pelles sophisticæ qui deprehendi possint.*

De Sciuris. *Cap.13.*

HOrum animalium minutorum infinita est multitudo in Septentrionalibus syluis, pilorum densitate & colore distincta: vna adiecta infallibili regula, quòd quantò magis tractus terrarum vergit ad Septentrionem, tantò pulchriores (frigore causante colorem) sunt harum bestiarum pelles, sub eleuatione poli scilicet 77. graduum incipiendo versus

 supre-



ſupremum polum: in quo ſpatio venatores magis fatigantur, quàm ſatiantur, hac infinita præda vbiq; in arboribus, veluti grege piſcium in aquis abundante, ea præſertim commoditate, quòd arbores non ſunt ſublimes, in quibus hæc animalia ludunt. Sed reflectendo ad Meridionalem regionis ſitum, quantò magis reditur ad Auſtrum, tantò deteriores, & magis fuſcæ occurrunt pelles. Caro huius beſtiolę aſſa, venatoribus eſt pro eſca ſuaui. Dentes verò præſtigiatoribus ſeruiunt, vt ijs detegant futuros euentus.

Sciurinam edunt venatores.



Adhuc de eodem animali præſcio futurorum. Cap.14.

Sciuri cortice tranātes, cauda pro velo vtuntur.

TRanatat hæc beſtiola per amnes exiguo ligno, caudam habens pro velo expanſam: non enim ei natura

natura alium concefsit natandi modum, propter exiguum corpus, & nimiam pilorum denfitatem in cauda villofa: qua cito imbuta aqua, mergeretur in fundũ. Neq; pedes habet huic necefsitati accõmodatos: alioquin fagacifsima eft tempore caloris, vt cibos habeat pro parte longæ hyemis reconditos, vbi dormiendo & quiefcendo repofuerat nidos: quos claudit ad latus, vel aperit iuxta flatuum afperitatem. Nuces autem corylinæ, & faginæ, fiue pinei pampini, funt cibus earum. Eftque alia earum fpecies, quæ fomno pafcuntur pro cibo. Miræ pernicitatis funt in faliendo de vna arbore in aliam: caudáque librant motum, & agilitate vngularum acutifsimarum in ramis exultant, ludosq; pulcherrimo fpectaculo fuper congelatas niues oftendunt. Harum pelles decadum numero ad plura millia, quafi ad totam Europam nauigijs inftitorum exportantur, pretij augmentum viatum longitudine atque voluptate eas concupifcentium, accumulantes. Senibus quidem vtilis, & honeftus veftitus eft: fed minimè deferuit armatis aut fortibus viris: quibus congruit lupina pellis, vel gulonina.



De Marduris, & Zebellis, ac pellibus earum. Cap.15.

MArduri ac zebelli, frigidarum regionum animalia funt, vniuerfis in nomine tãtummodò nota: paucis tamẽ in proprietate virtutis: nifi ex qualitate pelliũ

 quales

quales bestiæ sint, agnosci possint. Id autem in eis deprehenditur, quòd valde agiles sunt in cursu, & saltu præualentes. Ferè etenim vt sciuri, cauda quasi pro temone vtētes, de arbore in arborem, ramos vngulis apprehendendo, saltant: sed morsu terribiles sunt, pro sui generis exilitate. Dentes enim natura eis quasi nouaculas dedit, & vngulas valde subtiles & acutas. Sed vt caro ad nullum vsum valere dicitur, ita & pelles horum animalium sunt plurimum appretiatæ, apud remotas præcipuè nationes: quæ luxui magis intendunt, quàm commoditati. At earum differentia in hoc deprehenditur, quòd mardurinæ grossioris pili sunt à vertice ad caudam, non autē econtrà contrectatæ, pulchrum ordinem habentes: haud ita zebellinæ, quia à cauda ad verticem contrectatæ, æqualem seruant decorem: quia villosiores sunt, & densiores pili: quæ ob id citius vermibus consumuntur, quàm reliquæ pelles, nisi sint in continuo motu, aut absynthij ramis interpositis, conseruentur. Et si pelles zebellinę ad apertum solem siccandæ appenduntur, plus vno die consumuntur, quàm tritæ vel portatæ forent per vnum annū. Viuens enim bestia semper latitat in vmbroso saltu, ex insidioso quæstu auicularum quærens victum: libidinosum animal, & valdè fœtidū in naturali congressu, vt infra de muribus Pōticis, seu hermelinis ostēdetur. Vtraq; tamen pelles, hæ scilicet & istæ, pilos habent tactu blandiores, satis superuacaneum generantes luxum: qui vermibus tandem consumitur, ac moritur horis suis, postquam tanti empta sit voluptas aliena. In extremis Moschouitarum syluis zebellus nascitur, & magno terrarum mariumque spatio deportatur ad alienigenas.

Absynthiū seruandis pellibus prodest.

De Hermelinis, quos secundum Plinium mures Ponticos opinor. Cap. 16.

Plinius.

Conduntur (vt Plinius libro viij. cap. xxxvij. scribit) in hyeme Pontici mures, & ij duntaxat albi: quod qualiter intelligi poterit, saluus sit sensus vniuscuiusq;, sine iniuria tamen naturæ philosophāti. Si hyeme perpetua clauderentur, & asperrimo gelu, nunquā appa-



appareret albior pellis huius bestiolæ, quæ æstate subrufa videtur in fine Maij, quando deposita albedine, propagationi intẽdit inter nonas herbas, prout fateor me obiter inter equitãdum vidisse apud Helsingos populos Septentrionales, Anno Dom. M. D. xviij. ita vt in congressu propter nimiam coniunctionem, in cursu velocissimo cohærerent, atque dentibus striderent, tantum fœtorem in magna parte syluæ diuersarum arborum (quia ibidem plures congrediebãtur) relinquẽtes, vt vix meminerim me deteriorem sensisse vnquã. Asserit idem Plinius libr. x. capite Lxv. mures lambendo generari quod in his animalibus simile vero haud videtur: Quia more communi bestiarum coëunt, licet volens taceo modum copulationis. Hæ autem bestiolæ singulo quoque triennio, vt in plurimum, præ nimia comestione, ad maximum lucrum mercatorum, ampliantur, ac prolongantur in pelle: quod eo modo nedum in Noruegia, sed & in prædicta Helsingia, atque vicinis prouincijs Diœcesis Vpsalensis euenit, scilicet vt bestiolæ quadrupedes, Lemmar, vel Lemmus dictæ, magnitudine soricis, pelle varia, per tempestates & repentinos imbres è cœlo decidant: incompertum vnde, an ex remotioribus insulis, & huc vento delatæ, an ex nubibus feculentis natæ, deferantur. Id tamen compertum est, statim atque deciderint, reperiri in visceribus herbæ crudæ nondum concoctæ. Hæ more Locustarum, in maximo examine cadentes, omnia

Pelles hermelinæ hyeme candidissimæ.

Murium quorundã in coitu fœtor pessimus.

Lemmar, vel Lẽmus calamitosa bestiola.

omnia virentia destruunt, & quæ morsu tantum attigerint, emoriuntur virulentia. Viuit hoc agmen, donec non gustauerit herbam renatam: conueniunt quoque gregatim quasi hyrũdines euolaturę: sed statuto tẽpore, aut moriuntur aceruatim cum lue terrę (ex quarum corruptione aër fit pestilens, & afficit incolas vertigine, & ictero) aut his bestijs, dictis vulgariter Lekat, vel Hermelini, consumuntur: vnde ijdem Hermelini pinguescunt, & reddunt pellium mẽsuram longiorem. Et hæ quoq; pelles decadum numero, præsertim XL. pelles in quolibet fasciculo, vt zebellinæ, marduring, vulpinæ, castorinę, ac sciurinę, vel leporinæ, venundantur, atq; nauigijs in regiones longinquas exportantur.

De venatione Hermelinorum. Cap. 17.

Qualiter autem Hermelini (vt vocabulo Italico, imò & Gothico vtar) à venatoribus capiãtur, & ad quem vsum deputentur, paucis ostenditur, & in primis supradicta positione transuersorum lignorũ subtilissima chorda adhibitorum: quę (ingredientibus hermelinis tribus, quatuor, vel octo simul) mota, repentè eos in sua pressura claudit: taliaque ligna, ob nimiam multitudinem harum bestiolarum, passim sunt extensa. Item sunt & foueæ seu fossæ oblongæ, quibus substernuntur subtilissima ligna, atq; super ea nix, vt quasi appareat cõtinuus atq; solidus campus, in quam fossam magno numero cadentes bestiæ. à patrono loci vel eius substituto captæ, occiduntur. Itẽ sunt & canes adeò celeres & sagaces, vt eas comprehensas morsibus occidãt, & comportent, vel ante pedes patroni cumulando colligant. Item sagittarij inter adolescentes, plurimi adeò triti sunt, vt nec in sagitta, nec in præda arripienda fallantur. Caro autem huius animalis, propter esum vilium escarum, nihil valet: sed pellis sola: quæ propter candidissimum colorem in summis Principum vtriusque sexus veneratur aulis. Licet ipsa bestiola sit luxuriosissima, vt prædictum est: in vno tamen admiranda, quòd ad finem Maij certis diebus operam præstet propagationi: & ita naturæ legibus est con-

Pelles Hermelinæ cãdidissimæ.

est contenta. Illustres personæ vtriusque sexus his pellibus continuo candore interpositis raris caudis nigris, vtuntur, maximè in amplissimis vestium fimbrijs, antiqua honestate seruatis.



De natura Taxorum. Cap. 18.

TAxi, quia in specubus, ac subterraneis antris naturaliter habitant, mansioné mirabili modo confingunt, ita videlicet, vt vnum taxum constituāt terræ pedibus suis effossę vectorem: qui supinatus extensis cruribus, & erectis, supra ventrem suum terra effossa accumulatur, oneraturque: per pedes ab alijs exportatur: totiesque hoc faciunt, quousque mansionis latitudo habitatoribus sufficere possit. Sed habitationem huiusmodi tanto labore partam, non sine difficultate posteà tuentur. Primam nanque hostilitatem patiuntur ab insidijs vulpeculæ: quæ quum domum nunquam fabricat, dolis confisa malignis & solitis, taxorum foueam ingreditur, ac fœtore stercoris tantum inquinat, vt horrore suam domum relinquere cogantur, & securitatem. Attamen ne insidiosæ vulpis impunita perduret astutia, sæpissimè venatorum industria canumq; proditione comprehenditur, & excoriatur.

Taxorum ingeniosa industria.

Vulpium astutia.

Adhuc

Adhuc de eisdem. Cap. 19.

Taxus animal quid. ESt igitur Taxus animal agreste, magnitudine vulpis, licet staturæ humilioris: quia tibias habet curuas, pilosq; plures albos, quàm nigros, præferrim in dorso, & in latere: caput in medio nigrum, & in lateribus album. Pili eius duri sunt, & spissa pellis, ac fortis, dentes acuti, ideoq; mordax. Vnde à canibus, vel alijs bestijs molestatus, seipsum resupinat, & dentibus pedibusque repugnat, præcipuè contra vulpes: à quibus haud alijs armis, quàm fœtido stercore è proprijs ædibus abiguntur. Duplex eorum genus est, Domesticum videlicet, valde ludicrum: & syluestre, rigidioribus setis respersum. Dicitur etiam taxus caninus, quia in varia findit pedem, vt canis: etiam porcinus, quia in duo findit vngulam, vti porcus. Ibi etiã vulpibus sunt maiores, pellem habentes villosam, & setis rigidam, atq; tenacem: de qua pharetras omnes & militares cooperiunt, & venatorias, vt sagittas à pluuia, & niuibus illæsas conseruent. Fiunt & vestes integræ habitus virilis, prout & ex lupis, ex hac pelle, cõtra frigora, & omnem casum niuium sufferendum. *Taxi morsus exitialis.* Morsus eius fortissimus est, & exitialis, ac venenatus, propter nimiam vermium reptilium, scarabeorũ, & murium comestionem.



De Vrsis piscantibus. Cap. 20.

VRsi albi maximi & fortissimi, qui vnguibus glaciem rumpunt, & foramina multa faciunt, in Islandia

landia sæpius prænominata, reperiuntur: per quæ glacialia foramina se in mare immergunt, & sub glacie pisces capientes, eos extrahunt, & ad littus deferentes, inde viuunt: idque toties, quoties opus fuerit, reiterāt, pro sua suorumq; catulorum sustentatione: quos etiā, vt similiter piscari debeant, naturali instinctu informant. Pelles horum vrsorum albæ, per venatores offerri solēt summis altaribus Cathedralium vel Parochialium Ecclesiarum, ne sacerdos celebrans in pedibus tempore horrēdi frigoris, gelu patiatur. In Ecclesia Nidrosiensi, id est, Metropoli regni Noruegię, continuis annis tales reperiuntur albæ pelles, voto venatorum fideliter in omni præda captæ atq; oblatę, etiam pelles luporum, pro cæreis emendis, atque ad reuerentiam Sanctorum comburendis. *Nidrosia Noruegiæ metropolis.*



De Vrsis ingeniosè interficiendis. Cap. 21.

DE nigris, ac ferocibus vrsis, in Aquilonaribus regnis capiendis, is seruari solet modus, vt, cùm in Autumno maturis certis arborū rubeis fructib⁹, instar vuarum conglomeratis, arbores ascēdendo, vel humi stando, arbore ad terrā tracta, vescitur, sagax venator ballistis adaptatas latas sagittas, quæ pilos bene penetrent, in eum relaxet: ex quo terrore & vulnere tantum subito concutitur, vt impetu quodam esos fructus, quasi grādines & lapillos per secessum emittat: & mox

mox in occurrentem statuam, instar hominis, vel spectri ex industria collocatam irruit: atque in ea dilaniãda laborat, donec aliam lethalem recipiat sagittam ab ipso venatore, post saxum vel arborem sese absconden tem. Mira etenim furia accepto vulnere: atque viso sanguine, quodcunq; occurrens ferit, & maximè ipsa vrsa, quando catulos alit.



De insidiosa venatione vrsorum. Cap. 22.

ATtendunt quàm diligentissimè vrsi ceruorũ transitum, & maximè enixis catulis ipsa fœmina: quæ non tam fame vrgente, quàm metu ne rapiantur catuli, in omne obiectum animal sæuire consueuit. Illa etenim huiusmodi violentijs prouocata, vrsi fortitudinem, dolos, & insidias, vt raptum vindicet, longè superat & excellit. Latitat enim inter densos arborum ramos, & virgulta: cui si ceruus cornuum gloria, aut narium virtute, vel cursus celeritate confidens, incautius appropinquat, mox in eum irruit iugulandum: & si primam sui defensionem, triumphumq; in cornibus ponat, illorum tamen nodositate & pondere fessus, vrsinaq; verabie agitatus, ad humum deprimitur, vt viribus & vita destitutus, ilicò corruat deuorandus. Accedit deinde cornutum taurum, simili astutia vtens, se super dorsum eius proijciens: cumque vrsam abigendo, cornibus se liberare nititur, ipsa cornua, scapulasque tenet vngulis, donec pondere fatigatus corruat moriturus

moriturus. Deinde dorso, velut sarcina, imposito tauro, bipes syluarum latebras ingreditur, vt eo vescatur. Verùm cùm hyeme committitur hęc præda, vrsa canibus vel niualibus vestigiis prodita, non facilè euadet ilicò venarores vndiq; concurrentes. A trigesimo die conceptionis, quinos vt plurimum catulos, paulò muribus maiores, informes, & candidos carne, sine oculis, sine pilo, vnguibus tamen apparentibus, parere solet: quos paulatim lambendo matres figurant. Nec quicquam rarius hominibus, quàm parienté videre vrsam. Ideo mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis mensibus. Specus si non habent, ramorum fruticumque congerie ædificant mansiones impenetrabiles imbribus, molliqúe fronde, & musco cōstratas. Septenis diebus graui somno premuntur, vt vulneribus vix excitari queant: tuncque mirè pinguescunt, suctu præsertim dextri pedis. Fœtus rigentes apprimēdo pectori fouent, idque veluti volucres oua sua.



De Herinacei siue Echini cum Vrso conflictu.
Cap.23.

Licet herinaci[9] pinnas habeat cacumine aculeatas, quibus sibi poma colligit ad victum, atq; recōdit in cauis arboribus, & vrsum in nido molestat: attamen mole opprimitur vrsi, ingenio adhibito, quādo scilicet conuoluitur herinacius in formam pilæ, ne quid in eo præter aculeos comprehendi possit: quo tamen reme-

 die

dio, aut vrinæ aſperſione, contra vrſum vlciſcentẽ hoſpitium violatum, prævalere nequit: neque vrſus eam prædam, licet miſerã & inopem, quaſi ſpinoſam eſcã, vorare poteſt. Quocirca rediens in cauernã ſuam quieſcit, atque ſuctu vngulæ viuit, & impinguеſcit: caſuq; quo caperetur, & caro eius aſſaretur, præter morẽ omnium carnium nigreſceret, licet nullum argumentum minimi humoris, in aluo eius inueniretur, neque circa cor, niſi exiguæ guttæ, nihilq; ſanguinis in reliquo corpore. Procedũt vernali tempore mares præpingues: cuius rei cauſa non prompta eſt, quippe qui nec ſomno quidem ſaginentur vltra 13. dies. Eſt etiam pugna vrſorum contra apros, ſed rara victoria: quia plus præſidij habent in dẽtibus, quàm cerui vel tauri in cornibus aut celeritate. Equas grauidas dentibus ac calcitratione pedum validi caballi defendunt ab vrſis. Pulli agilitate curſus ſe defendunt: attamen pauorem ſemper retinent, vt inutiles ſint ad bellum: in quo ſub ſtratagemate ſolet aliquis armatus occurrere in pelle vrſina, propter equos ab vrſis aliàs vexatos.



De occiſione vrſorum per ferream clauam.

Cap. 24.

CVm in Aquilonarib⁹ terris, maximè Podolia, Ruſſia, atq; vicinis locis, ob infinitã apum multitudinẽ, domeſtica alucaria, non ſufficiant: facilè terrarum incolę ſinunt, vt ad cauas arbores arte ad eũ vſum apta-

apiatas, vel à natura sic relictas, euolent, stirpem multiplicaturæ. Vrsis igitur ad rapinam mellis assuetis, eo modo parantur mortiferæ insidiæ, vt (cùm debilissimũ caput habeant, vti leo fortissimũ, quòd aliquando ala pa accepta exanimentur) claua lignea, ferreis cuspidibus circundata, super foramen egredientium apum ex altiori ramo, vel aliàs suspendatur: quę impatiẽtis vrsi, mella rapturi, à capite reiecta, reuertens interimit rebellantem, vt vita priuatus carnem & pellem domino exhibeat, pro exiguo melle. Carnes sale cõditæ, quasi suillæ asseruari solent, sicuti & ceruinæ, alcinæ, vel rangiferinæ, pro castrensibus cibis: aruinaque, pro medendis vulneribus, quacunque occasione susceptis. *Caput vrsi infirmum.* *Carnes vrsinæ edules.* *Aruina vrsina.*



De raptu puellæ, & generatione Vlfonis, astutissimi ac fortissimi viri. Cap. 25.

NIsi Saxo Danorũ scriptor, atq; reliqui post eũ, tot circunstantijs recẽserent puellę raptũ, parũ referret huius historiæ meminisse. Attamen quia simile nõnihil apud alios autores ostenditur, indignũ non erit, opus naturæ potius admirari, q̃ temerè tantillulum in abditis eius rebus cõuitiari. Quantũ igitur ad raptum puellæ attinet, sic vt sequitur, ex noua historia charissimi fratris & antecessoris mei, Ioãnis Magni Archiepiscopi Vpsalensis libr. 18. ex relatione Saxonis accepta, diffu- *Io. Mag. & Saxo.*

diffusus manifestatur. Ait enim: Cuiusdã patrisfamiliàs in agro Suetico filiam liberalis formæ, cùm ancillulis lusum egressam, eximiæ granditatis vrsus, deturbatis comitibus complexus tapuit: exceptamq; vnguibus ptæ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit: cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis, quàm absumẽdi studium egit: petitamque laniatui prædam, in vsum nefariæ libidinis vertit. Continuò enim ex taptore amator effectus, famem concubitu soluit, ardoremque gulæ veneris satietate pensauit. Quoq; eam indulgentius aleret, crebris incursionibus vicinum actius incessabat armentum: nec nisi lautioribus antè vesci solitam, sparsis sanguine dapibus assuefecit. Adeò enim captiuæ species efferatam raptoris sæuitiam fregit, vt quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris auidum expeteretur, pastumque ab eo perciperet, cui fore protinus alimonia metuebat. Tandem fera à canibus & retiariis circumuenta, ac venabulis occupata, confoditur. Vt ergo duplicis materiæ benigna artifex natura, nuptiarũ deformitatem seminis aptitudine coloraret, generationis monstrum vsitato partu edidit, syluestremq; sanguinem humani corporis lineamentis excepit: natoq; filio paternum nomen à necessariis imponitur: qui tandem agnita suæ propaginis veritate, à patris interfectoribus funesta exegit supplicia: cuius filius Trugillus Sprachaleg, nihil à paterna virtute deficiens, Vlfonem genuit: à quo Rex Sueno, & cætera Danorum Regum stemmata, ceu quodam deriuata principio, longo successionis ordine (teste Saxone) profluxerunt. Quomodo autem similes partus iudicabuntur, Aug. de ciu. Dei plurima dicit de simili propagine, vtri sexui magis sit attribuenda.

Danorum Regum genus.

De raptu fistulantium Subulcorum.

Cap. 26.

Satis tritum est vrsos, sicuti & delphinos, ceruos, oues, atq; vitulos, imò & agnos plurimum delectari musicis melodiis, rursusque certis hortisonis cornibus, seu tubis, adeò ab armẽtis arceri, vt sono percepto, in longos syluarum recessus abscedãt. Quod quia non



non ignorant pecorum paſtores, bicornibus fiſtulis ludentes, aliquando per vrſos rapti, cõtinuè ſufflant, donec fame vrgente vrſus diſcedat alimoniam conquiſiturus. Quocirca accepto caprino cornu, interdumque vaccino, ſonum horridum excitant, vt territa fera, immunes ad armenta diſperſa recurrant. Quòd bicornem fiſtulam, vulgari gentis Seeckpipe dictam, ſecum ad paſcua ferant, ita naturæ vſus docuit, vt oues, & armenta auidius eſcam ſumant, atque compreſsius paſcantur in herbis. *Ingenioſè.*



De chorea Vrſorum Lithuanicorum. Cap. 27.

RVſſi ac Lituani, Sueonibus & Gothis in Orientalibus plagis viciniores, pro ſingulari voluptate du-

cunt, ferocissimas bestias semper ad manum habere domesticatas, ac omni eorum arbitrio singulariter obtemperantes. Vnde vt id celerius fiat, in caueis vel catenis, eas recenter è syluis captas (præsertim vrsos) aliquantulum fame macerandas obseruant, vnum vel plures magistros conformiter vestitos, eis escas porrecturos deputantes, vt eo pacto ad lusum ac tactum cum eis etiam solutis assuescant. Adhibent & dulcem sonum fistularum, quo plurimum gaudēt, vt eos ad ludicros gestus, & choreas assuescant: ac tandem dissona tubarum voce ad pedes erigendos, tanquam acriore signo, inducūt: & finaliter vt à choreæ inspectoribus, matronis præsertim & virginibus, pilo anterioribus vngulis porrecto, bipedali incessu mercedem saltus exquirant: quæ si illiberalior visa fuerit, directoris nutu murmurant, atq; capite moto nummum petunt augeri. Ita mutus interpres, linguæ ignarus in exteris terris, vbi hæc spectacula fiunt, mutæ feræ signaculo præscribit astutum quæstum. Nec tamen id fieri videtur, quòd solùm eo exili quæstu viuant ita proficiscentes: quia ij vrsorum ductores sunt ad minus sex, vel duodecim valentes viri: in quorum societate quandoque sunt filij magnorum nobilium & magnatum, vt remotas nationes, mores, locorum distantias, arma, concordiam, vel discordiam Principum ijs ludicris artibus agnoscant. Verùm cùm aliquando deprehensi sunt in Germania viatores spoliasse, atque vrsis obiecisse deuorandos, technis his oppositæ sunt leges grauissimæ, ne amodo eò ingrediantur.

Modus quo cicurentur vrsi.

De agilitate Vrsorum. Cap. 28.

OCcurrit & aliud spectaculū, quo vrsi capti deportantur naui, atq; per funes ascendendo, vel descēdendo, ludicras exhibēt exercitationes: aliquādo etiam vtiles, pro rerum inopinato euētu. Nam accidisse meminere prouincialium historiæ, quendā à pirata æmulo suo liberatū fuisse, hac occasione; quòd territus erat is pirata in accessu sceleris perpetrandi, ex eo quòd à longè funibus vidit ascendentes, & descendētes homi-


nes



nes (vt putabat) pro defensione nauis, vt moris est, è sublimiori malo nauis. Nec alij erant, quàm iuuenes vrsi, in funibus colludentes. Prætereà amœnius est spectaculum, quòd eis ad aquas extra naues aspiciétibus, maxima multitudo marinorum vitulorũ admirabunda occurrit, vt quasi innumeri porci videãtur hinc inde circumnatare nauem: fitq;, vt hastis longis, atq; hamatis, affixa chorda capiantur à nautis. Similiter & cæteræ bestiæ, quæ captum vitulum marinum eiulantemq; more porcorum iuuare conantur: imò & ipsi vrsi ad natandum dimittuntur, vt ad eas admirantes vituli capiantur vel aliàs orta tempestate, cœloque tonantes eminentes extrahantur.


Quanam arte vituli marini capiantur.

De vrsis voluentibus rotas. Cap. 29.



NE autem domesticati vrsi escas, quasi solis spectaculis reseruati, inutiliter consumant, rotis applicantur in curiis magnatum. vt vno vel duobus sociis, aut pluribus annexis, pōdera a quartum, vel alias res eleuent à puteis altis: idq́ue conuenientibus vrnis magnæ quātitatis capacibus, ad hoc specialiter ordinatis. Nec solū in hoc iuuaminis genere, sed & magnis plaustris pertrahendis applicantur: quia magna fortitudo eis inest in brachiis, vngulis, & lūbis. Sed nec inuisum est, vt in pedes erecti, saccos vel ligna ad locum designatum comportent, aut in portis magnatum pro custodibus, ne noxiæ intrent bestiæ, deputentur. Mirum tamen ludum, dum paruuli sunt, cum pueris domesticis impunè exercent.

Vrsi domestici ligna saccosque portant.



De Vulpibus & earum dolis. Cap. 30.

SVnt in Septentrionalibus syluis vulpes nigræ, candidæ, rubeæ, crucigeræ in dorso, aliæq; cœlestino colore respersæ, omnes tamen in eadem malitia atque astutia participantes. Nigræ pelles preciosiores cæteris æstimantur, quia Moschouitarum Principes frequentius his vtuntur. Deinde crucigeræ pelles, hoc est, quę nigra cruce dorsotenus sunt à natura signatę, propter maiorem ornatum, & pellium magnitudinē: quā non nisi in maturiore ætate vulpes consequitur. Hæq; pelles

pelles, vti nigræ, magno cōmercio Moschouitarum & Russorum, & Tartarorum appreciantur: quāuis nigræ annexam habent suspicionem, quod atro colore, fumo videlicet picearum tedarum sint adulteratæ. Candidæ pelles minoris sunt reputationis, & coloris cœlestini, aut asurini, propter multitudinem, & pilorum casum: minus enim cutibus adhærentes durant. Attamen qui curiositati student, aut vtilitati, mixtura diuersarū pellium operimenta arcendi frigoris, pro vsu dormiētium conficiunt, quia magnum calorem citò inductum conseruant, leuesque sunt, senioribus conuenientes. Rubeę vulpes prædictis omnibus frequentiores, vbique reperiuntur, facileque vestigiis post se in niuibus relictis, ve natorum sagacitate, & canū celeritate capiūtur, prout & lepores, vrsi, cerui, lupi, lynces, propriis vestigiis se venatoribus produnt, æstate verò odore canum.



De doloso ingenio Vulpium. Cap. 31.

VVlpes pressa fame, frigore, & niuibus, accedendo ædes humanas, fingit latratum canis, vt confidentius domesticæ bestiæ eam accedant. Insuper fingit se mortuam, ac resupina flatum attrahit, lingua porrecta. Tunc aues incautè descēdentes quasi cadauer comesturas, aperto ore rapit & vorat. Prętereà qnādo esurit, nec inuenit quod māducet, rubea terra se inuoluit

vt appareat quasi cruenta: proijciens se in terram, retinet flatum: quam videntes aues no ſpiranté, linguáque ore eiectam, mortuam putant. Sed mox vt deſcenderint, eas attractas deuorat. Prætereà quum videt non poſſe propter aculeos ſuperare echinum, ſe reſupinat, atque ita mollem corporis partem lancinans enecat. Veſparum etiam quandoque multitudinem cauens, ſimulans ſe abſcõdit, extante cauda: circa quam vt illas certatim occupatas, villoque denſo implicitas animaduertit, egreditur, atque ad ſaxum, ſiue arborem perfricando obterit, vt extinctas deinde paſcatur. Eodem ſere commẽto cancris & piſciculis inſidiatur, ripam oberrans: caudaque in aquam demerſa, illi nouitati occurrunt, villiſq; obuoluti illicò extrahũtur. Præterea cum pulices habet, faſciculum mollis fœni ore accipit pilis inuolutum, ſeque paulatim poſterius inchoando in aquam mergit, ac totum corpus, vt pulices aquam fugientes, ad caput aſcẽdant. Deinde caput immergit, vt in fœnum fugiát: quo facto, fœnum relinquit in aqua, & mox enatat. Præterea cùm famem patitur, ludum ſimulat cum lepore: quem ilicò rapit & deuorat, niſi fuga, vt frequentius fit, ſuam vitam conſeruet. Canes etiam quandoque enadit latratu, ſe canem fingens, ſed certius, dum ramo ſe ſuſpendit, canes errare cogit, incerta veſtigia inſequentes. Solet etiam venatorem & canes eludere, dum gregem caprarum intrans vnam ex eis occupat, eius dorſo inſiliens, vt per curſum capræ fugientis propter odioſum ſeſſorem, citius euadat. Nam & aliæ capræ ſequuntur: quas quum venator turbari timet canes reuocat, ne pereant plures. Capta quoq; in pedica, quandoq; morſu ſibi pedem præſcindit, vt vel ſic euadat. Quum verò fuga nulla patet, ſe mortuam ſimulat, vt à pedica extracta fugã arripiat. Præterea quum canis eam inſequitur, & aſſequutam apprehendere nititur, villoſam caudam ſuam per inſequẽtis ora trahit: ſicque canem eludit, donec ſyluarum latebras ingrediatur. Vidi & ego in ſcopulis Noruegiæ vulpem inter rupes, immẽſa cauda in aquas plures educere cancros, ac demum deuorare. Idq; non rarum eſt ſpectaculum, quum nulli piſces, ita vt cancri, immiſſe rei, præſer
tim

tim villosæ adhæret: etiam aridis piscibus in aquas ad emolliendum emissis. Qui podagra vexatur, calida huius bestiæ pellicula extracta, atque pedibus circumligata sanantur. Adeps etiam eiusdem animalis, auribus & mẽbris prodagram patientis adhibita, prodest. Pinguedo eius torminosis, & omni dolori confert. Cerebrum eius infanti sæpius datum, nunquam caducus erit. Et ita hæc & similia pro simplicibus medicinis per experientiam obseruant Aquilonares.

De ferocia hominum per incantamenta in Lupos conuersorum. *Cap.* 32.

IN festo Natiuitatis Christi sub noctem, statuto in loco, quem inter se determinatum habent, tanta luporum ex hominibus diuersis in locis habitantibus cõuersorum copia congregatur, quæ posteà eadem nocte mira ferocia quum in genus humanum, tum in cætera animalia, quæ feram naturam non habẽt, sæuit, vt maius detrimentum ab his, istius regionis inhabitatores, quàm vnquam à veris & naturalibus lupis accipiant. Nam vti compertum habetur, ædificia hominum in syluis existentium, mira cum atrocitate oppugnant, ipsasque fores effringere conantur, quò tam homines, quàm reliqua animantia ibidem manentia consumãt. Cellaria ceruisiarum ingrediuntur, ac illic aliquot ceruisiæ, aut medonis tonnas epotant, ipsaque vasa vacua in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant: in quo à natiuis aut genuinis lupis discrepant. Locum verò, vbi forsan illa nocte quieuerunt, harum terrarum incolæ fatidicum arbitrantur: quia si alicui in eo quid aduersi contigerit, veluti vehiculum obuertatur, atque ipse niuibus inijciatur, planè sibi persuasum habent, eum isto anno morte moriturum, quemadmodum id à multis temporibus per experientiam explorarunt. Intra Lithuaniam, Samogetiam, ac Curoniam est paries quidam, ex quodam castello diruto reliquus, ad hunc certo anni tempore aliquot millia eorum cõueniunt, vt vniuscuiusq;

agilita-

agilitatem in saltando explorant, qui hunc parietem transilire nequiuerint, vti pinguioribus ferè euenit, flagellis ab eorum præfectis cæduntur. Denique constanter asseritur, inter hanc multitudinem etiam istius terræ magnates, atque ex prima nobilitate viros versari. Hæc igitur metamorphoseos ratio, ipsi naturæ maximè contraria, à quodam huius veneficij perito, per poculum ceruisiæ propinando (dummodo is qui huic illicito consortio applicatur, illud acceptet) certis verbis adhibitis datur. Posteà quando sibi consultum videbitur, hominis idæam, in cellarium aliquod, aut abditam syluam se conferendo, in lupi formam rotaliter transmutare potest. Denique hanc iuxta placitum post aliquot tempus relinquere, atque illam vicissim assumere sibi integrum est.

Exempla hominum eorum, qui in lupos conuersi sunt, & contrà. Cap. 33.

AC vt ad exempla perueniamus. Cùm nobilis quidam longam per syluam iter faceret, aliquotque seruilis conditionis rusticos, huius veneficij haud ignaros (quales plerunque istis in oris reperiuntur) secum ducebat: dies ad vesperam tendebat: tum etiam in sylua pernoctandum erat, quia in proximo nullum hospitium fuit: denique fame ac penuria premebantur. Tandem vnus eorum repentinum consilium proponit cæteros debere esse quietos, nec vllum tumultũ, si quid viderent, excitare: sed à longinquo gregem ouium pascentem conspicere: curaturum, vt absque magnis laboribus vnam ex his ad cœnam haberent assandam. Statim deinde in opacam syluam, ne ab aliquo conspiciatur, se confert, ibique formam hominis in lupum transfigurauit. Posteà in ouium gregem magno impetu irruit, & vnam ex eis retrò in syluam fugiendo diripuit: quam aliquanto post in lupi forma ad currum defert. Socij autem huius prædæ conscij, talem grato animo suscipiunt, & in curru clam abscondunt: qui verò in lupum se transformauerat, ad syluam iterum reuertitur, humanamque formam rursus assumit. Contigit quoq; in Liuonia haud multis ab annis, inter nobilis cuiusdam coniugem atque seruum suum (quorum

Lege Ouidium 1. Metamorph. de Lycaone.

illic maiorem capiam, quàm in vlla alia Christianorum regione habent) quòd altercarentur homines in lupos mutari haud posse: prorūpit ergo ille exemplò eius rei exemplum velle ostendere, dummodo sibi facultas concederetur: cellarium solus ingreditur: vnde paulò post lupi forma indutus egrediēs, à canibus per agrum ad syluam tēdens effugatur: qui ei oculum (etsi satis acriter se defendebat) eruunt. Postera autem die, ad dominam suam monoculus redit: Denique recenti adhuc memoria compertū relinquitur, quomodo Dux Prusiæ, tali veneficio parum fidei adhibens, quendam huius maleficii expertum, vinculis clausum coēgit vt in lupum se transformaret: quod ita factum est. Hunc tamen, ne huiusmodi idololatria impunita maneret, igne posteà comburi mādauit. Talia enim flagitia tam diuinæ, quàm humanæ leges seuerissimè puniunt.

LIBRI DECIMI OCTAVI. finis.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE AVIBVS.

Epitome Libri deciminoni.

De Accipitre, & diuersis eius speciebus.

Cap. 1.

IN partibus Aquilonis huius auis natura generosior ac fortior, quàm in cęteris mundi partibus esse censetur, maximè propter cœli soliq; rigorem, & abundantissimam escam volucrum, scilicet suæ naturæ conuenientium, pro solido nutrimento. Sanguine enim, corde, ac pectore earū auidius nutritur, magnāq; *Accipitres Aquilonares generosi*

venandi

venandi audaciam affectumque sumit: qui & naturali superbia, ac tyrannide magis quandoque quàm necessitate stimulatur ad raptum, & delectantur in illo. Sunt etiam, qui cor tantummodo, latere per rostrum aperto deuorant: aliquando etiam cerebrum appetunt, reliqua parte corporis reiecta. Qui venationi student per accipitres, cancros eis offerunt manducandos: ex quarum esca mira satietate delectantur, auideque volatilia venantur, vt gratam pro exquisita esca restituant prædam: idque facillimè faciunt ob volatus agilitatem, quam supra reliqua volatilia habent, pennasque acutas, quæ singulis annis veteribus abiectis, eis renouantur. Estque huiusmodi naturæ, quòd auem, quam vespere prædatur, vngulis sub pectore ob inducendum calorem seruat, maneque liberaliter sine iterata rapina absoluit.

Admiranda accipitris natura

Adhuc de natura accipitrum. Cap. 2.

Domesticus accipiter domino rapinam syluestrem porrigit: vnde cor & intestina recipit in escam. Et hi tepidioribus locis plus delectantur, citiusque carne bouina, vel porcina impinguantur, vti gallinacea carne iuuene marcescunt, & veteri temperantur. Ante aucupium commodius in locis non nimium tenebrosis seruantur, vt alternis diebus producantur. Sed ante omnia cauendum, ne teneris infantulis exitio sint. Nulla nanque bestia quantumcunque domestica, adeò grassatur in infantulos, vt simiæ, & magni accipitres: qui aduolant cunabula, vngulasque tam fortiter imprimunt oculis, & naribus prolium, vt vix euo laturi eximant. Hique sunt corpore amplo, oculis variis & pellucidis, vultu hilari, grossis pedibus, longis vnguibus, delitiosè comedentes, cunctasque aues inuadentes: quia nullas timent aues, nisi pauonem, immò & lepores, cuniculos, vulpeculas, porcellos, anseres, grues, anates, & gallos syluestres venantur, præsertim fame & frigore vrgente, quando aduolant domos humanas: vbi subtilibus filis ala permotis, intra ianuam reclusi capiuntur: tandem longo ieiunio domesticantur

Accipitres & simiæ infantum hostes.

Accipiter pauonem timet.

tur ferè eodem modo quo falcones. Eſt & aliud genus accipitrũ in Septentrionalibus terris, quod domeſticis auibus inſidiatur, vt anſerulis, anatibus, & pullis: hyemeq; tempus ſuũ cognoſcens, latitat in nidis: audax in paruis, & timidum in magnis. A niſo etiã fugatur, & gallo tandemque emoritur fame. Niſus rapax, vltra omnium ferrarum naturam ſæuiens in ſuum genus, prout homo, ibidem in magna multitudine reperitur. Solus frequẽtius volat, ne in præda ſuſtineat ſodalem. Paſſeres, cæteræq; auiculæ eius inſidias fugiẽtes, quàm celerrimè ſeſe recipiunt ad rubos ſpinoſos.

De Aquilarum natura, & differentia earundem. Cap. 3.

AQuilam auem nobilem & rapacem, ab acumine viſus ſic dictam, omnibus notam relinquo. Veruntamen quia in Septentrione maxima multitudo, propter ferarum abundantiam reperitur, aliquid de earum natura, præmiſſa diſtinctione, præſentibus interponam. *Aquilarũ 6. genera.*

Sex igitur ſunt genera aquilarum. *Herodius, ſiue Girfalcus.*

Primum Herodius, qui & Girfalcus dicitur, auis inter omnes nobiliſsima, colore cæruleo, ad albedinem tendens, præterquam in pectore & alis, vbi cœleſtem colorem euidentius imitatur: adeò fortis, vt aquilam rapiat: etiam adeò animoſus, vt ſi in aëre poſt quatuor vel quinque grues, vel alias aues dimiſſus fuerit, non deſinat à præda, donec omnes ad terram ſucceſsiuè deiiciat, cane ad hoc edocto rapiendas. Nec reuocatus herodius is prę indignatione deſcendit donec rapiat elapſam. Nec plures generat, quàm vnum pullum.

Secundum genus poſt hos nobilius eſt, quod anſeres, cygnos, cuniculos & lepores præcipue rapit, quando pullos habet, Herodio quantitate minor, coloris varij, ex albis & cinereis pennis intermixtis, candidas pennas habens in breui ano.

Tertium, quod truncatis inſidet arboribus, vnde denominationem accipit; eſtq; cinerei coloris: anates & anſeres

anseres venatur, duobus prædictis generibus in quantitate, & audacia minus.

Quartum, quòd accipit pisces, varium in ventre, album & nigrum in dorso, & in struma nigras habens maculas: vnum pedē habet anserinum ad natandum, alium vngulis acutū ad rapiendum. Insidet arboribus super flumina piscibus insidians: quorum maxima est multitudo in Aquilonaribus aquis.

Quintum genus paruum est, variiq; coloris, sed ingenio pollens: nam ossa in sublimi portata, versus saxum vt rumpantur, ad medullam exugendam emittit.

Sextum genus candidum, viuens ex venatione leporum, cuniculorum, porcellorum, catellorum, vulpium, & similium. Aquila tantùm pullos diligit, vt sagittarū ictibus sese pro illis interponat, tanquam scutum.

De proprietate Aquilarum, & incubatione. Cap. 4.

OMne autem genus earum hoc proprium habet, quòd pellibus vulpinis & leporinis casu inuentis, vel ab eis extractis, oua fouenda inuoluunt, nidisque beneficio caloris solaris cubanda reponunt. Non enim continuò cubare possunt manentes in nidis: quia vngulæ tantùm curuantur, vt rebus prædandis ineptæ reddantur. Curam tamen erga pullos educandos maximam gestant, pisces, aues, lepores eis in escam adferendo. Quod quum considerant sagaces venatores, nidos ascendunt, anusque pullorum ligaculo stringunt, vt comedendi incurrant impedimentum. Soliciti itaque parentes erga sobolem ægritudine liberandam, omnia genera ferarum in cœlo, terra, marique recepta, nidis important, vt diuerso medicamine, vno vel altero modo suscepto, sanentur. Congeritur in hanc rem maxima escarum copia: quam aucupes extrahunt, comeduntque, vel vendunt. Nec sterili quæstu id accidere solet, quum aliquando lepores, gallos syluestres, anseres, anates, lucios, & pisces magnos, plurium florenorum æstimatione inueniunt, inuentosque domesticis cibis apponunt, vel magno pretio

Aucupum industria.

tio vendunt. Colligitur, aucupem vnum quandoque plus duorum pullorum prouentu lucrari, quàm colonum aliquem prædijs binis. Ne tamé pulli huiusmodi fame pereant anum solunnt, animæq; in famelico corpore pendenti appositos cibos permittunt, iterumque restringunt, quantò lõgius id natura concedit. Est nãque aquila adeò generosi animi, vt pullos proprios nõ antè dimittat, quàm sibijpsis enutriẽdis sufficiant: nec eis putridas escas apponit, sed recẽtes. Nobilitate naturæ aquila nedum alijs auibus secum permittit pastum, verùm eo deficiente ex eis vnam rapit deuorandam: vnde & pennæ aquilæ in pharetris telis alijs appositæ, pennas alitum consumunt, præcipuè anserinas. Item visa aquila, cæteræ aues pro eo die tantum terrentur, vt vix famem pulsuræ exeant in prædam. *Aquilarũ pẽnæ alias consumũt.*

De Anate & genere eius. Cap. 5.

ANas ab assiduitate natandi dicta, omnibus nota, tam syluestris quàm domestica, alioque modo & genere diuisa, hîc veniet annotãda, maximè quòd in Septentrionalibus aquis, tanta earum, præsertim syluestrinm, copia est, vt ferè cunctas aquas cooperire videantur. Non enim eas aucupes exturbant, nisi rarò: quia anatum carnes frigidæ sunt, & grosi nutrimenti: imò verius, quia longè meliores ex syluestri venatione, quàm aquatica, habent carnes. Et licet anates diuersi sint generis, tamen omnes conueniunt in forma rostri, seu oris lati, & figura pedum membranalium ad natandum, colore secundum qualitatem regionis abinuicem discrepantes. Domesticæ tamen propè candidæ sunt vniuersæ: sed syluestres non nisi in tepidis aquis morantur, quarum subterraneæ venæ calidam quasi sulphuream exhalationem continuè subministrant. Ne tamen glacie constringantur aquæ huinsmodi, naturæ instinctu circulariter, & obliquè natantes, eas aquas seruant apertas, tantumque vociferantur, vt ad magnam viarum distantiam inde audiantur. Cùm verò vehementia frigoris fuerint superatæ, in sublime se eleuant, vastum *Anates domesticæ & syluestres.*

mare velut vnicum præsidium pro securissima statione petentes.

De mirabili generatione Anatum Scotiæ. Cap 6.

PRæterea prope Glegornum (teste Scotorum recētiore historico) ad duas leucas est rupes Bassensis, in qua est arx inexpugnabilis: circa quam magnarum anatum (qnas Sollendas vocat) piscibus viuentium, est mira multitudo: quæ cum anatibus ferinis communibus, aut domesticis, non sunt eædem specie specialissima: sed quia eis in colore & figura persimiles sunt, nomine communi anatum congaudent. At discriminis causa Sollendæ vocātur. Hæ anates in vere turmatim à Meridie in rupem de Basse quotannis veniunt, & rupem duobus vel tribus diebus circumuolitant: quo in tempore rupem inhabitantes, nullum tumultum faciunt. Tunc nidificare incipiunt, & tota æstate manent, ac piscibus viuunt: & incolæ rupis, piscibus ab illis captis pascuntur. Ascendunt enim illarum nidos, vt superiùs de pullis aquilæ dictum est, & ad libitum pisces acceptant. In capiendis autem piscibus mirabilis est huius anis industria. In fundo maris lynceis oculis piscem contemplatur: contra quem se præcipitat, sicuti contra ardeam nisus: quem protinus ore & vngulis extrahit: etsi à rupe aliqno alio interuallo distet, alio pisce meliore viso priorem elabi permittit, quatenus posterius visum capiat: & sic semper recentissimos pisces habent, tota æstate rupem inhabitantes. Iuniores anates aut anserculos in terra vicina vendunt. Si ex his bis vel ter quis comederit, sapidissimæ apparebunt: aues enim istæ pinguissimæ sunt. Earumq̄ne pingnedinem artificiosè extrahunt, quia in multis medicaminibus prodest: & partes macras vendunt. In fine autumni rupem triduo circumuolant, & posteà agminarim ad partes Meridionales pro tota hyeme auolāt, vt illic viuanr in æstate: quia quādo nobis est hyems, Meridionalibus est æstas. Diutissimè hæ anates viuunt: quod per quasdam signatas incolæ perpenderunt. Triginta, aut quadraginta in rupe bellaro-

Sollendæ Bassenses.

Sollendarū pinguedo medicinalis.

bellatores, harum auium fructus alit, & domino rupis nonnihil vectigalis penditur. Præterea alius Scotorum scriptor, qui diligentius rerum secreta pertractat, dicit in Orchadibus ex quodam fructu arboris cadente in mare, generari anates: qui paululum susceptis alis euolant ad domesticas, vel syluestres.

De Anseribus. Cap. 7.

Syluestrium, domesticorumque anserum mira est multitudo in Septentrionalibus regnis, & maximè tempore cubationis, quo syluestres redeunt à Meridionalibus plagis, idque circa initium Aprilis: hique cinerei, nigrique coloris, & rubei rostri ac pedum sunt, veluti domestici ferè omnes candidi, & magni reperiuntur. Sylnestres sunt in multiplici differentia, videlicet in quantitate, colore, volatu, & origine. Quidam enim alijs sunt maiores, vt cinerei coloris: quidam nigri, & cinerei, altè volantes: quidam candidi nigerrimas pennas in extremitate alarum habentes, & hi altissimè volant: quidam ex arboribus nascuntur, vt præcedenti capite de anatibus Scotiæ dictum est. Vtuntur homines Septentrionales adipe anserino domestico in cibis condiendis, loco butyri: etiam in medicinis ad perfrictiones, conuulsiones, cæcosque dolores subitos. Hic adeps butyro coniunctus, sanguinem sistit: eoque ignis sacer, carbunculus, vlcera linguæ, & labiorum, cutis in facie, & grauitas aurium sanatur. Anserino adipe vtuntur Aquilonares ad rimas labiorum, totiusq; vultus, ortas ex frigore. Isq; adeps melli coniunctus, & morsui canis rabidi adhibitus, ad celerem sanarionem prodest. Carnibus anserinis sale conditis, ventoque siccatis, tam coctis quàm crudis, post æstiuale solstitium, vti omnium aliorum animalinm, vtuntur Aquilonares. Sed ante solstitium hyemale augurium sumunt ex osse pectoris anserini, quàm sæua & quàm durabilis erit hyems, hoc scilicet modo: Si clarum est esis carnibus, hyems rigida apparebit. Si spissum & opacum, nix plurima, hyemsque

tepida sequetur. Anser tædio longissimæ noctis ante diluculum in forti frigore plus solito cantat: quia fame, & frigore concutitur, etiam in tantum, quòd albescit rostrum, & vngues: cuius vnicum remedium est, paleis vti substratis. Nec minus intentatis insidijs, aut orto incendio clamat.

De Coruis marinis. Cap. 8.

EST quoddam genus coruorum, aquaticum, siue cornices anguillarum appellatum. Hę aues nigerrimæ sunt, præter pectus & ventrem: quibus cinereum colorem natura præscripsit, & incomparabilē vorandi auiditatem. Venantur pisces, tardi sunt volatus, diuq; sub aquis manent, quando se immergunt. Habent rostra dentata, vt falces messorum: quibus retinēt lubricos pisces, anguillas præsertim: quas adeò gulosè venantur, & vorant, vt eas per aluum, tāquam per canale egerant viuas. Sunt etiam hæ aues ingratissimæ naturæ, quia stercoribus egestis, cortices ac arborū ramos, vbi habitant, inficiunt, vt subitò arescant. Idq; ardea facit: quæ æquè ac illæ in altis arboribus nidum collocat prope piscosas aquas, vt ferè omnia genera auium aquaticarum. In vere producunt oua. Est & aliud genus coruorū, quod in principio hyemis septem diebus nidificat, & septem diebus pullos cubando producit. Hyemis autem principium intelligitur, quando quarta cæli hyemē facit, cùm scilicet sol intrat Tropicū Capricorni hyemalem, vsq; ad Arietem. Accedit etiā huic coruo, ingrato auium generi, alia auis aquatica, Morfex dicta, totaliter nigra: quæ ei insidiatur, rostrum habens serratile, vngues fortes: quibus aquis immersa, grandes pisces venatur, & edit. Gregatim in arboribus nidificat iuxta aquas, pullos piscibus pascens. Relinquens nidos, si sentit se grauari, nouum cibum euomit, alioqui peritura. Hæc saturata, alas sole siccādas expādit, diuque aquam cauda percutit, antequā ad volatum eleuetur. Sortitur ergo aliud nomen, quòd Humusculus, vel Humidusculus dicatur. In omnibus littorib. Septētrionis tā æstate quàm hyeme hæc auis versatur.

Morfex siue Humusculus.

Deini-

De inimica aue huius Corui. Cap. 9.


AVis est Platea dicta, Septentrionalis aquæ incola: quæ acerrimus vindex est auium se mari mergentium, vt piscibus vescantur. Ideoq; his insidiatur hoc modo: Inuolat in eas, capitaq; mordet, & corripit, donec ad summ vsum extorqueat prædam: quam mox dimittunt taliter lacessitæ. Hæc aliquando conchylibus se replens, cùm testis grauari se sentit, calore vẽtris semicoctas eijcit, conchyliaq;, & ostreũ quod intus est, latè exugit & edit. Præterea inter pisces Oceani latos & aculeatos, Raia dictus reperitur: qui hominem à canibus marinis natãtem, ad deuorandum raptũ & suffocatum defendit, nec deserit, donec viderit eum à periculo euasisse. Hic piscis coruum matinum sub vndas se mergentem, sæpissimè ad pastum rapit, ne etiam in aquis careat vltore suæ rapacitatis. *Platea auis.* *Raia piscis hominum amatrix.*

De Falconibus & eorum distinctione. Cap. 10.

AQuilonares montes Falcones generant valde feroces, sed generosos: etiam candidos, qui ballistis incolarum, nisi omnimodam vim in rapiendo fecerint, tanquam aues sacræ non impetuntur: alioquin damna facientes, quantumcunque nobiles, aut candidi sint, sagittas incolarum non euadent. Habitant tamen in rupibus quasi inaccessis, viuentes ex raptu piscium: quos ob nimiam multitudinem diminuere non sufficiunt homines etiam innumerabiles, nisi concurrerit adiutorium rapacium bestiarum. Adeò natura ludit in rebus, abundantia vel defectu sagacissimè temperandis. Abundant etiam ibidem accipitres, & milui, ac corui, ob aquaticarum auium segnitiem, ac tardum volatum: quia nimium fertilitate sun di saginantur.

De Hirundinibus ab aquis extractis. Cap. 11.

ETsi multarum naturaliũ rerum scriptores memoriæ prodiderunt, hirundines mutare stationes, hoc est, exurgente leui hyeme, repetere terras calidiores:



res: attamen in Septentrionalib. aquis ſæpius caſu piſcatoris extrahuntur hirundines, in modum conglomeratæ maſſæ: quæ ore ad os, & ala ad alam, & pede ad pedem poſt principium autumni ſeſe inter cannas deſcenſuræ colligarunt. Notatum enim eſt, eas eo tempore, ſuauiſsimo completo cantu taliter deſcendere, & pacificè poſt principium veris inde euolare, atq; repetere vetuſtos nidos, vel nouos naturali ſolicitudine fabricare. Maſſa autẽ illa per imperitos adoleſcentes (nã antiqui & experti piſcatores eam remittunt) extracta, atq; in æſtuaria portata, caloris acceſſu hirundines reſolutæ, volare quidem incipiũt, ſed exiguo tẽpore durant: quia immatura acceleratione nõ liberæ, ſed captiuæ ſunt reductę: Accidit etiã tẽpore verno, liberè reuertentes, nidosq; veteres intrãtes, aut nouos cõſtruentes, ſuperueniente horrida hyeme cum denſo caſu niuium, omnes pariter emori, vt nullæ in tectis, aut fluminum ripis tota ea æſtate videantur, præter paucißimas, tardius à profundioribus aquis aſcendẽtes, aut aliũde peregrinantes, quæ naturæ beneficio ſobolẽ reparaturæ, hyeme penitus in Maio ſoluta, aduolare cernuntur. Agricolæ enim ex earũ nidis ſublimius, vel depreſsius ædificatis, prognoſticum capiunt, an in vallibus, an in montibus, vel collibus (propter imbriũ incrementum, vel decrementum) ſint ſeminaturi. Imò nec bonum omen capiunt incolæ ex tectis, vbi hirundines habitare perhorreſcunt: quia ea culmina caſura creduntur.

De Aui-

De Auibus sub niue reclusis. Cap. 12.


SVnt in Septentrionalib. terris galli syluestres, quātitate similes phasianis, licet multò breuiore cauda, & absoluta nigritie in toto corpore, & cādentibus aliquor pēnis in extremitate alarum & caudarum. Mares rubra & eminenti crista, fœminæ verò humili ac lata, colore griseo decorātur. Hę aues mirabili natura sustinent frigus immēsum in nemorib. vti anates in aquis. Verùm cùm niues instar colliū terræ superficiē vbique cooperiunt, ramosq́; arborū diutius deprimūt, & condensant, certos fructus betulę arboris (Gatulo Italicè dictæ) in forma longi piperis vorant, & glutiunt indigestos: idq́; tāta auiditate ac quātitate, vt repletū guttur toto corpore maius appareat. Deinde partitis agminibus sese inter medios niuiū colles immergūt, pręsertim in Ianuario, Februario, Martio, quādo niues vt turbines, typhones, vel tempestates grauissimę è nubibus descendunt. Cumq́; coopertæ sunt, penitusq́ue vt nulla videatur conglobatæ, certis hebdomadis cibo in gutture collecto, egesto ac resumpto viuunt. Venatorū canibus non prodūtur: attamē sagacitate expertorum venatorū sæpius euenit, vt canibus in odore errātibus, ipsi signis deprehēsis maximū numerū viuatū auiū cōprehendāt, extrahantq́; ad magnū lucrum. Sed id fieri oportebit celeriter: quia audito canū latratu, mox vigore alarū (nō secus ac agmina apū) erūpunt, & se in sublime effetūt. Quòd si præsentiūt niuē imminere maiorem, prædicto fructu iterū deuorato, aliud domicilium captunt, inq́; eo manēt vsq; ad finē Martij, vel celerioris resolutionis niniū, sole Arietē egrediente: tūc enim niue liquefacta, naturę instinctu (vt multæ aliæ aues) à latebris surgunt, oua pullosq́; producture: & hoc in montibus, vbi vepres sunt, & arbores densæ. Mares & fœminę vicissim oua cubāt, & vterq; pullos obseruat, & præsertim mas, ne ab aquila vel vulpe rapiantur.

De venatione earum extra niues. Cap. 13.

HAE aues in maxima turba cōgregatę volant, atq; in altis arborib. præsertim betulinis, manent: nec descendūt, nisi propagationis causa, quia in earū arborū summitate habēt sufficiens nutrimentū. Et eo viso,

ſcilicet quod ſeſe dilatant per cãpos, etiã niue repletos, venatores ſiue ruſtici, ad quos rura ſpectãt, baculis ſeu fuſtibus longitudine viij. vel x. pedum obliquo ſitu è terra ſupra niues erectis, è quorũ ſummitate dependet laqueus ad omnẽ tactum mobilis, venãtur huiuſmodi aues: quia in congreſſu naturę miræ ſaltãt, vti perdices currũt: & ita incidũt in laqueos, atq; pendẽtes manẽt. Cumq; vna funiculo videtur ſuſpẽſa, alię eã liberaturę aduolãt, & ſimilibus laqueis irretiuntur. Eſt etiã alius modus eas capiẽdi, videlicet ſagittis ſub vmbra equorum, vt minus inſidias valeãt præcauere Tempore aũt propagationis, inceſſabili garrulitate alterutrũ ſe ſuperare volẽtes canũt, mares preſertim, vt longo latoq; ſpatio per oẽs ſyluas audiãtur: ſeq; cãtu frequẽtius pro

Bonoſa auis. dunt. Eſt etiã alia auiũ ſpecies, Bonoſa dicta, carnes habens exterius nigras, interius albas, ſatis delicatas & ſapidas more perdicum, licet ſint magnitudine phaſianorum. Tempore coitus maſculus hianti ore currit, donec ſpumet: tunc fœmina occurrens ſpumam recipit, indeq; videtur concipere & parere oua, atq; educere pullos. Carnes verò ſupradictarum auium, ſylueſtrium ſcilicet gallorum, ſunt admodum dulces & tẽperatæ, vt caponum: & ob id ingenioſè, hyeme ſcilicet laqueis, & æſtate ſagittis capiuntur.



De niualibus Auiculis. Cap. 14.


EST præterea admirãda quarundã auium Aquilonariũ natura, quòd in ſyluarũ ſolitudine ita ſeſe conti-

contineant, vt ibi genitæ humanis habitaculis nunquam vel rarò appropinquent. Sturnorum magnitudinem, & colorem æstate habent: hyeme verò multiplicatis niuibus semper cādidæ apparent, veluti cygni. Pedes earum rubei, vt nigrarum ciconiarum: sed rostrum croceo colore decorum, breue tamen & acutum. Cibus earum, vt cæterarum auium, vermiculi inter cortices rimosarum arborum latitantes, vel aridi pinorum, aut abietum, aut coryli fructus: quæ etiam sub asperrima hyeme vim nutrimenti non amittunt. Sed difficilè capiuntur retibus, laqueis, arcubus, aut ballistis, ob niuium profunditatem, quum pulchriorē colorem habeant, quàm saporem. Vbi verò alites prædictæ concauitates niuium, veluti abditas specus sortitæ fuerint, eas ingrediuntur, sese balneantes, vti puluere gallus, vel sturnus arena: deinde cacumina arborum niuibus oppressarum repetunt, tanquam locum naturæ beneficio maiorem voluptatem administrantium: imò & necessitatem, vt eminentius præcaueant insidias importunas accipitrum: quibus visis se in medias niues intrudunt, vt passeres contra miluum inter spinas, & demum niuibus consumptis, inter arbores densas tempore veris. Quādo ab albedine in cinereum colorem naturali varietate transeunt, vitam degunt, placidam, nullum inter rapaces alites accipitre minore sentientes hostem seueriorem.

De ponderosis Niuibus, & Culicibus hyemalibus. Cap. 15.

HAecque niuium magna pressura continuè durat, vsquequo solis ascensu, & Austrino vento consumitur. Deinde post tantum tamque diuturnum naturæ certamen, rediuiuo humore arbores incuruatæ, ad pristinam libertatem & decorem resurgunt, eminentius in sublime tendentes, quò terra niuiū humore resoluto, singulari fertilitate fuerit impinguata: quod & agricolis pro liberaliori commodo cedit. Resolutione enim niuium agri fœcundiores reddūtur, citiusq; germinant, quàm quiuis alij agri diligētissimo labore præ-

parati. Similiter & prata ac pascua tantũ luxuriãt graminum vbertate & diuersitate, vt necessum sit inde arcere iumenta, ne nimio herbarum esu crepent, aut debilitentur: imò, vbi prata sunt, falcibus sepe truncare herbas. Accedit præterea aliud naturę portentum, versus Septentrionem, quomodo in plerisque locis penes terrarum calida spiracula minutuli culices generantur, Austroq́ne flante modicum à terra eleuantur, & innumerabili agmine supra niues turbato volatu mouentur, sicut nulli sunt molesti, ita vnico flatu venti Borealis asperi, veluti hemerobij extinguuntur. Sed tamen rediens Auster nouos producit ex eisdem cauernis & similibus, vt plurima pars hyemalis etiam culices videat in aëre perstrepentes. Licet autem flaccescant arbores niuium densitate, & teneri rami nimio pondere more arcuum deprimantur, atque plures arbores pronæ in terram inclinentur: tamen sub eis, tanquam in opacis locis, frigido vento liberis, habitant diuersæ bestiæ in maxima securitate. Sed nec silendum est, itinerantes sub his incuruatis arboribus, tanquam fornicibus, perficere vias suas: leues tamen ictus casu niuium aliquando sustinere.



De Ouis insularibus diuersarum auium. Cap. 16.

Q Via aquatilibus auibus tutum minimè est, oua ponere in terra firma, aut pullos producere longè ab aquis, propter noxias bestias, vulpeculas scilicet &

cet & mustelas: ideò naturæ instinctu in insulis (quarum infinitus in Aquilone numerus est) & rupibus fruticum germine denudatis, maximo agmine, ac numero diuersi generis cohabitant: nidosque earum aliquæ in nudo silice, aliquæ tortis aridisque stipulis, vel gramine sicco reponunt, ouaque innumera pariunt: quæ quibuscunque nauigantibus liberè cedunt occupanda, ita vt maxima vasa colligant, & in forum vendenda comportent, aut sale (corticibus exuta) ad domesticum cibum, non ingratum, longo tempore seruent: boniqùe saporis sunt, licet à feris accepta. Anas tamen in terra prope aquas aut insulas educit pullos. Inter eas aues fulica aquatica est, nigri coloris, de genere mergorum, anate minor: quę in mari, & circa stagna habitat, non vagabunda, sed permanens in loco suæ generationis. Cadaueribus vescitur piscium à rapacibus auibus dimissorum: præter quos ipsa insidiosè inter rupes alios venatur: è quibus vice versa cæteris auibus magna liberalitate escam partitur. Tempestatibus gaudet, eò quòd ludendo se submergit, & enatat. Matutino clangore tempestatem præsagit. *Insulæ innumeræ in Septent.*

Adhuc de ouis certarum auium. Cap. 17.

IN littoribus Noruagicis etiam sunt innumerabiles insulæ, vsque ad suppolares terras progredientes: in quibus vti plurimæ aues alibi non reperibiles sunt, ita & oua producunt innumera: quæ occupantibus cedunt. Sed vnum est cæteris spectaculis miserabiliùs, quòd gallina ex anatum ouis pariter & proprijs pullos producens, proprio fœtu secum gaudet in fricatione ventris cubatione fatigati: alterum verò aquis se immergentem vocat ad escam, qui nec matrem agnoscit etiam vociferantem. *Insulæ littoris Noruagici innumeræ.*

De Pauo-

De Pauonibus. Cap. 18.

IN Ostrogothia, & Vestrogothia, ac Suetia plures generantur Pauones, & maxima diligentia educantur, ita vt primis diebus farina hordeacea in modum pillularum confecta vescantur: posteà caseo recenti à lacte expresso (nam serum nocet) deinde xxxv. die euo luto, hordeo solido nutriuntur: ac vltimo in apertis agris & campis, vbi naturæ instinctu seipsos liberius sustentare possunt, præcipuè vbi vulpes non habeant ad eos accessum. Quod autem cæteris auibus diligentius fouentur, causam præstat vtilitas, & pulchritudo pennarum, quam pictores & textores Aquilonarium terrarum in colorum varietate distinguenda imitãtur, quum magnorum artificum picturæ rarò, ob itineris prolixitatem, à remotis terris afferantur.




De auibus ignoti nominis in Lacu albo. Cap. 19.

Lacus alb. LAcus albus inter Scricfinnos, & Biarmos, ac Moschouitas versus polum Arcticum situs, dominiorum & gentiũ terminos habet, longus & latus, adeoq; piscosus, vt quibusuis piscatoribus, æstiuo præsertim tempore, exhibeat se sine sui diminutione liberalem. Quare ad eum multæ gentes accedunt, domesticam prouisionem ex eius abundantia facturæ in totum annum. In eo lacu & penes eum, habitant infinitæ species

cies auium, continuum garritum ferè sex mensibus sub clarissima luce dierum ac noctium, vsque ad graue fastidium emittentium. Quædamq; earum ignoti nominis sunt, & maximè mollium plumarum, vt incolæ eas venantes, exinde acquirant ingentem quæstum. Opus enim est in his regionibus frigidissimis pro arcendo gelu, vti plumis, & mollibus lectis, præcipuè pro aduentitijs viatoribus, qui talibus asperitatibus non sunt assueti. Cernuntur hic diuersorum hominum habitus, in nauibus (Strudzar, & Haapar dictis) Moschouitarum scilicet, Finnorū, & Scricfinnorum, quibus stante regionum pace, pacifica est conpiscatio ineunda, vt nulli (quod mirum est) iniuria pro quæstu, seu captura piscium, aut auium irrogetur: nisi furto (quod rarò accidit propter continuam lucem) aliquid ablatum fuerit, aut falsificatum. Gens enim illa Moschouitica more Græcorum astuta est, & varia in verbis. Videntur etiam aues Onocrotali, saccum sub gutture habentes, ne & deesse videatur inexplebilis auis: de qua suo loco, sicuti & coruo, & reliquis nonnihil fuerat allegatum. Item in hoc lacu infiniti cygni, anates, & anseres reperiuntur.

Moschouitæ taxātur astutiæ.



De Auibus alle alle dictis. Cap. 20.

EST in hoc lacu quoddam auium genus admodū frequens, imò & in alijs finibus maris Bothnici, ac Sue-

ac Suetici, quod tempore æstiuo nunquam intermissa voce clamitat, Alle alle: vnde propter hoc vbique ab incolis aues illæ Alle alle appellantur. In eo namque lacu propter dulces aquas à calidis fontibus vndique scaturientes multarum ac magnarum volucrum (prout ante dictum est, tanta multitudo reperitur, vt quasi spatiosa littora, & vasta flumina cooperire videantur, præcipuè corui marini, siue cornices anguillarũ, merfices ac mergi, anates duarum specierum, & cygni, preterea minuta aquatilia infinita. Hos igitur coruos, & reliquas inexplebiles aues, venatores faciliùs ob grauem tardumque volatum, duobus vel quatuor cubitis super aquas eleuatas, capiunt eo videlicet modo, quòd in arctis scopulis, velut insularum ianuis, in vtraque ripa hastis atra retia, vel aqueo colore tincta appendunt: quæ trochleis sursum deorsumque repente mobilia redduntur, vt agmine magno aduolaturas aues, depressis subitoque leuatis in obliquum casum retibus inuoluant: quod necessario auibus illis euenit, ob grauem tardumque volatum, quem recto & lineari motu seruant institutum, ita vt paucæ periculum euadant. Etiam anates, aliæque aues quandoque retibus huiusmodi subijciuntur. Hæ igitur aues nigræ & pigræ, siue natantes, siue volantes, semper Alle alle vociferantur, quod Latinè sonat Omnes omnes, etiam quando retibus sunt inclusæ: quam vocem irrisoriam solicitus auceps interpretatur, quòd nequaquam omnes habeat in sua potestate, neque vnquam per retia quoque sexcenta sit habiturus. Sunt & hæ aues maxima multitudine in scopulis Suetiæ, & Gothiæ superioris, licet non tanta, vt lacu prædicto, alijsque fluminibus huic vicinis. Capiuntur etiam aquaticæ aues in vasculis littoralium arborum, ramis per modum nidorum appensis: in quæ anates præcipuè sese recipiunt, ad producendum oua & pullos, propter vulpeculas, à quibus in terra infestationem patiuntur.
Item capiuntur & visco, præsertim paruulæ.

De Vpupis



De Vpupis, & alijs auium generibus. Cap. 21.

Vpupæ quando ad Septentrionales campos stato tempore è regionibus alienis adueniunt, veris tempus accedere indicant. Auis gemitu plena & clamore, ob ouorum, aut pullorum custodiam. Vulpes in herbis importuno clamore latitare indicat: ita & canes, ac cæteras bestias ab omnibus locis abigendas exclamat. Bellum eis cum hirundinibus ac picis, & monedulis est. In paludum tuberibus oua ponit, & pullos educit. Domesticata venando muscas domum purgat, etiam in murium raptu. Pluuiam gemitu indicat: quòd & nepæ campestres faciunt, cuculi equarũ dictæ: quæ transuerso volatu, citatoque forti sonitu, imbres ilicò adesse præsagiunt. Item nepæ maiores longissimis rostris pluuiam adesse prædicunt: ita & pici arborum. Est etiam auis, quæ pluuialis dicitur, perdicis magnitudine, varijs pinnis ornata, croceo, albo, nigroque distincta colore: hæc creditur solo aëre viuere, licet pinguis sit, & in ventre eius nihil inueniatur. Hanc grauibus baculis venantur aucupes, quos altius in aërem ad deterrendum eam iactant, vt ita auem ad ima volantem, & fugientem acquirant. *Auis pluuialis aëre viuit.*

De Cuculo


De Cuculo, & multiplici genere Picorum. Cap.22.

EST etiam in Aquilonaribus syluis optatæ lætitiæ annunciatrix auis omnibus nota, Cuculus appellata, circa principium Maij erumpens in vocem sonoram: quam ferè in fine mensis Iulij continuat. Sed hoc in vastis nemoribus, ob inimicas aues, naturali odio eam in omnibus molestantes, eò quòd & ipsa (Coccyx Græcè dicta) alijs sit insidiosa. Nidum enim proprium non facit, sed in alienis, palumbi scilicet, alaudæ, vel passeris solitarij, ponit sua oua cubanda, & alterius labore producit pullos: qui è testa exeuntes, pulchritudine, vt educentur, prouocant nutricem: quæ specie & forma impinguescentis sobolis gaudēs, fœtus suos damnat, atque absumi patitur, donec ab adulterino fœtu eualaturo interimatur: & demum ipse Coccyx à suo genere, videlicet accipitre, dilaniatur. Prætereà picorum genera plurima sunt in Aquilone, magnitudine monedularum, asperrima hyeme in corticibus arborum quærentes victum: quorum aliqui nigerrimi sunt, rubeam habentes cristam, aliqui glauci, aliqui virides, aliqui vario colore respersi, signa asperioris hyemis venturæ, gemitu prænunciantes.

FINIS LIBRI. XIX.

OLAI MAGNI GOTHI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE PISCIBVS.

EPITOME LIBRI XX.



De triplici Bothnia terræ Septentrionalis, & abundantißima eius piscatura. Cap. 1.

BOTHNIA, quæ finum Gothicum siue Sueticum ad Septentrionem terminat, latißima est terra, diuisa in tres magnas prouincias, Occidentalē, Aquilonarem, & Orientalē. Qui Aquilonarem incolunt, piscatu maximè viuunt: nō quòd agrū sterilem habeāt, sed quia tanta est his copia piscium optimorum, vt in omniū necessariarum rerum permutationē abundè sufficiat. Suntq́; in omnibus rebus locupletes: siquidē ex Hispania ac Lusitania optimū vinū, & sal: ex Anglia & Flandria, pretiosum pannum: ex Germaniæ ciuitatibus variam domorum suppellectilem & ornatum, præter domesticum cultum: ex Suetia & Gothia triticum, siliginem, hordeū, & omne genus necessarij leguminis illuc nauibus aduectū, cōparant. Omne littus insula, sinus, amnis, riuulus, illic exuberantem piscium *Bothnia, id est, fundus vasis.*

copiam toto anno, maximè tempore æstiuo, quo omnia ibi amœnissima sunt, præbet. Insulę circa maris littora plurimæ sunt, & iucundissimæ: quæ herbis, arboribus, & graminibus, maximam recreandi delectationem exhibent. In arboribus auium diuersi generis suauis concentus: piscium mira varietas, sese super vndas ludendo efferentium: piscatorum maximus in omnilo co prouentus: nulla illic nociua belua in mari, nullum perniciosum reptile, aut formidabile animal propè in terra: nullæ tenebræ tempore totius æstatis, nullus ardor solis, aër salubris, & temperatus: omnia ibi iucunda, quieta, & tranquilla. Verùm quod magis mirum est in tanta locorum & temporum amœnitate, ac licētia, nullum turpis lasciuię facinus admittitur: castus, & verecundus inter homines vtriusq; sexus conuictus: nec incestus, nec fornicatio, nec adulterium fit, aut nominatur in illis: tantum enim valet lex Domini immaculata apud simplices illos populos, vt ipsorum castimoniæ multi in lege diuina doctissimi cedere videantur. Labitur ex montibus huius Aquilonaris Bothniæ (id est fundi maris) vndosus, & profundus amnis: qui duobus ostiis fertur in mare, relicto in medio breui spatio, in quò fundatum est oppidū, quod Thorna, id est turrita insula dicitur: cuius latitudinis eleuatio est circiter 82. grad. longitud. 42. Est autem hoc oppidum in loco plurimum amœno, & commodo situatum: nec aliud emporium frequentius in toto tractu suppolari, quàm est hæc Thorna. Ad ipsam enim confluunt Russi albi, Lappones, Biarmi, Bothnienses, Finni, Sueci, Tauasti, Helsingi, & complures alij, ex partibus Noruegiæ, per altissimos mōtes, & vastas solitudines, ac Iempthiam regionem: & hi omnes, partim oblongis naticulis, incitatissimis fluuiorum casibus aptatis, partim curribus domitorum rangiferorum vtuntur, partim etiam pandis perticis, quibus conspersa niuibus iuga montium citò superant, celerique allapsu concurrunt, vti in principio huius voluminis explanatum reperitur.

Thorna emporium celebre.

De mul-



De multitudine piscium huius emporij.
Cap. 2.

Comportati pisces diuersarum specierum ex piscaturis superiorum fluminum in hunc locum, mercibus longinquarum prouinciarum rerum commutatione venundantur: & hoc in colligatis fasciculis quingentarum grauium librarum, quod pondus illic est vsitatius: & prætereà in maximis vasis sale conditi pisces, seu alio modo suauioris saporis conciliandi gratia fumigati. Ad hanc insulam frequentiorem nauigationem Holmenses, Aboënses, Raugmenses, & Eregrundenses, quotannis in maximo capiendo lucro instituūt, ac mercimonia nō pecuniarū numeratione (eò quòd gens illa nūmos non æstimat) sed commutatione rerum necessariarum, prout libro quarto fuit enarratum, distrahunt. Et id quidem fit, quia ad hoc emporium ob populi simplicitatem, ac crudelitatem, plerunque à dolosis mercatoribus importata moneta, deprehensa sit falsa, vafro præsertim ingenio Moschouitarū, qui illuc circa æstiuale solstitium (vti ego anno millesimo quingentesimo decimonono vidi) in magno numero, nauigia in humeris aliquando inter distantes aquas portantes, concurrere solent. Sed dolus eorum cùm detegitur, repentinam illicò recipit vltionem.

Rerum commutatio apud Both.

Pecunia quo in loco negligitur.



De piscatura Salmonum. Cap. 3.

VIx alicubi in tota Enropa vberior salmonum piscatura reperitur, quàm in Bothnico mari versus Lappones, è quorum montibus & terris, vastissima flumina dulcium aquarum descendunt: contra quę pulcherrimo spectaculo, quasi milites micantibus armis, sub solari æstu ascendere videntur salmones, tanto præsertim agmine, vt superiores montium aquæ prædam reseruent piscatoribus suis. Dicitur nanq; salmo à saltu: caudam enim ore replicat, & reflectit, firmiter eam ore tenēs, donec saltus agilitate locum abruptum conscendat: ad quem tendens contra fluminis impetū, à proposito non desistit, quousq; dulcibns aquis (quas auidè desiderat) reficiatur: ac posteà vicissim desiliēdo, ad nota domicilia intra cauernosas rupes reuertitnr. Gaudet enim alternatim salsis, & dulcibns aquis. Crescit hic piscis in longitudine 6. vel 7. pedum, magno prævalens robore, sed ponderosus & grauis: omnisque quam habet agilitas, à potentia virtutis eius est potius, quàm à leuitate corporis. Carnes eius rubeæ sunt: quæ licet dulces & gratæ sint, valde tamen satietatem citò manducantibus ingerunt: quod verum est recenter auidius sumptæ. Dum verò sale condiuntur, gratiores æstimantur, ita vt magno pretio ac multitudine emptæ, ad superioris Germaniæ partes vsque, primùm nauigiis, & demum curribus aduehantur. Neque genus

Salmones 6. vel. 7. pedum longitudine.

aus hoc piſcium, quantumcumque capiatur, deficere vi detur in loco natiuo ſuo. Vidi enim ego circa æſtiuale ſolſtitium in extremis Bothniæ littoribus circa Thornam, adeò magnam eorum multitudinem capi, atque in tanto numero extrahi, vt fortiſsima retia rumperentur. Nititur enim hic piſcis, dum ſentit ſe retibus preſſum, omnibus viribus ſe liberare, caudam ad os applicando, vt circulari ſaltu exiliat: idque, licet tardus ſit, et piger ob ſuam pinguedinem, celerrimè oſtendit. Cor eius extractum diutius omnium cordibus animalium mouetur. In Rheno & Viſtula, ac Duna, vel Dzuina prope Rigam in Liuonia, magno pretio comparantur ſalmones: hiq; fumo querno ad gratiſsimum ſaporem indurautur, prout generaliter fieri ſolet apud omnes aquas Septentrionales. In regionibus autem Oſtrogothorum ac Veſtrogothorum, etiam plurimi capiuntur. Flumina enim illic in plerique locis 20. vel 30. pedum altitudine reperiuntur, maximè penes Veſtrogothos in prouincia VVermelandia dicta, quæ olim regio titulo decorabatur: vbi lacus dulcium aquarũ, centum millibus paſſuum in longitudine, & 40. in latitudine patet, cui nomen Vener eſt: in quem 24. magna flumina à mõtibus Noruegiæ illabuntur, vnum ſolum exitum verſus Meridiem habentia: qui Trolhetta, id eſt, dæmonũ caputium appellatur: In fluminibus illis recentibus in maxima copia ſalmones capiuntur: inque genere ſuo maxima producunt oua, cicerculas, vel piſa in quantitate ſuperantia, ac maculas nigras in cute reſperſas habentia cum magno decore. Maximus denique horum piſcium, vbicunque capiuntur, quæſtus eſt, & adhibito ingenio capiendi maior in dies excreſcit.


Salmonis cor diutiſsimè viuit.

De lacu Vener vaſtiſs. iam dictum eſt.

De piſcatura Vitulorum marinorum. Cap. 4.

QVia iu mari Bothnico & Finnonico maxima vitulorũ marinorũ, ſiue phocarũ multitudo reperitur: idcirco naturã eius, & demũ venandi modum, quem videram, paucis annectã. Vitulus marinus, qui & Helcus Latinè dicitur, à ſimilitudine terreſtris vituli ſortitur nomẽ, habetq; corpus durum & carno-

Helcus.



ſum, ideoque difficulter interficitur, niſi eliſis temporibus capitis. Vox eius eſt, vt tauri: quatuor habet pedes, non autē auriculas: quia regimen vitæ eius, & manſio eſt in aqua. Si enim auriculas haberet, multum humorem ſuſciperet, natationemque ſibi in aqua prohiberet. Animal generat completum: parit vt homo omni tempore, ſed maximè cum primis capris. Vitulus marinus pilo veſtitus, auerſo coitu, vt canis, inuitus adhæret: parit animal in terra more pecudum, nunquam tamen plures geminis fœtus, licet author de natura rerum dicat, tres. Fœtum nō ante duodecimū diem à partu in mare producit, ſubinde aſſuefaciens. Ipſis in ſomno mugitus, vnde nomen vituli. Accipiunt tamen diſciplinam, voceque pariter & viſu populum ſalutant, incondito fremitu: nomine vocati reſpondent. Nullum animal grauiore ſomno premitur. Pinnis, quibus in mari vtuntur, humi quoq; pedum vice ſerpunt, ſurſum deorſumq; claudicantium more ſe mouētes. Pelles eorum etiam detractas corpori, ſenſum æquorum retinere traditur, ſemperq; æſtu maris recedēte inhorreſcere. Dextra pinna vim ſoporiferam, ſomnoſque alliciendi capiti ſubdita habet. Pauidi fulminum, tutiſsima putant tabernacula è pellibus vitulorum marinorum conſecta, eò quod ſolum hoc animal in æquore, vt aquila in æthere, à fulminis ictu immune eſt, & ſecurum. Hoc animal, catulos mammis lactat.

Phocarum partus.

De modo

De modo piscandi eos, & eorum medicina. Cap. 4.

PIscator mentita pelle nigra, cum longa hasta ferro hamata, super glacie curuatus iacet, mugituq; vitulum vocat, qui mox accedit, putans nouam fusci pere cõiugem, propria interfecta: est enim super omnes beluas crudelior vxoricida, vt vnam alteri super inducat, donec ab aliqua earũ in defensione fuerit interemptus: verùm non consortem, sed iaculũ, non luxuriam, sed laqueũ inuenit, vt occidatur. Nam spiculũ per hastam immissum, manet in corpore, donec debilitata be lua ex suscepto vulnere, per funem attrahatur. Capitur etiam dormiẽs, præsertim humano mucrone, quia profundissimè dormit, vt & alij quidam pisces, de quibus infra de rosmaro dicetur. Canicies vti homini, & equo sic quoq; vitulo marino accidit: senectutiq; reuerentiã iuniores semper habent. Vbi enim in scopulis 30. vel 40. vel plures dormiendo iacent, tanquam pecorũ greges, fideliter notatum est, senes pariter & iuniores seor sum dormire: vnde & seniore in aquas descendẽte, nec vnus è toto grege in scopulo montano, lato, vel in glaciei parte natante remanet, nisi pariendi causa. Nam si mare turbatum in fluctus surrexerit, & pilus similiter erectus exurgit: si verò mare pacificum fuerit, pilus in planum sternitur: sicq; maris status in re insensata, & mortua deprehenditur. Bothnici nautæ prognosticon suscipiunt ex vestitu proprio, de pellibus huiusmodi composito, an mare trãquillum, & prospera nauigatio sit speranda, vel periculum in mari subeundum.

Vitulus marinus in feminã suam crudelis.

Senũ inter vitulos marinos reuerentia.

Phocarum pelliũ prognosticon.

Adhuc de virtute huius bestiæ. Cap. 5.

ITẽ bestiæ hæ adeò animosæ sunt, vt audito tonitru, visoq; fulmine ac coruscatione, gaudentes ascendãt planos mõticulos, sicuti ranę exultãt accessu pluuiarũ. Nauigaturi Bothniẽses, seu Aquilonares nautæ, versus Germaniam in asperrima hyeme, pinguedine huius beluæ liniũt tabulas naniũ, ne glacie congelentur ad nauis demersionem. Item pinguedo hæc, Seeltraan vulgariter dicta, plurimum valet ad inungendum diuersa genera coriorum, ac pellium, quas alutas appellant: vnde

Vitulus marinus tonitru & fulgure gaudet.

caligæ molliores conficiũtur: quemadmodum videtur quomodo in Prusia hac pinguedine per aquarum rotas aluta præparatur, atque distrahendi gratia in Flandriam, & tandem in Italiam, Galliam ac Germaniam transportatur. Tegora etiam bouina, nisi vncta fuerint hac pinguedine, vel ceti, non valent ad conficiendum ocreas viatorum in pluuia, eò quòd arcet omnem humiditatem, & diutissimè conseruat eas: nec mures hac pinguedine calceos vel ocreas vnctas rodunt, aut lora equorum ad præsepia ligatorum, sicuti alia, scilicet bouina, vel arietina pinguedine vncta. Imò hoc bonum naturaliter inest huic corio, vt fulmine non tangatur, vbicunque fuerit alligatum.

De perplexitate comedentium carnes huius Vituli tempore Ieiunij. Cap. 6.

CVm hoc animal carnem habeat, & laridum, more domesticorum porcorum, nonnulli scrupulosè se torquent, ne his, scilicet interioribus carnibus, vescantur in Quadragesima, ea securitate, sicuti lardum vel pinguedinem, quæ foris est, & aulsa carnem retinet sibi coniunctam. Quocirca rectoribus Ecclesiasticis hæc causa discutienda committi consueuit: dumq; in vnam & alteram partem physica ratione multa adduci, probarique solent, nec satis concorditer diffiniri, simplicioris ingenij viri, multis post habitis causis, in vtranque partem prolatis, dicunt, & probant, ex ipso vitulo marino sumendam fore demonstrationem, hâc videlicet, vt cùm partum fecerit in littore, si ad syluas à venatore compulsa belua fugerit, abstinendum eius esu erit tempore prohibito: si verò ad aquas, securissimè ea vescendum erit. Et ita seruatur, vt infinitæ hominum multitudines hac pinguedine vtatur in obsoniis suis, loco olei: atque ob eam causam carnes in maxima quantitate, veluti latera porcorum, in vasa recluduntur. Pinguedo tamen huius vituli marini solidior, defertur ad amplam Germaniam.

Paradoxon pareneticum.

De Lu-

De Lupis, siue Luciis. Cap. 7.

SVnt lacus dulcium aquarum in montanis Lapponiæ, 400. miliarium Italicorum longitudine, latitudine verò 100. & amplius: in quibus tanta est luporum aquatilium (quanuis & aliorum piscium) copia, vt non solum alendis hominibus, per quatuor amplissima Septentrionalia regna sufficiant, sed etiam latius, sale soleq; siccati, nauigiis velut lignorũ magnæ strues in amplam Germaniam vendẽdi exportentur. Itidem de lacubus Finlandiæ cẽsendum erit. Est igitur lupus, piscis fluuiatilis, ore lato, dentibus acutissimis, minorum piscium deuorator: cui tamen perca squamis & pinnis asperrimis armata resistit, vt sibi non preualeat: tamen ex insidiis transuersam percam, ore compressam lupus ipse minutim lacerat, & deglutit: adeò nullus, etiã armatus piscis, à voracitate eius permanet immunis. Vescitur lupus seu lucius, bestiis venenosis, vt bufonibus, ranis, & huiusmodi: nihilominus ægrotantibus consilio medicorum deputatur inter sanos cibos. Retibus inclusus facillimè euadit, si attrahendo retia piscatores lento vtuntur tractu: celerrimè etenim retia attracta non euadit. Lupus hic aquatilis nominatur, & si fluuiales aquas cibumq̃ue pro vita sufficientẽ habuerit, successu temporum ad longitudinem octo pedum euadet: piscemq̃ue ferè ad sui magnitudinem vorat. Nam vbi victum subegerit, caput primùm ore comedit, quo digesto, paulatim sequentia, donec totum consumat. Pari quoque generi suo parcere recusat, vel ob naturalem crudelitatem, vel quia auidus est cibi, rapinæque impatiens. Præterea & propria femina persequitur, vbi induerint formam piscis: neque ab habẽtibus spinas acutas, ac squamas aculeatas abstinet: stomachum nanq; habet ita gutturi continuatum, quòd aliquando eijcit eum, auiditate gluttiendi piscem.

Lacus in Lapponia ingentes.

De eiusdem piscis captura. Cap. 8.

Fœmina huius piscis cùm oua spargit, multum à loco, vbi morari consueuit, abscédit, ibiq; oua parit, vt filij sui non sint sibi impedimento ad prædam capiendam: idq; fit vel naturali crudelitate, vel rapinę inuidia. Capitur multis modis, hamo videlicet lato, ex aurichalco, vel rutilante ære ad hoc fabricato, cui appositus est piscis candidi coloris. Item furca ferrea dentata sub tenebris, ad ignem piceis tedis accensum: quem quum auidè miratur, ferro furcaq; percutitur. Insuper quando sub glacie ludit in fine Martij: tunc enim proijcit oua, tantùm aquæ strepitum valido capitis motu ostendit, vt vltro piscantibus signum suæ capturæ demonstret. Domunculis etiam capitur, ex asserculis longis confectis, ac in arundine firmatis: quas ingressus grassatur in quoslibet pisces deuorandos. Proceres gulę, qui hosce pisces in piscinis pro claris hospitibus excipiendis, præcipuè in Germania, seruant, plus in eos singulo mense expédunt, quam in equos ad equestrem militiã enutriendos. Sexaginta enim lupi magni, mense vno plures pisces, quos carpiones vocant, aliunde quæsitos pede humano lõgiores, piscinis immissos consumunt, quàm alias equi decem in pabulo. Habẽt etiã nonnulli, nedum pro voluptate, sed domestico vsu fabricatas penes aquarum littora lacunas, vbi piscium agmen sub libera captiuitate ludentium, & delectatione reficit animos intuentium, & hospitibus parat appetitum. Currunt auidi ad manus hominum, & antequam cibi fiant, escas expetunt. Pascit homo delicias suas, & dum habet in potestate quod capiat, frequenter euenit vt repletus omnia derelinquat. Lupi autem sale conditi, longo tempore inter castrenses cibos seruantur. Sed siccati sole, sale, & vento, longè vtiliores sunt: quia crudi, fuste vel malleo cõtusi, escam exhibẽt conuenientem. Sale verò conditi viscositatem sibi annexam etiámnum retinent. Dentes luporum combusti mediocriter, & in puluerem redacti, rapturas equorum sub ephippio aspersi, atque membrana cooperti, continuo sanant.

De pi-



De piscatione per flammas. Cap. 9.

QVia superius de furca ferrea dentata, qua lupi aquatiles facilè capiuntur, mentio facta est: ideò primà virtus eius erit hic ostendenda: quia ea, ob plures hamos, sagaces piscatores in captura luporum, ac anguillarum præcipuè vtuntur, maximumque quæstum facilitate talium instrumentorum assequuntur: eo tamen modò, quod in lintribus monoxylis, aut duobus ex lignis confectis, in prora piceis tedis, quoniam tenebræ sunt alacriori suscitata flãma, videãt lupos & anguillas admirationis causa in magna multitudine accedẽres, atq; eos ferro hoc hamaro transfossos, ad vsus suos rerrahant. Quandoq; etiam suppositis lignis grossioribus, in natãtibus crustis glacialibus extructo igne, simili ferro, quasi in nauicula starent, acquirunt pisces: qui ita stupidi reddũtur, vt nullũ adesse periculum putẽt. Similiter & frõdibus in nauigio erectis capiuntur, quibus pisces quiescẽdi graria sese submittunt. Sæpe etiã accidit, vt sæuiẽtibus tonitruis, anguillę tam quam non securę in gurgite, aquas exilire volentes, vel retibus, vel hamis, vel cassibus, ac ligneis ædificiis quadratis perforatisque, in maximo numero capiantur: Et hinc est maior incolarum prouentus, quando tonante cœlo, ab antris excitantur anguillæ, aliàs difficulter exituræ. Item appenso sufficientis ponderis saxo, *Anguillæ tientur tonitru.*

cuneata

cuneata vasa lignea perforata, culmis pisorum repleta, & ad fundum vsque demersa, pro ingressuris piscibus seruant. Nec frustra: alligatis enim funibus extrahuntur ad summum vsq; repleta. Is modus est nouiter inuentus, & mirè lucrosus. In hyeme latent in limo profundo, vbi stagna non congelātur: quæ si totaliter glacie constricta fuerint, simul omnes respiraculū ab aëre non habentes, pariter suffocatæ moriūtur, prout aliàs vidi, & infra de glaciali piscatura dicetur. Diu etiam, scilicet sex diebus anguillæ extra aquas, præsertim Borea flante, in agris pisis consitis viuere solent: sed sabulo, vel cinere sparso, inde egredi non possunt. Mirè delectantur sub frumentariis molendinis, ob dulcedinem farinæ minutatim descendentis. Maxima anguillarum multitudo in Aquilonaribus terris reperitur, tā sale conditarum, quàm fumo siccatarum, & hæ crudæ comeduntur.



De æstiua Piscatione, & Aucupio. Cap. 10.

DVo precipuè obseruare solent prouidi piscatores, vt in aurora ante solis ortum, quādo visus pisciū maximè fallitur, gregatimque cibaria quærunt, cum magno silentio piscari possint. Eliguntur ad hoc perficiendum aridi fungi betulini ligni, quos maximos ea regio gignit: qui per vadosas aquas proiiciuntur, vt vagantes aues sint securiores. Auceps autem magno fungo,

fungo, vti galea, caput contectus, ac mento tenus stagnum ingressus, insidias eis vt struat, ad volucrum natantium agmen progreditur: hæ viso fungo capiti aucupis imposito, persuasum sibi habentes, vnum esse ex reliquis natantibus, appropinquantes manu ipsius aucupis intercipiuntur: & ita successiuè plures accedunt, similiter interficiendæ. Nam auceps exerta sensim manu, volucrem incautam cæco raptu pedibus prehendit, & demersam subtrahit in manticã ad id præparatam. Cæteræ volucres sua sponte subnatasse comitem arbitrate, quærendi victus causa (vti solent) nil solicitè, omnes suũ iter prosequuntur, vt sic in ancupis & ipsæ manus cadant. Quod aũt altera manu amplo casse piscatur, nõ frustra agit: quippe aqua pedib⁹ eius turbata, pisciũ oculos alioquin debiles, debilissimos facit, adeoq; incautos reddit, vt vltrò in retia tendant. Prætereà hamo post tergũ brachiumq; longo fune dimisso, nõ importunè piscatur. Vbique etenim tanta piscium occurrit multitudo, vt quibuscunq; piscatoriis instrumẽtis, etiam singulis membris applicatis, facillimè capiãtur, maximè in finibus maris, & fluminibus, quo magna societate se recipiunt pisces, vt trãquillius tempestatibus liberati, ac securiores degant. Sed nullibi tuti, vbi humano ingenio poterint deprehendi.


Adhuc de ingeniosa piscatione. Cap. 11.

EST & alius modus piscãdi sonoris insidiis inuentus, quum cõstet, plurimos pisces sensum auditus habere, vt soni dulcedine rapiantur. Retia tenduntur in longum aquæ, vel in trãsuersum, & ante retia super aquas instrumẽtum instar arcus, ita vt fluitet super vndas: in superiori autem huius arcus parte, nola seu campanula suspẽditur. Ob cuius sonũ pisces gregatim adueniunt, tinnitũ nolæ mirãtes: vnde apertis insidiis capiuntur. Nec pigeat vnum referre casum, quẽ vidi: citharœdum videlicet in aperto mari cithara acuto sono canentem, plurimos allexisse delphinos: qui postquam spatio vnius horæ sonũ in trãquillissimo mari (vbi nec festuca ventis mouebatur) audierant, flatu caudaq; turbarunt

Pisces ad campanæ sonum capiuntur.

Delphini mulcentur citharæ cantu.


Delphini tēpestates præludunt. barunt aquas: cumque abiissent, signū gratitudinis fortè monstrantes, extemplo sequutæ sunt tempestates tā horrendæ, tamq; sæuæ, vt vix vita ex adeò magno periculo liberari potuerit. Quidam etiam piscatores pisciculos filis alligant viuos, filaq; per longum & latū trahūt, vt maiores ob prædam & voracitatem grassantes reti circumueniant. Quidam etiam fossas faciunt, iuxta fluminis ripas, vt aqua ingrediatur, tabulisq; obstruūt vt pisces quietem capturi, ibi delitescāt: qui deinde per insidias rapiuntur: idq; frequētius autumno, quàm æstate contingi, propter sæuiores tempestates. Quidam etiam ponunt oblongas cuneatasq; sæpes, ex saxis lignisq; congestas in modum pyramidalem ad medium fluminis vsque: ne tamē vicinis publicus piscium meatus, qui per medium flumen protenditur, venaq; regia huius gentis appellatione nuncupatur, omnino occludatur, atq; sic in orificio pyramidali, vbi nassa depressa ac extensa manet, comprehendantur. *Vena regia piscium.*



De glaciali piscatura. *Cap. 12.*

Borbocha piscis. HIC modus ostenditur diuersus, qualiter sub glacie capiuntur pisces, Borbochæ dicti, seu Lak vulgari gentis idiomate appellati: quos piscatores sub tenui glacie visos, ictu grauis mallei stupefactos, subtus sistere cogunt, atque supinato motu peruertere ventrem

uentrem, vt glacie perforata eos apprehendant semiui uos. Et hic modus circa solstitium hyemale frequẽtius vsu venire solet. Est & alius modus piscandi sub glacie, cæteris communior, per hamos: quibus pisciculi al ligati, maiores sui dulcedine inuitãt ad rapinam, lupos presertim, qui reliquis piscibus perhibentur magis insatiabiles. Mittitur subtilis funis 60. vel 100. passuum, inter duo foramina longè directeq; distantia, per noctem integram, sub glacie cum hamis plurimis dependentibus permansurus: quem quum piscatores sequẽti die vicissim extrahunt, miram piscium multitudinem consequuntur: hiq; pisces varij sunt, & vt plurimũ val de pingues, propter meliorem pastum, & tutiorẽ quietem, quam obtinent in frigidis locis, præsertim in lacu bus degentes. Masculi quidem fœminis sunt pinguiores, præter halecem, vt in fine dicetur.



De piscatura equestrium piscatorum. Cap. 13.

MOdus hic piscandi supta glaciem, in magnis lacu bus, & dulcibus aquis, ac finibus salsi maris, singulo quoque anno à mẽse Nouẽbri in finem Marij, & amplius. quoties opus fuerit, pro multitudine piscium capiendorũ obseruatur. Siue enim glacies spissa, siue ni ue cooperta, siue clara, siue lubrica, aut prout frigore constricta sit, apparuerit, aut quòmodocunque natura

eam

eam produxerit, nunquam deest ingenium, aut volūtas publicæ vtilitati in necessariis rebus fideliter inseruiēdi. Ita frigus & æstū pariter æquo animo tolerant populi Septentrionales. Pro calcanda verò glacie, calceis tabulatis vtrisque pedibus congruentibus, ferreæ cuspides triangulares, æqualiter in glaciem lubricam cuspidibus versis alligantur quo fit, vt ad omnem motum solidior figatur gressus, qnemadmodum in firma terra. Si ferrum non adsit, nudis sotularibus sine cadendi formidine firmiter gradiuntur piscatores. In calceis verò corij vncti, nequaquam stabiliuntur pedes, propter gelū, quod corium huiusmodi illicò induratum in glacialem lubricitatem cōuertit: maximè si rara nix vnius noctis, aut mediæ super glaciem sit respersa: quia hæc improuisum reddit casum in momento. Alta verò, siue spissa, vestigiis solidiorē incessum & cursum permittit. Volentes igitur piscari sub glacie, duo magna foramina, latitudine 8. vel 10. pedum, centum, & quinquaginta, vel 200. passibus à se inuicem directa distantia, aperiunt: inter quæ 30. vel 40. minora foramina, latitudine vnius pedis & semis, ab vtroque latere distantia 30. pedum, inter media constituunt: tnm per ea à primo grandi foramine immissos funes hastis longis sub glacie dirigunt, directosque ad alterum magnum foramen, extremas horum funiū partes sessoribus equorum extrahendos committunt: iniunguntque, vt eo velocius equos ad trahendum incitent, quò retia ad exitum properare videntur, ne pisces captos se sentientes, maximè lupi, impetuoso strepitu retia frangant, & euadant. Et sic extrahuntur plerunque pulcherrimo spectaculo, adeò grandi multitudine, & diuerso genere pisces, vt non libra (cuius vsus ibi non est) sed integris plaustrorum magnorumque vasorum mensuris diuidantur.

De cursu glaciali pro piscibus, & cur tam sæpè piscatura instituatur. Cap. 14.

Accidit plerunq;, vt in tanta multitudine pisciū, viri iuuenes pecuniam nō habētes, à piscatoribu[s] gratiam


gratiam & fauorem obtineant, quod celeritate glacialis cursus, posita meta longissima, in lubrica glacie aliquam piscium quantitatem stadio cõpleto, assequi sua fortuna valeant. Nec eis negatur, quod honestè, vel laboribus meruerant, vel alia liberalitate eisdem sit vltrò concedendum. Communiter xx. vel xxx. magni pisces (qui fortè totidem florenos valerent Romæ) proponuntur eisdem lucrandi. Quòd autem tanto labore & industria sub glacie sit piscandum, multiplex ratio vrget, tempus scilicet propagationis piscium, quorum plura genera in asperrimo frigore oua emittũt: qui societate plures pisces, non naturali amicitia sibi coniunctos, sed tanquam suorum onorum deuoratores habent. Vtilitas etiam, & necessitas publica vrget, vt de abundantia piscium populo prouideatur: naturaq; piscium exigit: qui nisi glacie perforata respiracula susciperent, quotquot in flumine, vel stagno versantur, subitò morerentur. Pisces longi miro modo impinguantur vento Septentrionali, quemadmodũ lati aura Meridionali. Neque vno solo lacu, sed ferè in omnibus tempore hyemis, fit hæc vel similis piscatio glacialis, maximè in amplioribus stagnis, vt sunt Meler, Vener, & Vether, lacus recentes: tempusque hi demonstrant, naturali sua proprietate, quo tutè in eis piscatio fieri non possit. Vether autem præcipuè suam naturam hominibus, ne ob hoc graue aliquod periculum incurrant, significãt: tempore enim resolutionis glacierum, vehementissimo strepitu incipit ebullire, & à fundo commoueri, magnaque violentia rumpi in paruas rimas, vel scissuras, quæ plerunque fiunt in glacie: & has in modico temporis spatio valde latas faciens. Licet autem tunc glacies in densitate etiamnum plus, quàm palmas sex vel septem habeat: tamen cooperante superiore impetu venti, tota in plures particulas diuiditur, ita vt multi pedestres, vel equestres super ipsam existentes, sæpius submergantur, si eius naturã ignorent, aut negligant, celerrimè fugiendo ad littus, seruare vitam, vel saltem audita, & visa horribili glacierum collisione, maiori particulæ natanti adhærere, quæ vi vẽtorum celerius iactatur ad littus.

Qui venti quibus piscibus sagināndis commodiores.

De mirabili euentu glacialis stagni Vether. Cap. 25.

RVricola quidam plaustrum fœni ex aduersa parte huius lacus (Italicorum miliarium xvj. in latitudine, longitudine verò Lx. habentis) in aliud littus transuecturus, audiuit crepitum fieri, atque glaciem in rimas exiguas paulatim rumpi. Quocirca intelligens naturam eius citò viscerum inferiorum vrgente impetu, illam ruptum iri, ac fuga opus esse, vt quàm celerrimè suæ consuleret saluti: relicto plaustro fœni, equis citatis velocissimè festinauit ad proximum littus. Quod quatuor armati equites retro eum constituti videntes, hunc celerrimè (quasi furem, aut latronem, propter eorum accessum præ nimio terrore fugientem) velocissimeque insequuntur, atque in littore apprehendunt: & causa intellecta, quod ob crepitum glaciei mox resoluendæ, secundum experientiam eius, ac nullum maleficium, aufugisset, valde lætati sunt, se præter suam intentionem, atque etiam industriam, à suffocatione liberatos fuisse. Vnde & rusticus ille eisdem in littore demonstrauit, plaustrum suum non in glacie, sed apertissima aqua natare: quod & illis periclitantibus (nisi quàm citissimè aufugissent) euenisset. Per hunc lacum qualitercunque congelatum, ab Ostrogothis ad Vestrogothos, & econtrà, solet fieri iter: sed nunquam fornatum equestribus turmis, qui terris illis hostilia arma meditantur inferre. Neque etiam in vicino nemore amplissimo, Holueden vulgariter dicto, felicia auspicia senserunt, videlicet cùm Danica temeritas ibidem sæpius tentauerit vires suas demonstrare: quæ prima sepulchra eodem in loco inuenit, ne ad vlteriora tormenta procedere opus haberet. Demum hic gregatio Danorum militi, Ostrogothorum exercitus prima stipendia ferro numerare consueuit.

Holueden sylua.



De Piscibus nigri fluminis ad Arcem nouam in Finlanda. Cap. 26.


ARX est in extremis terris Finlādiæ ſuppolaris, regno Suetiæ ſubiecta, Noua arx dicta, eò quòd miris ingenijs extructa, arte, naturaq; munita ſit: nam in rotundo monte collocata eſt, vnicum habens introitum, & exitum verſus Occidētalem partem: idq; per ratem grãdibus catenis ferreis alligatam, quæ forti labore ſingulis diebus trochleatū beneficio, ob aquarum impetum, per noctem à cuſtodibus Regis Suetiæ deputatis, vel feudum ibi tenentibus, ad vnam partem fluminis attrahitur. Hoc caſtrum præterlabitur vaſtiſſimus fluuius, inſcrutabilis profunditatis, ex albo lacu ortus, ſucceſsiueq; deſcendens: à fundo, nigri coloris efficitur, præſertim in circuitu huius arcis, vbi omnes piſces nigros habet, & generat, non tamen ingrato ſapore exiſtimatos, vt ſunt ſalmones, trutæ, percæ, lupi, & cæteri de genere mollium piſcium. Producit etiam trebium piſcem æſtate nigrum, ac hyeme candidum, qui (vt Alberto libr. xxiiij. placet) in Oceano efficitur macer, & cùm pedalis ſit, pinguedinem habet quinque digitorum: quæ ſale condita, aurum ex aquis, quamuis in profundiſsimas deciderit, extrahit, & de fundo facit fluctuare. Tandẽ verò nigrum lacum efficit, tranſiens per Viburgum, quemadmodum Nilus nigrum flumen facit, vbi ſe exonerat.

Aquæ nigræ, & in ijs piſces nigri.

Trebius piſcis, æſtate niger hyeme cãdidus

De potentoso Citharœdo huius fluminis. Cap. 27.

QVod autem superiùs cernitur imago instar citharœdi modulantis in medijs vndis, portentum significat, videlicet, quòd arcis præfectus, vel capitaneus in fata subitò ruet, aut è sublimibus muris negligens, & somnolentus custos (castrensi lege) moribundus præcipitabitur. Intereà aqua hæc à spectris, ac monstris omni tempore apparêtibus, haud est immunis. Audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam.



De piscibus diuersorum generum. Cap. 28.

VAriæ figuræ piscium præsenti imagine designatæ, miram ac diuersam eorum multitudinem circumquaq; per Aquilonaria littora inueniri ostendunt, quorum vsus, nomina, naturæ, & proprietates, nec apud Philosophos, nec alias nationes reperinntur: vt pisciculi forma, palmam longitudine non excedens, leporinam faciem ac spicula in dorso habens, qui quolibet etiam magnos pisces solo aspectu terret, & in fugam conuertit. Deinde pisces aculeati dorsi, instar serræ, qui asperis illis aculeis, ac pinnis acutis, antrorsum (dum nocere intendunt) admotis, omnes offendunt: & hi duo tanquam aquarum & piscium latrones, vbi capiuntur, vti inutiles ob spinas & aculeos, & carnem insipidam abijciuntur. Sunt & pisces cornu in capite gerentes antrorsum, sicuti rostratæ, vel Libur-

nicæ

nicææ naues, in ventre ora habentes, macilenti & insipidi, ob corporis macritudinem, quam incurrunt alios pisces persequendo. Pisces præterea arcuata figura, capitis bubalini, ac soleæ ferreæ similitudinem habentes: in vsu escarum plurimum frequẽtes, cùm in grege electorum piscium ad cibum capiuntur. Qui verò electiores ex vsitatis aliorum vocabulis reperiuntur, hi sunt. Araneus piscis, spicula in brachijs habens, quibus appropinquantes percutit: etiam in dorso spinas altas, similiter nociuas. Aniger, bonarum, & albarum carnium, rotudus & longus est, dulcisque saporis. Prasmi pisces pingues ac lati, & longi vnius vel duorũ pedum. Borbochæ pisces fluuiatiles, & in lacubus degentes, breuiores anguillis, sed magnis ventribus: profunda petentes, præterquam in hyeme, quando sub glacie (vt suprà dictum est) malleo stupefacti capiũtur. Carnem habent dulcem, pellem viscosam, non spissam, hepar magnum, rotundum & dulcissimum. Euoluto duodecimo anno maximus euadit, mutatq; nomen, ac Solaris vocatur.

Araneus. *Aniger.* *Prasmi.* *Borbochæ.* *lake Gothicè dicti.* *Solares.*

De piscibus salsis, siccatis & fumigatis. Cap. 29.

TRactabimus iam de multiplici genere salsorum, siccatorum, ac fumo induratorũ piscium, ea præsertim ratione, quòd talibus cibis nutriũtur durissima illa corpora Septentrionalium populorum: in primis siccis piscibus, vt lupis, mugilibus, prasmis, borbochis, & quos Gothicè Sijck appellant: qui omnes vt strues lignorum, tum mensura cãnarum, seu cubitorum, tum ponderum maiorum, vt centenariorum, millenariorũ, ac eorum quæ vulgari Gothico Schippunt appellãtur, libramento communius venundantur. Aprandi atque hi pisces esui humano, biduo forti lixiuio, ac vno die pura aqua, vt ad gratam mollitiem redeant, resoluuntur: deinde cocti, ac salso butyro respersi, meusis etiam principum, vt nutrimentum desiderabile & voluptuosum, imponuntur. Posteà diuersi generis recẽtes pisces cum siccis alternato ordine, & festiuitate, obsonijs interpositis edũtur, præsertim in eorũ sympofijs & ædi-


Ratio qua lixentur salpæ.

bus, qui luxum & felicitatem in eſca reponũt. Reliqua hominũ turba cœli rigore ſemper vrgetur, vt non quàm delicata, ſed quàm fortia comedat, curam habeat. Quidam piſces malleis ex robuſto ligno apparatis, ante decoctionem fuſtigantur: quidam etiam ſole, ſaleque ſiccati, crudi tunduntur, ac manducantur: quos Sijck vulgari ſermone vocant: ſuntq; genere duplici præſertim in mari Bothnico, in quod influunt maxima flumina ex altiſsimis montibus Noruegianis. Fumati piſces non infimam ſortiuntur æſtimationem, vt ſalmones, praſmi, ſijck, halec, murænæ, mugiles, & boctes. Salmonum tamẽ genus cæteros omnes præcellit, eò quòd vices omnium eſcarũ ſua bonitate ſupplet, tum quòd ante quemlibet potum eſus, gratum appetitum parat. Eſtq; viatoribus grata, & parata eſca: crudi enim optimum ſaporem habent. Idem de arengis paſsis, quas Germani Bucking appellant, ſentiendum eſt: quæ ſatis carè à Romanis emuntur, & auidiſsimè nullo generato faſtigio (præter morem aliorum piſcium) manducantur: nauigijs verò Flandrorum per portus Hiſpaniarum in Vrbem quotannis, niſi bella impediant, deferuntur. Sunt & boctes, ac orches piſces fumigati, qui in eſum genti Septentrionali conceduntur.

Sijck.

Fumati piſces.

Boctes.
Orches.



De piſcibus ſale conditis. Cap. 30.

SAlitis piſcibus infinita gentiũ multitudo nutritur. Iidem ferè omnes qui vento ſiccantur, aut fumo mace-

marinantur, etiam sale, vt longius, diutiusque interni sapores illæsi permaneant, condiũtur: ac æqua æstimatione, non libra (vt dictum est) sed numero decadum, & quantitate venundantur. Horum maximus, & necessarius vsus in castrorum obsidione, & classica pugna attendi solet, quales sunt ageudæ, anguillæ, prasmi, & quos in vulgari lingua Torsck appellamus. Si quis verò huiusmodi salitos pisces immiscendo corruptos falsificauerit, aut vasis putridis conseruandos crediderit, grauiter à fisco mulctatus restituet pretium acceptum: & tales pisces in aquam proijciuntur, vel in publico foro comburuntur. In aquam autem perraro mittuntur, ne fortè reliqui pisces boni sanique, fame vrgente his vescentes inficiantur. Integri verò pisces infinita multitudine signo magistratus apposito validãtur, vt in remotas terras pro lucroso quæstu in vasis ad hoc fabricatis exportentur. Et vt omnia iustè rectéque fiant, iurati officiales, sicuti præfecti annonæ, ita & piscium, pelliumque scrutatores ac æstimatores, suut deputati. *Torsck.*



De Halece siue Arenga. Cap. 31.

HAlec in littorib⁹ Meridionalis Gothię terræ Schoningiæ, veteri iure ad regnũ Gothorum, sub principio autumni in tãta multitudine plerunq; capitur, & infinitis in vasis sale cõditur, exportaturq;, vt sufficiat

in ſalſamentorum genere, maiori parti totius Europæ cibandæ. Congregatur enim illic ſuper latas, longaſq; ripas in domicilijs, & tentorijs ſpatio duorum menſium, ex omnibus vicinis nationibus diuerſæ ſortis mercatores, pretio, vel rerum cõmutatione huiuſmodi halecem ementes, vt nauigijs abducant. Euenit plerũque vel leuiſsimo pretio compatari queat, ex maximo eius acceſſu, quoniam tam vaſta in multitudine littoribus offertur, quòd non ſolùm retia piſcantium lacerentur, ſed etiam in agmine illo bipennis, vel lancea militaris in medio piſcium immiſſa firmetur: idq; Regio fiſco maximum in lucrum cedit. Lex enim grauibus vallata pœnis, mercatoribus huiuſmodi impoſita eſt, vt ante omnia vectigali Regio ſoluto, ad ſua abeũtes ſaluum conductum ſiue teſtimonium à Regio præfecto accipiant: duas quidem ob cauſas, tum quòd licentia recedendi eis libera conceſſa ſit, tum quòd ad propria reuertentes, apertis documentis demonſtrare queant, nemini iſto in loco, vbi tam piſcaturam quàm mercaturam exercuere, violentiam, iniuriam, vel damnum intuliſſe. Capitur & halec, duobus aut tribus milliaribus ab eo loco: ſed degener eſt in ſapore & æſtimatione, ac viliſpẽditur. Eſt etiam eodem tempore copioſiſsima halecis piſcatura in littoribus Angliæ & Scotiæ, quæ per piſcatores Flandriæ inſtituitur: à quibus poſteà ſortitur nomen, vt Romam ille piſcis delatus, halec Flandorum appelletur. Non tamen adeò pingue genus eſt piſcium, licet longum & craſſum, ob ſterilem fundum, & paſtum minus vberem, ac vndarum conflictum, quemadmodum halec Septentrionale, quod propter gratum ſaporem vbique in maiori pretio habetur.

Haleces Angliæ & Scotiæ.

De natura Halecis. *Cap.* 32.

CVm vnumquodq; ferè genus piſcium marinorum habeat ſuum tempus, quo ſit bonum & delectabile hoc ab Auguſto ad finem Octobris copiam ſui præbet: gratiq; ſaporis tum temporis eſſe, cunctis qui eo veſcuntur, notum relinquitur. Recenter captus, delicatior

tior videtur: falsus antè in vsus hominum vltrà quàm alij pisces (præter salmones) integer durare potest. Omninm ferè piscium solus aqua viuit. Ductus extra aquam, statim expirat, nulla mora inter aëris contactum & eius expirationem, quando aqua extrahitur, visa. Oculi eius instar luminis noctu lucent in mari: imò quod magis est, huius piscis maximo motu, & reflexu vasti sui agminis, quasi fulgura & coruscationes per æquora excitata apparent, fulgura halecis communiter nuncupata. Vbicunq; super aquas iu mari lumen videt, gregatim adnatat, & hoc astu ad retia statis temporibus allicitur, quasi paratus ad capiendum, vt iussu Dei (qui dat escam in tempore opportuno) ad vsum & nutrimentum infinitorum hominum rapiatur. Hyberno tempore in abdito maris ad consuetum terminum, vsque dum capiatur, se abscondit. Appropinquat etiã littoribus propter contemplandos ignes copiosos, ante tentoria mercatorum accensos, veluti in militaribus castris. Est & halec longitudine vnius palmæ in mari Bothnico versus Thornã, quod nõ minus quàm ante dictum, gratissimi est saporis & nutrimenti: atque hoc ferè omni tempore capitur, maximè in æstate & autumno, ac hyeme sub glacie. Tanta etiã multitudine post æquinoctium autumnale capitur, quòd funes retium scindere oporteat. Hic piscis non habet intestinum nisi ieiunium, & ideo in ventre eius nihil inuenitur: tamen propter hoc sola aqua haud viuit, quemadmodum superius notatum est. In hoc genere piscium fœminę vulgi æstimatione carius emuntur, quia oua earum stomachum satiant, dum stato tẽpore à piscibus veniet abstinendum: quod & similiter aliorum piscium oua, vt salmonum, & quos Gothi stick vocant, faciunt. Deniq; mas & fœmina eandem afferunt vtilitatem, sale, sole, & vento siccati, tanquam paratior esca ad præsentissimũ vsum. De halece Schoningiæ Celtes loquitur:

Halec aqua tantũ viuit.

Halec Bothnicũ.

Celtes.

Oceanum Codanumque videns, vbi Scandia diues
Haleces totum mittit piscosa per orbem.

De piscinis, & semine piscium. Cap. 33.

SVnt etiam in aquilonaribus terris, qui piscinas pro singulari quorũdam piscium quæstu extructas habent: quas aliquando emissis aquis desiccant, atque piscibus euacuant, vt nullo penitus relicto, easdem pro alio genere imponendo euacuatas relinquant: vnde & reductis aquis, atque piscibus impositis nouis, simul exoriuntur ex semine priorum piscium latente in limo, veteris speciei pisces, atq; amplius cæteris immissis coalescere deprehenduntur, Aegyptiacis Nili piscibus non dissimiles, qui post annum à semine sparso, & in limo recedente aqua relicto, accessu redeuntis aquæ quasi infinita multitudine reuiuiscunt. Qu. dam etiam semen exenterando pisces receptum, in humido loco per hyemem custodiunt, vt tempore propagationis post vernale æquinoctium in aquas emittant. Verùm statim in aquas haud proijciunt, eò quòd à piscibus famem patientibus, ob pigritiam quærendi victus, ilicò deuoraretur, prout plurimi tam malignæ naturæ sunt, vt vel propter præmissam rationem, vel odium proprij germinis augendi, vel luxuriam (vt in terrestribus animalibus dictum est) continuandam, vorent proprium semen. Hoc autem tam fertile genus, nisi in tam infinita multitudine instar grani papaueris, vel milij, infinito numero de vno pisce emitteretur, non posset coalescere in aquis ad sustentandam humanam vitam. Cui optimè, sed temperatè natura subuenit, vbi sunt homines voratiores, veluti in terris frigidis (gelu citò vrente, & consumente) ibi prouidit de maioribus beluis marinis: vbi verò graciles morantur populi, pisces ordinauit tenuiores.

FINIS LIBRI XX.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS

De piscibus monstrosis.

EPITOME LIBRI XXI.

PRAEFATIO.

Spectaculum admirabile vastus Oceanus in suo gurgite cunctis nationibus offert, diuersos partus ostendit, hosq; non tam magnitudine & cõparatione syderum mirabiles, quàm forma minaces adducit, vt nec cælo, nec terra, aut eius visceribus, aut domesticis instrumẽtis aliquid abscõdi videatur, quod non adsit in sua profunditate retentum. In eo namque Oceano tam lato, supino, molli ac fertili accremento accipiẽte semina genitalia, sublimi semperq; pariente natura, pleraq; esse mõstrifica reperiuntur: quę perplexis, & in semet aliter atq; aliter nũc statu, nunc fluctu cõuolutis, ex se ac alijs principijs generare formas vidẽtũr, vt quicquid nascatur in vlla parte naturę, etiã in mari esse nobis persuasum habeamus, & perquàm multa alibi nusquã reperibilia, ibidẽ inueniri. Nec solùm animaliũ simulachra mari inesse licet intelligere intuentibus, sed vnam quoque in eo, gladium, serras, equorum capita in paruis cochleis eminere. Præthereà spongias, vrticas, stellas, lamias, miluos, monachos, vaccas, lupos, erythinos, spondylos, mures, passeres, merulas, coruos, ranas, porcos, boues, arietes, equos, asinos, canes, locustas, vitulos, arbores, rotas, cantharos, leones, aquilas, dracones, hirundines & similes. E quibus quædam beluæ in terram exeunt, pastæque radices fruticum ac satorum remeant: quædam Australi, & quædam Aquilonari vento hausto impinguescunt. *Monstra marina.*

Sunt & beluæ in mari quasi hominis figurã imitantes, lugubres in cãtu, vt Nereides: etiam marini homines,

nes, toto corpore abſoluta ſimilitudine, qui aſcendere nauigia nocturnis temporibus videntur: ſtatimque degrauari quas inſederint partes compertū eſt, & ſi diutius permanent, etiam ipſæ naues merguntur. Imò per fidelem Noruagicorum piſcatorum aſſertionem addo, niſi tales capti ilicò dimiſsi fuerint, adeò ſæua tempeſtas exurgit cum horrido planctu eius generis hominum, ac nonnullorum aliorum monſtrorum, vt cælum ruere videatur: piſcatoresque vitæ ſuæ vix etiam ſummo labore ſuccurrere, multò minus piſcibus inſidiari poterunt. Quocirca in tali caſu piſcaria lege cautum eſt, & obſeruatur, vt monſtroſi piſces taliter attracti, ſecundum figuræ varietatem ilicò abſciſsis hamatis funibus dimittantur.

Lex piſcatorum.



De piſcatura periculoſa in Noruegiano Oceani.
Cap. 1.

PEriculoſa piſcatura in Noruegiano Oceano, ob multiplices rationes dicitur, quia in aperto mari longiſsimo tractu à littore committitur. Diris tēpeſtatibus ortis, celerrimè piſcatores fluctibus obruūtur: tum fluitante mole maxima glacierum diſpergun-tur: balenarum monſtrorumque pugnæ in diuerſa diuiduntur: deniq; horribili quorundā piſcium ſeu monſtrorum è gurgite extractorum forma, & attactu, in manibus eneruantur, ac niſi eos ilicò dimiſerint, mora tempeſtate ſuffocantur. Si igitur quidam piſcatorum temerarij

tem..rarij certamine commisso cum belua, eam intra nauim (cucullati hominis formam habentis) induxerint, mox vlulatu & strepitu socialium bestiarũ obruti, nec hamos ad capturam piscium proijcere, nec remis laborare, vixq; vela pro fuga arripienda, nisi monstrũ dimiserint, expandere queant. Hæc monstra etsi æquè atque pisces electi (salpę communiter dicti) in retibus apparuerint, tanquam inutiles eijcinntur, sed electi in naui reseruantur, magnoque venduntur lucro, tum in loco vbi capiuntur, tum in vicinis Regnis, ac vltimis Germanię oris. Plura millia piscatorum in pagis extremæ regionis Noruegiæ habitanr, Andanes, Trondanes, Dnuanes, Gamblauick, Nyauick dictis, & alijs circumiacentibus terris apud VVardahus, id est, castrum, siue domum prȩsidij totius regni. Mense Feb. & Martio, imò & Ianuario, robustis nauibus horum locorum incolæ piscandi gratia à littore in altũ vadunt, quantum scilicet intra bidnum nauigando conficere possunt, rebus necessarijs ad victum xx. vel xxx. dierum spatio secum comportatis. Locus autem, vbi frequentius hanc piscaturam exercere solent, inter Noruegiam & Islandiam situs est. Neq; hi piscatores, dum tempestates sæuiunt, in anchoris manent, sed fluxu refluxuq́ne maris fluitando piscantur, donec naues sint vndiq; plenæ. Sola autem eis salus in repetendo littore indicio gnomonis nautici consistit: quia per hunc ortis ventis quò iter suum dirigant, agnoscunt. Estque notarum, quotiescunq; extrahuntur à mari monstrosi pisces leonina vel humana facie, & similibus, quod semper discordiam, & bella in terris portendant. *Pisces portentosi bella portēdūt*

De periculo piscatorum, & qualitate piscium. Cap. 2.

NEC leue periculum illis ipsis piscatoribus imminet, quando hamis attrahũt maximę fortitudinis molis, ac xij. pedum longitudinis pisces, vt sunt rhōbi, squatinæ, & reliqui pisces alari: qui cũ apparuerint ab aquis extrahendi, sæpe piscatores in mari retrahunt, nisi se funibns firmati in naui anteà præmuniant, aut mutua ope hoc in labore sibi innicem subueniāt. Qui verò felici vento tantis maris periculis superatis, nauibus *Rhombi. Squatinæ.*

uibus piscosis ad littora propria appellunt, pisces extractos purgatosque, integros vel in partes diuisos, salito liquore conspergunt, sole, flatibus asperrimis, frigore, atque aëris rigore ad siccandum exponunt: tum in excelsas quasi lignorum strues componunt: quas in naues vicissim collocant, atque ad celeberrimum totius Noruegiæ emporium, Bergen nnncupatum, pro rerum commutatione aut pretio distrahendas exportant. Et hinc verius hoc genus piscium Bergerfisck vulgari gentis idiomate vocatur, & nõ stockfisck à fuste vel baculo, vt mollior ad coquendam fiat pluries fustigatus. Non tamen vno eodemque genere hic Bergensis piscis, sed quantitate, vel bonitate æstimatur. Nam aliud est genus longioris quantitatis, asellus dictus: cuius ventres in bicubitales ligulas instar funium abscissos, & aëre desiccatos, quasi longè delicatiores cibos Aquilonares eligere, & vendere solent, Roedscher dictos. Similiter & extremas caudas eorum piscium in magnis vasis ad quæstum, siue delicatam escam reseruant, quas Spore Germani vocant. Præterea ex ventre rhomborum etiam fiunt ligulæ cubitales, vel bicubitales, sed latiores alijs, valde pingues, quas incolæ Raff vocant: eisque pro pane & obsonio vtuntur. Fortibus enim hominibus iste cibus conuenit, non delicatis: ferè eius saporis est, vt semen piscium induratum, Italicè Bottargi dictum: sed illi longè pinguiores. Capitibus horum piscium loco lignorum pro cibis coquendis vtuntur incolę Noruegiæ. Capitur etiam in littoribus Noruegię, præcipuè in scopulis Asloënsibus, quidam piscis in maxima multitudine Makreel dictus, sale sufficienter conditus, optimus, & sine sale pessimus.

Bergen emporiũ Noruegiæ celebre.

Asellus piscis Roedscher.


Raff. Capita piscĩũ, lignorum vice.

Makreel piscis.

De piscibus Islandiæ. Cap. 3.

Piscium nomina.

EST & alia piscium distinctio & qualitas, qui in Islandicis aquis infinita multitudine ab incolis illius loci capiuntur, molliori scilicet carne, & lõgitudine ab



dine ab istis, quos supra introduximus, differētes. Præterea aselli, rhombi, vituli marini, merlusia, Gothicè Torsck appellata: inter quos balenæ, pristes, atque alia monstra marina apparent: quorum indomabili immanitate miræ aquarum turbationes excitantur. Pisces verò electiores ibi capti, ab Italis & Hyspanis Marlucz, in Romam vsq; etiam per Hispanos aut Lusitanos delari, appellantur. Tempus capturæ eorum est in Februario, Martio, & Aprili: piscesq; capti frigidis ventis exsiccantur, ac demum in apertis campis, quasi lignorum combustibiliū strues compositi, per mensuras longorum cubitorum, siue cannas Italica mensura, ad plura millia mercatoribus Germanicis diuenduntur, aut pro frumento ceruisia, panno & similibus, in rerum commutatione distrahunrur. Si verò pondere vēdēdi sunt, idipsū centenario ac millenario numero, & æstimatione distincto fieri solet. Huiusmodi pondus vernacula eorum lingua VVaagh dicitur, veluti apud Gothos, Suecos, & Germanos Schippunt communiter appellatum (ccc. maioribus libris constans) in ponderando obseruatur. Genris huius quasi melior & maior prouentus est in piscibus, propter quos fiunt maximæ nauales pugnæ inter diuersarum nationum mercatores: quia ad hanc insulam nauigaturi mercatores quæstus causa, non aliter se instruunt, quam si aliquod atrox prælium subeundum foret.

Marlucz.

VVaagh maximum pondus.

Præterea

Beluæ marinæ fugantur sono tubæ. Prætereà quum humanus hostis sufficere haud videatur, occurrunt vastissimę beluæ instar mõtium in ... gna multitudine, nauigantibus, nisi prospexerint, periculum illaturæ. Sed his inter alia remedia per cla... gorem acutè sonãtis tubæ succurritur: cuius tinnitum eædem beluę audiendo sufferre minus valẽtes, ad gurgitem ac maris abyssum vicissim aufugiunt, prout infrà de physetere ostendetur.

De mira abundantia butyri Islandię. Cap. 4.

Capsæ ligneæ ad condendũ butyrum 30. pedum longitudine. IN eadem prætereà insula Islandię tanta butyri salsi, ob pecudum multitudinem, & pascuorum vbertatem reperitur copia, vt non sufficiẽtibus vasis aut tonnis, cistas vel capsas ex odorifero ligno confectas xxx. vel xl. pedum longitudine iiij. verò vel v. altitudine, quotannis pluribus in locis repleant, atque in domesticum vsum, imò & mercatorum commutationem conseruent. *Helgafiel abbatia.* Piscibus enim tostis, huiusmodi butyro inunctis, loco panis frequentius vtuntur: vnde etiam Ichthyophagi appellati. Capsæ autem huius abundantis butyri, reperiuntur in Abbatia Helgafiel gentis idiomate appellata: quæ in butyro & piscibus siccis, quasi melioribus thesauris, est fundata, quemadmodum & duæ Ecclesiæ Cathedrales Scalholdensis & Hollensis, vnà cum nobilium mansionibus plurimis, habentibus similem prouentum. Pro potu gens illa vtitur exotica ceruisia, è ciuitatibus Germaniæ maritimis nauigio adducta. Prætereà sunt apud eas gentes fontes cerealis liquoris dulcedinem habentes, qui omni earum necessitati in bibendo, certa etiam cum delectatione ac sano sapore subueninnt. Hi autem Islandenses sani, iucundi, & liberales sunt: din sine medicina, etiam supra centum annos viuunt. Facili causa prouocantur ad arma ac bella, quæ satis crudelia geruntur: deniq; tam ad pedestrem, quàm equestrem expeditionem in omnem euentum cuncta disposita habent.

De mira

10

OLAO

HISTO
RIA

27